


CHRISTIADOS

LIBRI XVII

AUTHORE

ROBERTO CLARKE

CARTUSIANO ANGLO.

EDITIO NOVA

CURANTE

ALOYSIO CASSIANO WALTHIERER,

PAROCHO IN BÖHMFELD.

1855.

INGOLSTADII APUD FR. X. ATTENKOVER VIDm.

TYPIS CAROLI BRÖNNER **EYSTADII.**

DEDICATIO AUTHORIS.

SANCTISSIMAE, POTENTISSIMAE,
SAPIENTISSIMAE

TRINITATI,

PATRI INGENITO,

QUI SIC DILEXIT MUNDUM,
UT UNIGENITUM SUUM DARET,
UT OMNIS, QUI CREDIT IN EUM NON PEREAT,
SED HABEAT VITAM AETERNAM.

FILIO UNIGENITO,

GENERIS HUMANI REDEMTORI,
QUI PER CRUCEM SANCTAM SUAM
REDEMIT MUNDUM.

SPIRITUI SANCTO,

A PATRE ET FILIO PROCEDENTI,
QUI DISCIPULORUM CORDA DIVINI
AMORIS IGNE INFLAMMAVIT.

UT
IN OMNEM TERRAM EXIRET SONUS EORUM
ET IN FINES TERRAE VERBA EORUM.

CRUCIFIXI JESU CHRISTI
HUMANITATI,

CUJUS PRETIOSO SANGUINE REDEMTI SUMUS,
ABLUTI SUMUS, SANCTIFICATI SUMUS,
SALVATI SUMUS.

BEATISSIMAE VIRGINI
MARIAE,

DEI REDEMTORIS MATRI INTACTAE:
MATRI, MEDIATRICI, PATRONAE, REGINAE
HOMINUM:

HOC DE REDEMTIONE MUNDI

CARMEN

SE, SUAQUE OMNIA IN AETERNUM CONSECRAT

F. R. CLARKE, CARTUSIANUS.

PRAEFATIO EDITORIS.

Pauca nonnisi Christiadi praemittenda nobis videntur, et quidem de *vita authoris* notitiae, quae sequuntur:

1) Epitome ex actis monaster. Douay, per Priorem Jo. Daniel 18 Maj. 1792: „Anno Domini 1620. 13 Junii, hic Duaci, in Ecclesia Sti Petri, a Rmo Dno Hermanno Ottenbergo Episcopo Atrebatensi tonsuratus est Robertus Hautonus, sive Graineus (hic Clarke) Londinensis. — Anno Domini 1621. Mense Augusti Philosophiam praesidente Domino Edmundo Stratfordo Philosophiae Professore, publice defendit Robertus Graineus (hic Clarke). — Anno Domini 1622. 20 Augusti, discessit in Angliam Mr. Robertus Clarke (alias Grayineus) Theologus primi anni, ut valetudini suae consuleret, post sex vel septimanas reversurus. 28 Septembris ex Anglia ad nos rediit Mr. Robertus Greyneus (hic Clarke) Theologus ac hujus Collegii alumnus. 1 Octobris, Poetis Professor constituitur Mr. Robertus Grayinaeus (hic Clarke). — Anno Domini 1623. 1 Octobris Poeseos Professor Mr. Robertus Grayeneus (hic Clarke). — Anno Domini 1624. 1 Octobris Rhetores sub Magistro Roberto Grayneo (hic Clarke). 21 Decembris, ad quatuor minores ordines promotus est Robertus Graineus (hic Clarke) Londonensis. — Anno Domini 1627. 27 Julii. Secundam secundae D. Thomae in schola Theologica publice defendit Mr. Robertus Clarke, alias Grayneus Praeside Dno Edmundo Leckmore (alias Stratforto) S. T.

Bacalaureo et Professore. 16 Decembris a R^{do} D^{no} Praeside et quibusdam e Senioribus examinatus est Mr. Robertus Graineus (hic Clarke). 18 Decembris. Sabbatho 4 temporum Atrebati in Capella Palatii Episcopalis a R^{do} D^{no} Paulo Boudot Epo Atrebatensi ordinatus est Subdiaconus Mr. Robertus Grayneus (hic Clarke dictus) Londinensis. — Anno Domini 1628. 18 Martii, Sabbatho 4 temporum Quadragesimae in Capella Palatii Episcopalis Attrebati a Reverendissimo D^{no} Paulo Boudot Epo Atrebatensi ad Diaconatus ordinem promotus est Mr. Robertus Graynaeus (hic Clarke dictus) Londinensis. 20 Martii, festo S^{cti} Joachim, supradictus Diaconus ibidem a praefato Epo, ordinatus est Presbiter. 25 Martii festo Annunciationis B. M. Virginis horâ decima primum suum sacrum cantavit D. Robertus Grayneus (hic dictus Clarke). 6. Junii Mr. Robertus Grayneus (hic Clarke) Alumnus, ac Sacerdos hujus Collegii, in Schola Theologorum mane ac a prandio totum cursum Theologicum egregie propugnavit, sub D. Edmundo Leckmore (hic Stratfort) St. Theologiae Baccalaureo Sorbonico et Professore primario. 2 Octobris Rhetores sub Dr. Roberto Grayneo (hic Clarke). 30 Octobris in classe Theologorum exhibita fuit Actiuncula facta a D^{no} Roberto Grayneo (hic Clarke) Rhetorices Professore. — Anno Domini 1629. 16 Julii, in Refectorio exhibita fuit Tragico-comedia de Othone Imperatore a D^{no} Roberto Grayneo (hic Clarke) hujus collegii Sacerdote et Rhetorices Professore composita, quae auditoribus plurimum placuit. 13 Septembris a prandio. Illustrissimo D^{no} D^{no} Antonio Maria Vice Comite Montis Acuti exhibita fuit in Refectorio Tragico-comedia de reditu S^{cti} Ignatii Epi et Martyris ab exilio, facta a D^{no} Roberto Grayneo (hic Clarke). 19 Septembris in Angliam cum facultatibus ordinariis missus est Dominus Robertus Grayneus (hic Clarke) hujus Collegii Alumnus ac Sacerdos, qui non solum in humanioribus litteris (quas per aliquot annos laudabiliter docuit) verum etiam

in Philosophia ac Theologia est doctus ac eruditus. — Anno Domini 1632. 8 Julii Dominus Robertus Grayneus (hic Clarke) Alumnus ac Sacerdos hujus Collegii, profectus est ad Carthusianos Anglos, qui Neoporti in Flandria habitant.“ —

2) Epitome ex epistola anglica Prioris Cartusianorum neoportensium, Williams ad Lib. Baron. Edmundum de Harold Monachii d. d. Lor: 2 Maj. 1792, ubi legimus: „Robertus Clarke (alias Graine), natus Londini, absolutis in Colleg. Duan. anglico humanioribus, idem collegium ingressus est. Postquam Theologiam aeque ac Philosophiam absolverat, Professor factus Humaniorum et ordinatus est. Dehinc qua missionarius in Angliam transiit; attamen timens de propria debilitate periculisque diversis, quae vocationi huic sanctae ast formidabili adhaerent, Neoportum in Flandria regressus, ibidemque Cartusianorum professus est religionem. Obiit 31 Decembr. 1675 post vitam vere exemplarem, qua durante strenuus regulae observator, honores fugiens fervide ac devote poeticam illam indolem colebat, quae naturalis et innata ipsi videbatur. Opera, quae scripsit multa et maxime sermone latino, vocationi correspondebant. — Eorum praecipua adhuc residua sunt: a) Christias, b) quatuor de imitat. Christi libri Jambis latin., c) miscellanea, d) dissertatio de dignitate confessarii.“

De operibus in ambabus literis enumeratis hodie extant: Christias et poema anglicum „the crown of thorns“ (corona spinea), quod quidem authographon authoris in bibliotheca Lib. Baron. de Harold reperire est.

Christiadem nostram complevit author anno 1650, et edidit in lucem 1670. Anno quoque 1708 editio hujus poematis facta est, ex quo tempore opus egregium manibus tam virorum eruditorum quam juventutis studiosae multum tritum est.

Literatura Christiados parca admodum est.

Lib. Baro Edmundus de Harold reddidit totum poema ver-

sibus anglicis, quod manuscriptum in bibliotheca nepotis sui Trostbergii retinetur.

Dom. Sebast. Mutzl, Gymnasii Rector nunc Eystadii, Christiadi dedicavit dissertationem in Ephem. „Eos" anno 1829.

Dom. Jo. Mart. Rauch, Professor olim, nunc parochus in Grafing, anno 1848 de eadem Christiade Programma scripsit.

Editor opus Clarkii, plurimis absolutum numeris, metrice linqua germanica reddidit et in lucem anno elapso prodire jussit, atque aliud nil optat, quam ut originale aeque ac copia utut mendosa virorum juvenumque manibus teratur, ad animorum cordumque pascuam, et ad honorem Domini nostri Jesu Christi Crucifixi, qui ab omnibus magis magisque adametur et superexaltetur in secula.

Böhmfeld, festo exaltat. s. crucis 1854.

Editor.

APPROBATIONES.

Legi, perlegi Christiaden Rev. P. D. Roberti Clarke, s. ordinis Cartusiensis Monachi; omniaque fidei catholicae bonisque moribus consona reperi. Opus denique, quod publico donetur, *omniumque manibus teratur dignum judicavi* censuique, Neoporti in Flandria, Idibus Jun. 1650.

EDUARDUS DANIEL,
S. Theologiae Doctor.

Infrascriptus attestor me libros Christiados sive de Passione Christi Domini authore F. R. Clarke, Anglo Monacho Cartusiae Neoportensis, eo animi sensu perlegisse, ut judicem *pietati et eruditioni injuriam fieri*, si iis publica lux denegetur.

J. B. SCHEPPERS,
Philosophiae Professor primarius
Lovanii.

COAEVORUM
AD ROBERTUM CLARKE
EPIGRAMMATA.

I.

Aonii montes, felix Carthusia, cujus
Ex antro resonat Virgiliana chelys.
Montibus his veteri redivivus pulvere Phoenix
Nascitur; in melius musa Maronis abit.
Hic non arma canit, non pascua rura, ducesque;
Sed sonat humanum musa sacrata Deum.
Hic sua mellifluis conscripsit carmina verbis,
Carmina vindicibus non repetenda rogis:
Carmina divino promsit de fonte Robertus:
An meliora putas musa Maronis habet?

II.

Aeneidos celebranda Maro contexuit acta:
Christiados Clarkus grande peregit opus.
Quid mirum angelico cellae quod clausus in anglo
Angelicos versus fuderit? Anglus erat.
Ita ludebat PHILIPPUS JENNYN.

III.

Debet Virgilius tibi multa Roberte: sed illi
Tu tantum, quod sis tempore posterior.
Applaudebat Confratri,
Fr. GREGOR. MACQUET V. M. C.

IV.

Parva canis, tantoque Maro non digna labore.
Carminibus celebras quid Coridona tuis?

Quid rura aut quid apes gravidaeque putamina vitis?
Nec tali Aeneas dignus honore fuit.
Sola canenda Dei canit hic magnalia vates:
Nec vincit musam musa profana piam.

Applaudebat Confratri,
Fr. GEORG. MELLIAN.

V.

Si multis, quia tersa, placent, quae tempore prisco
Musa caballino pota liquore dedit:
Tersa, latina, pia haec placeant, quae carmine docto
Musa salutifero pota cruore canit.

J. B. SCHEPPERS.

Epigrammata amicorum, me nesciente impressa, permitto, non admitto; timeo enim ne effusae laudes onerent me magis quam exornent.

CLARKE.

ΕΙΣ
ΤΟΝ ΤΑΣ ΧΡΙΣΤΙΑΔΟΣ ΠΟΙΗΤΑΝ.

Χαῖρ' ἐμὶν, Καρτούσια ὃν μέγισταν
εὐλογεῖ. Πλήκτρῳ δαΐφρων ἀείδεις
τὸν Θεάνθρωπον, περὶ τῶν ἀδελφῶν
δεινὰ παθόντα·

Παρθένῳ θαλλὸν καθαρᾶς Θεοῖο τ'
ἀρνὸν ἰσχυρῷ μέλεσιν, Ῥόβερτε,
ἐσθλὸν ἠχεῖς, γᾶν ὃς ἀεί κυβερνᾷ
πάντα τ' Ὄλυμπον,

ᾧ Πατὴρ πάντων Βασιλεὺς ἅπασαν
πραγμάτων ἀρχὰν ἐπὶ γᾶς ἔδωκεν
ἠδ' ἐν οὐλύμπῳ, βίοτον τ' ἐν αὐτῷ
σχεῖν, διδόναι τε *).

---

*) Joann. 5, 26.

θαυματουργὸν φῶτα λέγεις, νόσων τε
ἀντιφώνεις μὰν ἰατρὸν κράτιστον,
ἐσχάτως δ' ἄθλως ῥόδεον χέοντος
αἷμα βροτοῖσιν,
ὃς σκοταίαν εἶτ' ἐρέβευς δαμήσας
δεινότητ' εἰς ἄστρα βέβηκε λαμπρά,
Πατρὸς ὑψίστω κρατερῶς ἐν αὐλᾷ
αἰὲν ἀνάσσων.
Χαῖρε τοίνυν Χριστιάδος μελῳδὲ
εὐκλέες! βέντιστα δίδως, ἃ μοῦνα
φαίνεται πάντων πρὸ θεῶν βροτῶν τε
ἄξια ὕμνω.
Οὐ γάρ ἥρωας μελετᾷς τὺ χορδαῖς,
οὐδὲ λυγρῶς αὖ πολέμως Ἄρηος,
ἢ Λυαίω βοτρυφόρω κύπελλα,
εἴτε γεωργόν·
σὰ χέλυς θείαν ἀρετὰν ἐπαινεῖ
*εὐσέβειαν θ', ἅτις, ἰὼ, γλυκίσταν *)*
ἀδονὰν τίκτει, βιότω τε καρπὼς
ἀθανάτοιο.
Νέκταρός θ' ἀδεῦς φιάλαν προπίνει,
ᾧ τὺ ἐν ζωᾷ μελέων ἔπαινον
ἀγλαῶν προὔπεμψας, ὁ Χριστὸς ἤδη
καὶ παρέχει τίν·
ὄλβιος γὰρ τὺ φρένα γ' ἐν χοροῖσιν
ψυχέων τέρπεις μακάρων, βεβαίαν
αἶπερ, ἄρτως ἀμβροσίως ἔδοισαι,
τέρψιν ἄγουσιν.
Ἆθλα καὶ κάλλιστα φέρεις, κάρηνα τ'
Ἀγγέλων τὶν νυνὶ καταστεφόντων
ἠδ' ἀλειφόντων, τὺ δὲ κῦδος αἰέν
ἄφθιτον ἕξεις.

Jo. Mart. Rauch, parochus in Grafing.

*) — *οὐ γὰρ ηὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς·*
κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται. **Sophocles.**

INDEX CHRISTIADOS.

Liber I.

Gethsemanes hortum sociis comitatus Jesus
Ingreditur. Dum vota facit, texuntur ab ovo
Assumtae carnis causae, coelestia bella,
Luciferi et comitum casus, Ditisque subacti
Invidia et fraudes, vetiti miserabile pomi
Crimen et undantes ex illo crimine noxae
Diluvio castigatae, conatus Averni
Virgineum vestigantis per secula partum,
Et jam deprensum cupientis perdere Christum.
Iscarium agrediens malesuada decipit arte
Tisiphone, argento vendit sceleratus ~~Judas~~ Jesum.

Liber II.

Limbicolas Gabriel coelo demissus ab alto
Exhilarat. Christi morituri funera tristis
Fatidico Amosides involvit carmine. Patrem
Infensum ob vetiti scelus insuperabile pomi
Aspiciens Christus, medium sese objicit ultro
In sceleris poenas. Frustra terrere precantem
Dux Erebi certat. Miserae scelera omnia stirpis
In se unum revoluta videns, effundit habenas
Tristitiae, et reliquis naturae motibus. Illa
Victa metu, roseo terram sudore colorat.

Liber III.

Confortat Christum Gabriel. Saevi agmina Ditis
Incendunt proceres, vulgusque in vincula Christi.
Ausonius miles Juda duce tendit in hortum:
Obvius it Christus. Romanam voce cohortem
Sternit humi. Capti comites sub vincla magistri
Diffugiunt. Alapa caesum duci imperat Annas
Ad Caipham. Sputis scribae pugnisque probrisque
Exceptum coeco recludunt carcere. Amicum
Abnegat insana victus formidine Petrus.

Liber IV.

Pilato intacti reserat miracula partus
Lazarus, Infantisque fugam, puerosque tyranni
Demersos gladio; cunas et gesta Joannis,
Lustratumque manu Baptistae in flumine Christum.

Liber V.

Mutat aquas in vina Deus: jenunaque pascit
Agmina mirificis epulis. Tumida aequora calcat.
Compescit ventos. Genios expellit averni.
Per tegulas juveni demisso utramque salutem
Reddit: sublatoque senem prodire grabato
Imperat incolumem. Nato dat lumina coeco.
Insanae saltatrici venerabile magni
Baptistae caput abscissum rex donat. Jesus
Regis Edesseni legato muneris instar
Impressum tunicae vultum dat. Sanguinis unda
Sistitur ad tactum vestis. Dein filia patri
Post mortem rediviva datur; natusque parenti.

Liber VI.

Lumine divino vultumque habitumque nitentem
Discipulis monstrat Christus; detrudit in orcum
Anguigenas septem lascivae corpore clausos
Magdalidos; victus lacrimis et amore gementis
Dat scelerum veniam; et redivivum a marmore fratrem
Lugenti reddit quarta post funera luce.

Liber VII.

Damnatum proceres Christum ad praetoria ducunt
Judicis Ausonii. Judas desperat et arcto
Fune ligans fauces stygias descendit in umbras.
Pontius Herodis causamque, reumque tyranni
Subjicit arbitrio. Herodes ad vana tacentem
Vota velut stultum sprevit, Latiamque profanus
Irrisum tunica candente, remittit ad aulam.

Liber VIII.

Barrabbam Christo praefert plebs impia: flagris
Conscisso saevis lictores tempora spinis
Circumdant, humerosque attrito murice: mille
Ludibriis onerant. Mater festinat in urbem
Spectatura obitum. Petri lamenta Joannes
Explorat. Christum flagris spinisque cruentum
Ostendit judex populo. Intractabile vulgus
Affigi infami damnatum stipite poscit.

Liber IX.

Pilati uxorem varia sub imagine somni
Dux superum terret; scandit sublime tribunal
Pontius. At procerum stimulis, et tristis Averni
Pereitus (Aligeris nequicquam obstantibus) urget

Supplicium Christi populus. Moestissima nati
Vulnera flet mater. Letho damnatur Jesus.
Latrones inter graditur cruce onustus; et illi
Exhausto Cyrenaeus succedere jussus
Alloquitur flentes matronas Christus, et almi
Effigiem vultus Berenices victus amore
Linteolo impressit, sudore et sanguine tinctam.

Liber X.

Torridus ora siti corruptum fellis amari
Particulis vinum gustat; geminosque latrones
Inter, ferali suffixus in arbore Christus
Pendet. Ludibriis populi procerumque profanis
Impetitur. Vindex ultricem' Astraea Tonantis
Iram acuit. Saevis veniam pius hostibus orat
Christus; et orantis nati pietate subactus
Clausa diu reserat coelestis limina regni
Omnipotens. Dextro suspensus stipite latro
Agnoscit coeli Dominum. Natura parentis
Crudelem mortem gemit; et sese ipse relictum
Conqueritur Christus. Sitienti offertur acetum;
Discipulo matris curam delegat; et alto
Testatus clamore patris mandata peracta,
Exanimes artus admissâ morte reliquit.

Liber XI.

Omnipotens incarnati mysteria nati
Coelicolis pandit. Sacri admirabile veli
Dilaceratur opus. Superum impellente catervâ
Hic trepidat tellus, illic monumenta dehiscunt;
Dissiliunt rupes. Credit centurio, et hasta
Pectore perfosso de vulnere sanguis et unda
Prorumpunt. Luget Virgo. Gemit omnis amantum
Turba. Lavat Christi corpus frigentis et ungit
Ter felix Aremathides conditque sepulcro.

Liber XII.

In limbum penetrat Christus, castasque piorum
Heroum mentes divinae lucis amoenae
Intuitu beat: et squalenti e carcere mentes
Eximit, horrendis quas purgatorius ignis
Lustrabat flammis. Erebi dux saevus in ima
Tartari ab aligeris vinctus detruditur antra.

Liber XIII.

Lucifer edomitus vinctusque Acherontis alumnos
In nova bella acuit. Mammon stimulante tyranno

Aligerum simulat, Caiphamque sopore solutum
Hortatur clausi limen vallare sepulcri
Militibus. Strictim Ausonidae ventura Josephus
Orbis in interitum praenuntiat. Inde sepulcri
Excubiis jussus recludit claustra Latinis.

Liber XIV.

E tumulo redit immortali corpore Christus;
Et matri charaeque redux manantia tergit
Lumina Magdalidi. Sacris dant oscula plantis
Matronae. Petro devictae gaudia mortis
Partitur. Miles precibus pretioque latinus
Corruptus, Domini rapuisse exangue cadaver
Discipulos spargit. Corrumpi nescius omnem
Pilato eventum urgenti Centurio pandit.

Liber XV.

Legifer Amramides vatum comitante caterva
Apparens procerum primis, quos inclyta Christi
Traxerat in partes virtus, mysteria partus
Virginei, sacraeque crucis, Baptisma, novaeque
Sacramenta aperit legis, moremque sacrorum.

Liber XVI.

Addit se comitem peregrini indutus amictu
Discipulis Christus. Luctum lacrimasque Jacobi
Abstergit. Penetrat clausa ostia. Vulnera pandit.
Piscando fessis se in littore monstrat. Ovilis
Fit pastor Petrus. Galilaeo in monte coactos
Discipulos praesens animat. Bethania in arva
Deducit socios, patriumque ascendit Olympum.

Liber XVII.

Christi ascendentis coeli per inane triumphum
Ultimus imparibus numeris describere tentat.
Ipse triumphantem genitor laetissimus arcto
Aeternum amplexu stringit: sanctosque beati-
tudine perpetua, meritoque attollit honore.
Mathias Petro sortes ducente, capescit
Iscarii munus. Summo demissus Olympo
Spiritus orantes flammis coelestibus urit.

LIBER PRIMUS.

Bis genitum Caeli regem, qui morte perenni
Damnatos, roseo divini sanguinis imbre,
Dite triumphato, tenebrosi e faucibus Orci
Eruit: et scelerum puros, vitaeque capaces
Reddidit aeternae: suaque ipse in regna vocavit:
(Qua datur ire) cano. Neque enim Caelestia pronas
In terram mentes, caecaque cupidine tactas
Sacramenta humili fas est penetrare volatu.
Nec petimus. Certent illi, quos purior aura
Aetheris, inspirans mentemque, animumque superno
Imbuit afflatu: fidoque evexit in altum
Remigio alarum. Quamquam o! si vincula solvant
Caelicolae faciles, atque haec in carmina vatem
Igne suo, paribusque velint attollere pennis!

O Finis sine fine manens! sine origine Origo!
Cujus ab Artifici fluxerunt omnia nutu;
Quae mare velivolis in fluctibus, orbibus aether,
Quae gremio tellus, spatio complectitur aër,
Aspice me; et ventis imple data vela secundis;
Si mea te puppis vasti per caerula ponti
Insuetum Duce tentat iter: nullusque fugacis
Laudis amor divina novum in Mysteria vatem
Officiosus agit, blandoque errore fatigat.

Postquam Paschalis solennia fercula mensae
Libavit; clausumque meri, Cererisque sub umbris
Ipse suis sese manibus, devictus amore
Aeterno, charis epulandum CHRISTUS amicis
Apposuit: sua se ad mortem per symbola posci
Testatus, pavidae sub prima silentia noctis,
Ingratam Solymorum urbem, ruituraque tecta
Deserit; indomitis ultro sese hostibus ardens
Objicere, effusoque orbem reparare cruore.
Addunt se comites, Dominique extrema sequuntur
Discipuli: primusque Petrus, Virtute, Fideque
Praelatus reliquis. Amor, iracundia, maeror,
Diripiunt animum, vanisque tumultibus implent.
Junior hunc Zebedides, justissima CHRISTI
Cura, pari passu comitatur; et alta doloris
Vulnera mente premens tacita, tunicaeque, suique
Oblitus, tenui male tectum sindone corpus
Aëris hiberni nocturnis objicit auris.
Germani lacrymas, tenerumque Jacobus amorem
Aequat: et indomitos Petri constantior aestus
Temperat Andreas. Horum vestigia gressu
Aequorea propiore legunt Bethsaïde natus,
Atque animi ingenuo praestans candore Philippus,
Maturusque aevi Ptolomei Filius. Acer
Mattheo comes it Thomas. Miserabile claudunt
Alphides cum fratre, Simonque his additus, agmen.
Omnibus infixum saevit sub pectore vulnus:
Ingentesque coquunt tacito sub pectore curas
Tristia volventes miserae discrimina noctis.

Ecce autem ut celebres Josaphati nomine valles
Multa movens animo mundi melioris origo
Attigit: aërii liquido de culmine montis
Spectandam sese objecit squalentis imago
Maesta loci; visaeque comas posuisse virentes
Vivaces oleae, cedrique, atque omnis amoenos
Distinguens colles arbor. Mons ipse per umbras
Horridior, magni clara argumenta doloris
Pandit, olivifero laceros a culmine ramos

Subjiciens oculis. Gemitus plangentis, opacae
Ingeminant valles, et amici vallibus amnes.
Ipsi etiam aligeri, queis aethere dulce relicto
Caelicolum Domino dilectum invisere montem,
Et valles habitare sacras, purissima tristi
Gaudia praetexunt vultu: regisque supremos
(Qua fas) sollicito miserantur amore labores.
Atque aliquis fortunati quem credita montis
Cura premit, dulcique rapit custodia amore,
Constitit; et gemitu vix tandem in verba soluto:

Has (inquit) valles, hos seligis optime lucos
Leviadum in furias, perjurique oscula Judae?
Siccine Gethsemane laudes, nomenque decusque
Infaustae noctis, scelerisque infamia merget?
Spes mihi, spes superis fuerat, faelicia tanto
Hospite, nocturnis Domini celeberrima votis
Auditura omnem Josaphati rura per orbem:
Decessura tuo Parnassi culmina monti:
Dycteos saltus, Phrygiae sacra Dindyma matri,
Saturni Latium; vel si quid clarius illis
Mendaci pietate, alienoque auxit honore
In caelum tollens aevi longinqua vetustas.
Heu quianam loca caelicolis gratissima, faeda
Obscaenis circumvolitans infamia pennis
Obruet aeterno per postera saecla pudore?
Scilicet Aeoliis quicquid narratur in antris
Dirarum, quicquid Siculis regnare caminis;
Tartareo, quicquid Baali devota cruentis
Vallibus occultat, luciaque Gehenna profanis;
Induet hoc nostros crudelis fabula colles.
Quod te, per magnum, quo nos dignaris, amorem,
Oramus, lacrymasque tuas; per siquid in isto
Monte tibi charum, siquid vernantibus umbris
Dulce fuit: tot supplicibus pius annue, et unam
(Nam potes) hanc aliis in vallibus excipe noctem.
Sin diversa tuae sedit sententia menti;
Da saltem Ausonii quando hoc sub monte latrones
In facinus nummis procerum crudelibus empti,

Te vincire parant, suaque hic exordia ducit
Culpa, pari currens Nemesis justissima passu
Hinc etiam incipiat. Castris hic prima Latinis
Metator loca designet, scelerisque nefandi
Exigat eversa poenas radicitus urbe.
Ipse etiam infelix, qui nunc hos proditor hortos
(Heu aliis demens votis, sociisque!) fatigat;
Pendulus, et ruptis effundens viscera fibris,
Supplicio absolvat, quas crimine polluet umbras.

Audiit, et justi partem succedere voti
Annuit omnipotens; rapidis partem addidit auris.
Nil meritae, superi, famae, nil laudibus illis
Detrahet infaustae facinus miserabile noctis;
Quas Phoebi per utramque domum ventura sub auras
Aethereas gens Christiadum, gratissima sacro
Solvet, in Oceanum dum current flumina, monti.
Me patris aetherei nullis revocabile votis
Imperium charos prohibet mutare recessus.
Haec adeo ex illo me nox, et prata manebant
Tempore, quo blanda vetiti dulcedine pomi
Captus es, o nimium Divini oblite parentis,
Et sobolis patrium luiturae crimen Adame!
Dum facili Domini indulgentis lege teneri
Abnuis effraenis, dura in me vincula cudis,
Haec mihi causa viae est; his impediendus in hortum
Gethsemanes tendo. Nunc te mea vincula mortis
Nexibus expedient: primae mea vulnera culpae
Exitiale malum pretioso flumine mergent.
At vos, foelices hortos, dilectaque rura
Venturis olim recludite gentibus. Uno
Incensi pietatis amore, ab utroque recurrent
Oceano populi innumeri, sanctaque flagrantes
Ambitione, meo perfusas sanguine valles
Invisent, sacraeque dabunt foelicia terrae
Oscula, foelices lacrymas, et vota refundent.
Vos pulchris actos studiis deducite laeti
Per cedros, per oliviferi capita ardua montis:
Atque omnem saevae historiam percurrite noctis

Interea, et dulces avidis accendite luctus.
Huic operi merces, meritis his praemia stabunt
Spe, votis, desiderio, majora. Relinquam
Ipse mei aeternum monumentum, ac pignus amoris
Vallibus his: virides sanguis meus imbuet agros.
Deinde triumphali rediturus in aethera pompa,
Ultima Olivifero vestigia culmine figam.
Quin etiam flammis perituro ultricibus orbi
Cum suprema suis inclusos eruet artus
Lux oriens tumulis; redivivum a funere mundum
Has judex cogam in valles, his vestibus utar:
Et fortunati summo super aëre montis
Supplicia ingratis, gratis sua praemia reddam.

Dixit: et haud dubiam in mortem vestigia tendens,
Intrepidus maturat iter, metaeque propinquat.
Vendicat aeternae merito praeconia famae,
Subjectus Solymae campus, viridaria fundens
Daedala, spirantesque beato germine valles.
Non aliam terrae partem faelicior ambit
Luxuries, florumque decor, faciesque colorum:
Hyblaeos quamvis jactet Trinacria montes,
Alcinoique hortos, et custodita Draconi
Gramina victuris commendet Graecia chartis.
Praecipue, qua Cedrorum interclusus amaeno
Carcere, ceu Labyrintheis amplexibus errans
Faecundat valles torrens, et sidera florum
Provocat illecebris, numero, luce, ordine, cultu
Hortorum; quorum ille mihi pulcherrimus unus,
Montis Oliveti, quem sub devexa jacentem
Gethsemane insigni producit in aethera fama.
Non terrae ingenio, non versicoloribus umbris
Artificique manu; sed Majestate verendi
Hospitis: atque illo quo flexi poplitis antro
Impressa incumbens vestigia liquit: et illis
Quos lacrymis sparsit, quos tinxit sanguine flores.
Virginis hunc natus (nunquam heu! rediturus) in hortum
Ingrediens, geminos undeno ex agmine fratres,
Quos Zebedeo genuit faecunda Salome,

Et Petrum (reliquis ad limen sistere jussis)
Sevocat: et curis animo incumbentibus aeger:

Viximus o comites, (inquit) celerique dierum
Sese extrudentum lapsu confecimus aevi
Angustum fugientis iter: nunc ultima restat
Pugna, triumphato qua demum victor Averno
Vos iterum aspiciam; facilique per ardua ducam
Tramite, qua nostra fiet via pervia morte.
Interea infamis lethi causasque, genusque,
Et caecam procerum invidiam, casusque meorum
Volventi dolor infandus per viscera serpit.
Quare agite, et magni Genitoris Numina votis
Flectite supplicibus, vigiles, dignosque propinquis
Exorate animos, et pectora quisque periclis,
Promissi ingentis memores: ne terror inertes
Occupet: et turpi captos formidine frangat.
Sic ait; et noto, sociis avulsus, in antro
Procumbit: precibusque Patrem flagrantibus ambit.

Nunc ades, o vatum spes altera Virgo, piisque
Aspira propior studiis; dum tristia nati
Funera, et eximios orbi reserare triumphos
Aggredior. Tu Diva fave, tu rore beato
Torpentem renova: nam te juvat auspice, causas
Et seriem, et magnae primordia stringere pugnae.
Tu vati dignas operosa in carmina vires
Suffice: quando tuos amor est aperire dolores:
Et septem gemino pectus transfigere telo.

Fama refert (nec vana fides) flammantis Olympi
Orbibus expulsum, mundi cecidisse sub ortu
Luciferum; pariterque alios longo ordine clari
Aetheris indigenas, dum non toleranda furentes
Authorem sprevere suum, Dominoque rebelles
Arma movent, magnoque ducem praeferre tonanti,
Imperii infando rapti nituntur amore.
Hunc Deus ingenti divini luminis haustu
Imbuit: et quantum similari aeterna creatis

Fas erat, ipse sui simulacrorum nobile vultus
Finxit; et egregium immortalis Numinis instar.
Eximiis auctum donis, mundoque regendo
Aptum, stelligeri geniis praefecit Olympi.
Proh pudor! Artifici, Regique ingratus, honore
Concesso intumuit; majestatisque secundae
Impatiens, solium solio, sceptroque supremo
Aemula sceptra ambit, nullique imitabile fulmen,
Dulcibus heu! furiis blandaque cupidine tacti.
Caelestum pars magna, Duci exitiale trahenti,
In facinus, conspirantes, sub signa coire;
Et conjuratis certatim impellere turmis.
Parte alia Michaël, comitumque exercitus omnis
Pennigerum, scelus infandum indignatus, in hostes
Signa infesta movet: debellatosque triumphat.
Et rerum Dominus nutu omnipotente fugatos
Fulguris in morem stellantis fornice caeli
Expulit insultans: ac illaetabile jussit
Sulphureis mersos aevum producere flammis.
Victorem spoliis Michaëlem et honoribus auctum
Luciferi, lauro stellas imitante coronat:
Aeternoque sibi amplectens devincit amore:
Et meritas palmis turmas victricibus ornans,
Imperii in partem, suaque ipse in gaudia transfert.
Mox vacuas regni sedes, tot millibus Orco
Damnatis, rarasque expulsis hostibus alas,
(Namque omnes Superum in turmas insana cupido
Serpserat) aspiciens: vivos animavit in artus
Molle lutum: similemque sibi, et ratione potentem
Effigiem humano, dictu mirabile, vultu
Induit: ac laetos Paradisi divitis hortos,
Et gemini imperium mundi concessit Adamo.
Innumeros etiam foelici tramite soles
Delicias inter, nemorisque arcana beati
Gaudia, securum fati decurrere jussit:
Aeternum spondens vitae immortalis honorem
Ipsique, et generi venturo in luminis auras;
Tantum illam intactis pateretur surgere pomis,
Daedalii medio nemoris quae colle virebat

Arbor, et infaustae nitido sub tegmine frugis
Discrimen recti, et pravi claudebat. Amantis
Imperium Domini, facilique obeunda paratu
Jussa stupens, tenuique operae non tenuia poni
Praemia, se legi impositae subjecit Adamus.
Tum pacti memor officium curabat: et omni
Arbore, foecundo quam tellus prodiga partu
Damnabat mensis, nullo discrimine vescens
Fructibus abstinuit vetitis: metuensque futuri,
Fatali charam retrahebat ab arbore sponsam.
Interea ignivomis rapidi Phlegethontis ab antris
Ambustum caput attollens, tortisque comatum
Anguibus, amissos indignabatur honores
Lucifer, astriferique serenos fornicis orbes.
Dumque sui impatiens, memori secum ipse dolore
Exitii causas, atque irrevocabile volvit
Exilium; roseis divini vallibus horti
Aspicit errantem temere, et sine conjuge, nympham;
Captantemque auras, omnique in fronde vagantes
Lascivire oculos. Crevit dolor, iraque primo
Virginis aspectu: Cocytia flamma, furoris
Igne minor, saevos insani pectoris aestus
Obstupuit, suaque illo incendia fomite pavit.
Qualiter (ut fama est, sterili Polyphemus amore
Cum furit, et vanos gemitus Galathea, minasque
Securo ridet subter sua stagna decore;
Si sese incautum objiciat pulcherrimus Acis,
Saevior ignescit visu dolor: acta per auras
Fulmina, et abruptis praeceps e nubibus ignis,
Tardius oppositae perrumpit culmina turris;
Quam rabies, et rivalis sitis atra cruoris,
Cyclopem rapit in facinus: montem ille revulsum
Projicit, et torta juvenem ferus obruit Aetna.

Tune etiam nostras sperasti invadere sedes
E putri composta luto? morituraque morti
Insultas? Nos indecores, pulsique, profundis
Claudemur tenebris? Pudet irritasse rebelli
Caelicolum Dominum dextra; si sordida raptos

Lucifero terrae soboles affectet honores.
Non adeo attritae vires, infractaque virtus.
Stat bellum renovare; hominum genus omne perenni
Infestare odio, paribusque involvere fatis.
Esto: mihi nullam facilis victoria laudem
Afferat. Egregias tamen insultantis Olympi
Delicias amor est caelo exturbare: meosque
Rivales Stygiis mecum demergere stagnis.

Haec secum volvens, circumfusum aëra nutu
Densat agens; ementitisque coloribus aptam
Virginis in speciem, quae formosissima, fingit.
Aureus ambrosio surgebat crine superbae
Frontis honos, ventis quem diffundentibus ultro
Ire, redire sinit, neglecta pulchrior arte.
Blanda oculis lux, et stellis formosior oris
Purpura lascivi, Pario candore natabat.
Lactea furtive cervix serpebat ab altis
Indeprensa humeris, castigatisque decorum
Uberibus pectus (ceu vernis solibus arbor
Foecundata novo turgescit flore) tumebat.
At vero proprium reliquis decus addere membris
Dum parat, aetherea caeli regnator ab arce
Insidiis metas posuit; monstroque frementi
In ferrugineum pars caetera volvitur anguem.
Ille autem abruptae indignatus vulnera formae,
Qua licuit, vetitae squammas sub frondibus umbrae
Occultans, spiras tegit, ostentatque decorem.

Jamque propinquabat fatalibus Eva viretis,
Atque avidis inhians pendentia in arbore dira
Poma oculis, varias numerat laetissima dotes:
Singula nunc lustrat; nunc omnia: singula laudat;
Omnia miratur: nunc formosissima librat,
Atque animi pendet, palmamne his addat, an illis.
His sapor ad laudem est, color his victoriam, odorque
Conciliat: cunctis tamen, heu! jucundior arbor
Explicat illa suos, quae sola negatur, alumnos.
Nec satis est peccasse oculos, juvat ire, levique

Explorare manu: sed enim vaga lumina fallax
Sese ostentantis deflexit gloria monstri.
Obstupuit primo aspectu, sed criminis insons,
Et castam nulla mentem formidine pressa,
Advertit facilis gressum; dirisque propinquans
Arboris infaustae ramis, ac inscia, quantus
Insidias falsa Nymphae sub imagine tendat
Hostis; inauratae blanda dulcedine frontis
Carpitur, et sese, quamvis pulcherrima, damnat.
Quin etiam virides orbes miratur, et anguis
Sole renidentis squamoso pascitur auro
Imprudens. Et jam dubitat, majorne voluptas
Poma sit, an gemini faciem spectare draconis.

Ille ubi non cautam primo certamine sensit
Posse capi, ramos, inquit, frugesque beatae
Arboris, o mundi virgo spes sola futuri,
Aspicis? anne oculis tantum haec concessa voluptas?
Eia age, carpe manu, dulcis labor, ipse praeibo.
Frugibus (illa refert) non exorabilis illis
Mors inclusa latet: namque hanc ex omnibus unam
Omnipotens libare vetat: dirumque minatur
Funus, et infaustos legem violantibus annos.
Nescis, heu! nescis (infanda subdolus infit
Arte draco) quibus haec virtutibus aemula caelo
Arbor ovat, reliquis praestantior una, virentes
Queis sylvae, collesque tument; quas divite nutrit
In gremio, lucisque tuus Paradisus amoenis.
Huic illa, aeternis quae fructibus aurea saecla
Continuat; validasque caduco in corpore vires,
Cedit, et amisso palmae livescit honore.
Nam quo perpetuae domum memorabile vitae,
Aeternique dies, quos ignorantia recti,
Obliquique, alta mersos caligine torquet?
Nec vanos ibi finge metus, fatique latentis
Insidias, ubi luce sua sapientia regnat,
Excussura omnem, quae nunc obducta tuenti,
Immortalem animum densis nox implicat umbris.
Ergo age, carpe manu, roseisque intercipe labris

Nil metuens. Oculis clarum mentique refundes
Attonitae lumen. Miraberis ipsa parenti
Te similem, similemque virum: deductaque in omnem
Progeniem paribus curret sapientia fatis.

Talibus illecebris, malesuadique arte draconis,
Res effecta. Rapit vetitos virgo impia foetus:
Libatosque viro redeunti obtrudit. At ille
Conjugis insidiis victus, dotale venenum
Inque suum praeceps funus, stirpisque futurae
Exitium, invitis obtrusum faucibus abdit.
Sic Vulcanigenae quondam meretricis amoena
Pixide deceptum, fama est, Epimethea clausas
Omne genus pestes terrae reserasse, novamque
Invexisse orbi maciem, febriumque cohortem.
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes hominum. Infensi nutu revocata parentis,
Et dirum justo scelus aversata furore,
Ad superos Astraea redit. Concordia rerum
Solvitur, excusso conjurat foedere in unum
Naturae vis tota hominem: Dominoque rebellem
Invadunt junctis elementa, animantia, telis.
Tunc et semoti revocata potentia lethi est:
Atque exarmatae sua spicula reddita morti.
Continuo gladiis dextram flammantibus armant
Caelicolae, sacrisque reos excedere lucis,
Et steriles terras, spinis damnata novare
Jugera, pernicesque novis sudoribus annos
Protelare jubent: caeli interclusa micantis
Janua, poenarumque aeterna merentibus urna
Imposita est. Premit incumbens vindicta parentum
Et natos natorum, et qui nascentur ab illis.

Hic saevo insultans monstrum ferale cachinno
Vicimus exclamat, victi. Haec, haec praemia, caelum
Post me ausi sperare, ferant: sic itur ad astra
Scilicet, et nostrum conscendit pulvis Olympum.

Non tulit invisam rabiem, vaesanaque dicta

Omnipotens, lapsumque hominem miseratus, inani
Nequicquam infélix tumidus spe tolleris, inquit.
* *Quo vicisse putas, ligno vinceris, et hostem*
Foelici victrix pede foemina proteret anguem.
Qualiter attritis foecundae conjugis ovis
Cum petulans turget pavo, gemmataque caudaė
Sidera pandit ovans; et se miratus, in omnem
Torquet agens pennarum oculata volumina partem:
Deflexis incaute oculis vestigia foeda
Si videat, virides demisso syrmate pennas
Contrahit; et sese fugiens, inglorius imas
Conditur in latebras: sic consternatus ad illud
Intremuit fulmen Pluto, falsoque colorum
Excusso splèndore, pavensque, fremensque, pudendum
Immersit Stygio amne caput. Mox improbus omnes
Scrutatur cunas, si quae vestigia detur
Victricis Matris, victoris cernere nati.
Dein gravibus justos odiis premit; impia terrae
Sacra, suos templis positis inspirat honores.
Si forte aeterni magnum Genitoris amorem
His scelerum furiis polluto avertere mundo
Detur, et invisum Bărathro praevertere partum.

Primus Avernales rapuit sub pectore flammas
Invidia stimulante Cain. Nondum improba belli
Fatiferos rabies in vulnera fuderat enses;
Nec ramis viduata suis, hastile cruenta
Cuspide praefixum bello damnaverat Ornus;
Nulla Cydoneis mors occultata pharetris
Prodierat; nondum Lernaea tabe sagittas
Vindictae sitis imbuerat, viresque nocendi
Auxerat accitis cumulanda in fata venenis:
Invenit tamen arma dolor: fuste impius ultor
Saeviit, et primo corrupit sanguine terram.
Mox sceleris sub mole gemens, caedisque peractae
Exemplum metuens, nova propugnacula, et altis
Turribus insignes in caelum sustulit arces.

Nequicquam; claudo tandem pede poena merentem
Assequitur, laterique haeret feralis arundo.
Continuo ruptis egressi Tartara vinclis
Obsedere orbem immites Acherontis alumni;
Mille dolis furiisque armati, et pervia Diti
Pectora perpetuis scelerum astrinxere catenis.

Jamque Cainigenum stirps caelo invisa, parente
Deterior, stimulis inferni accensa, profanis
Omne nefas animis meditatur, et omnia Divum
Arbitria effraeni derisa libidine calcans,
Alterno nullam patitur sine sanguine noctem,
Nullam adeo transire diem. Jus, fasque, piumque,
Pro scelere est: nulla ara Deo, nulla aetheris usquam
Relligio, nisi quam fraterni sanguinis unda
Imbuit; impositoque liquescens hospite flamma.
Heu nullo scelerum partu saturabile Ditis
Ingenium! nihil his illi successibus actum est,
Dum superesse videt melioris pectora venae
Setiginas, Stygia nondum caligine tactos.
Ergo Cupidineis depromens mille pharetris
Tela, venenatis juvenum praecordia flammis
Irrequietus agit; falsis deludit amantum
Illecebris oculos; funestaque arte, profanis
Virginibus, quae sacrilegi de stirpe Caïni
Prodierant, roseos vultus, formaeque decorem
Callidus ingeminat, dat eburnea colla, comasque
Tingit, et Assyrio madidas deducit amomo:
Substringitque aures gemmis, pectusque monili,
Et teteres fulvo digitos discriminat auro.
At vero castis Sethi de gente puellis
Nativum informi subducit nube colorem:
Obtusos oculos fingit, liventia labra
Induit, et tetris horrentia tempora rugis.
Interea rapidis juvenum per viscera telis
Bacchatur malesuadus amor; spretaque parentum
Majestate, Caïnigenum connubia; mores,
Criminaque, insidiis tracti, exemplisque sequuntur.

Quis detestandae monumenta libidinis edat?
Quis referat Furiis sobolem obstetricibus ortam?
Quis vel inexhaustis Musarum fontibus actus,
Parnassoque omni madidus, cui tempora circum
Nectat adoratas et Smyrna, et Mantua lauros,
Dira Giganteae percurrere crimina stirpis
Possit; et innumeras numeris concludere pestes!
Infelix gemuit scelerum sub pondere tellus.
Horruit et caeli moles operosa; trementes
Avertit refugo Phoebus temone jugales,
Ipse adeo ingrati pertaesus crimina mundi
Omnipotens, toto in poenas decurrere caelo
Nymbosque, pluviasque jubet: facto agmine, ab alto
Nymbique, pluviaeque ruunt; freta densa stupenti
Incubuere solo, quibus auxiliaria junctis
Flumina vorticibus conspirant, montibus undae
Praecipitant. Tellus tot aquarum fluctibus hausta
Obruitur: pereunt sylvae, latuere sub undis
Aërei montes, aequataque culmina caelo
Despicit immerso jam celsior amnis Olympo.
Agricolae armentis confusi, civibus urbes,
Una morte natant: improvisusque volucres
Deprensas summa demersit in arbore pontus.

Ne tamen occideret penitus genus omne, ruenti
Prospexit mundo Omnipotens. Felicibus Arcae
Inclusus latebris numerosa prole sepultas
Vitisator gentes, Caelo miserante, Noëmus
Restituit ligno tutus. Dein patria fugit
Oppida Thariades; sterilisque in margine vitae
Fit Pater: et manifesta Deum promissa, suaque
Accipit exultans venturum e stirpe nepotem;
Qui genus humanum Divini Sanguinis unda
Asserat, et ruptis educat in astra catenis.
Quid memorem, ut media Isacides in morte natantes
Attollens oculos Regali murice Judam
Induat: et stabilem Sceptri promittat honorem
Regis in adventum CHRISTI? praesagia vatum
Enthea, et Amosiden taceo, cui Regia Virgo

Visa novo terras partu renovare jacentes:
Jesseique modos plectri, Medique Prophetae
Hebdomadas: neque enim castas ignota Sibyllas
Promissi nova regna ducis, partusque latebant.

Haec vatum responsa libris mandata, gravesque
Justorum gemitus Stygios perrumpere nexus,
Et duros pomi cupientum evadere nodos,
Taenarium magno Regem terrore, novisque
Accendere odiis: caeco furit invidus oestro,
Evolvitque dolos, atque omnes explicat artes
Unius exitio: si qua explorare potestas,
Promissum toties fundant quae saecula CHRISTUM.
Praecipue quando medio clarissima caelo
Explicuit nova stella decus, Phaebique serenos
Perstrinxit radios, fulvoque per aethera currens,
Lumine, Chaldaeos in Bethleemitica duxit
Arva duces, nati reserans cunabula Regis.
Hic saevum incendens caeca ambitione tyrannum
In puerum frustra stimulat. Namque ille silenti
Arripiens sub nocte fugam, simulacra Deorum
Comminuit. Nigro crevit formido tyranno,
Dum sua lactentem delubra lacessere cernit.

Ast ubi post tenerae latebras, obscuraque vitae,
Bis tria permensus quinquennia CHRISTUS, opacis
Egreditur sylvis; urbi, gentique stupenti
Carmina Jessidae, vatumque arcana Sacrorum
Evolvens aperit: cum caecis lumina, claudis
Gressum, aures surdis, elinguibus ora, potenti
Imperio renovat: quando implorantibus aegris
Sufficit amissas vires, functosque fremente
Morte jubet conclamatis prodire sepulchris:
Atque illi ad nutum redeunt, vitaque fruuntur
Posthuma, et abruptos relegunt felicius annos:
Implacabilibus furiis agitatus, hic, inquit,
Hic ille est captivi orbis spes unica, nostri
Aemulus Imperii. Nec plura moratus, Averni
Omnigenas vires, atque omnes improbus artes

Excutit; et diris Pharisaeum pectora in hostem
Accendit stimulis, odioque alimenta ministrat.

Interea attonitam monstris ingentibus urbem
Circum fama volat subvecta loquacibus alis;
Insignemque novis spoliata morte trophaeis
Adventare virum spargit, quo pulsa jubente
Aethereis juvenem bis natum reddidit auris.
Ergo omnis populus manifesto numine tactus
A portis in prata volat: murisque relictis
Hospitis adventum miro praevertit amore.
Ecce autem inflexi emensus fastigia montis
Floriferos CHRISTUS jam descendebat in agros;
Continuo festis palmarum frondibus omne
Vernat iter: tunicas, et quae cultissima cuique
Ornamenta, solo certatim sternere gaudent.
Ipsi etiam pueri Sancta divinitus Aura
Afflati, laetum recinunt Paeana; Deumque
Securi procerum, divinis laudibus ornant.
Accinit his populus, clarumque Hosanna frequentat.
Hosanna intonsi montes, Hosanna sonorae
Ingeminant valles, et Nymphae Hosanna refundunt.
Occlusere aures Scribae, legisque periti,
Et majora rati pueros praeconia, quam quae
Mortali quemquam deceant e stirpe creatum
Accumulare, fremunt, indignanturque, jubentes
Ut pueris indigna canentibus obstruat ora.
CHRISTUS ad haec: an fatidici praesagia Regis
Exciderunt animis? Infantumne ora jubetis
Occludi, quae siderei manus ipsa Parentis
In Nati laudes aperit? sed claudite tandem,
Claudite, si tali, immeritum me dignor honore:
Olim eadem rupes, et conscia saxa loquentur.

Haec fatus, populo inceptum plaudente resumit
Tristis iter: Patriique petit sacra limina templi.
Sic ubi fallaci venantum indagine clausum
Eripuit catulum ruptis leo nexibus; ira
Turbidus, et tremula mentem formidine pressus

Victorem strepitu, cornuque lacessit; et omnem
Venator timidis sylvam latratibus implet.
Interea vanas victor sine viribus iras
Spernens in sua lustra redit; catulumque parenti
Restituit. Plaudunt sylvae, laudantque recepto
Fratre triumphantem soboles generosa leonem.

Viderat haec summa Caiphae speculator ab arce
Lucifer; et furiis animum inflammantibus impar:
Ast alios, inquit, plausus, aliosque triumphos
Spectandos jam jam dabimus. Nec plura locutus,
Se Stygiis mersit tenebris, aurasque reliquit.
Ut primum inferni postes irrupit ahenos,
Tartarei trepidare canes, horrescere sparsae
Eumenidum per colla comae; namque igneus imis
Visceribus furor exundans, Cyclopea flammis
Lumina torrebat, Majestatemque tyranni
Terribilem mistus pudor irae, ac additus illis
Augebat fastus. Tandem indignantia solvit
Ora; tremunt pavidi verborum ad fulmina manes.

Ergo tot insidias, et tot patiemur inertes
In caput invisum frustra cecidisse labores?
Quid mihi inhumana lactentum caede cruentus
Praestitit Herodes? tot CHRISTUM in millibus unum
Extinctum volui: totque ille e millibus unus,
Elusa infandi fraude, et feritate tyranni
Niliacis latuit fati securus in oris.
Quid loquar ut juvenem jejunia longa trahentem,
Et sub inaccessis latitantem cominus umbris
Omni arte invadens (taedet meminisse, pudetque)
Heu nihil evici. Sylvis egressus amoenis
Indomitas verbis mentes versatque trahitque
Victor, et aetherei flammis incendit amoris.
Nec formidatus Phariae Dux Corniger aulae,
Nec fortunati nemoris vetus incola, caelo
Invectus rapidis vates homicida quadrigis,
Talibus attoniti monstris praecordia vulgi
In partes traxere. Parum est renovare sepultos:

Quando etiam (rerum Domino quae propria virtus)
Nescio quo scelerum confidentissimus ausu
Dat veniam: atque ipsis Cocyti e faucibus aufert
Faecem hominum, sedesque jubet sperare beatas.
At nos indecores, nec vi, nec fraudibus hostem
Crescentem opprimere, atque Erebro suprema minante
Sufficimus: quamvis signa auxiliaria jungat
Leviadum officiosa cohors: meque arma parante
Nunc saxa effundant rabidi, nunc vincula tendant,
Innumerasque nocendi artes. Nil omnibus actum
Tantorum impensis scelerum, consumptaque in unum
Frangitur et Patrum rabies, et machina Ditis.
Quod mihi, quod vobis, comites, sperare licebit,
Aut decus, aut regnum, quae demum altaria; quando
Bis magna victi pugna, caeloque, soloque
Pellemur, superum risus, et fabula terrae?
Quare agite, imperium Ditis, mundique subacti
Sceptra, armis omnes, animisque calentibus una
Adnixi firmate: piget cessisse superbis
Caelicolum turmis; homini succumbere victo
Dedecus infandum aeternumque: hoc vincite saltem,
Hoc prohibete nefas. Sed enim pudor iste frementes
Jam dudum stimulat: surgunt e pectore flammae
In vultus, tumidisque horrescunt colla colubris.
Tune meos mihi surripies, injectaque saeclis
Omnibus excuties captivae vincula stirpi?
Ante tibi clauso dabitur revocare cadaver
Compositum tumulo; et diruptis postibus Orci,
Aurea siderei penetralia scandere Olympi.

Talibus anguigenas deformia monstra cohortes,
Selectas Erebi pestes, ditissima fraudum
Ingenia inflammans, trahit in nova praelia dictis.
Accingunt certatim operi se quisque; modumque
Criminis ambiguo cruciant, mutantque paratu.
Omnes divitiae scelerum, fraudumque supellex
Excutitur. Sed quamquam animos idem omnibus ardor
Ad mala praecipitet: tamen insociabilis omnes
Huc trahit atque illuc vis tanta superbiae, ut artes

Quisque suas jactet, comitum commenta refellat.
Haec conspirantum furias discordia turbat.
Ceu cum praecipites fugiunt e carcere currus,
Meta eadem petitur, diversaque semita fervet.
Aut ubi luctantes rapiunt freta turbida venti,
Deprensasque trahunt puppes: furor omnibus unus,
Discordes animi patrio ruit Eurus ab ortu,
Occasu Zephyrus, Boreas Aquilone refusus
Stridet, et imbricitor medio furit Auster ab axe.

At dudum insanos Erebi indignata tumultus
Tisiphone, scelerisque novi secum ipsa refingens
Effigiem, ferrugineo improvisa cubili
Exilit: et velut ingentis secura triumphi,
Ingeminat rabidos ferali gutture plausus.
Mirantur furvi proceres, miratur Averni
Arbiter, in tanto Stygii discrimine sceptri,
Quae nova laetitiae tumidam, atque immane frementem
Causa trahat. Piceis illa hinc, atque inde venenis
Spumantes volvens oculos, nec passa rogari:
Hunc mihi si merui, nunquam frustrata vocatus
Successu fallente tuos, hunc maxime mundi
Arbiter occidui, facilis concede laborem.
Ni mea me innumeris virtus dotata trophaeis,
Destituat; Caiphae votis, nostrisque secundos
Eventus nox ista dabit. Ne quaerite tanti
Ingenium sceleris, sed collaudate parentem.
Tantaleas haec nox epulas, solemque fugatum,
Colchidis infandae furias, Danaique cruentos
Absolvet thalamos. Phoebi revocare quadrigas
Attoniti, vulgare nefas: nox ipsa stupebit
Ad facinus perculsa meum, currumque nigrantem,
Atque hortatrices scelerum reflectet habenas.

Talia jactantem Rex illacrimabilis Orci
Obtutu fixo admirans, magnique superbam
Promissi faciem, et diri mala gaudia vultus,
Arripit infandis laetum conatibus omen.
Ipsae etiam Eumenides, quamquam invidere sorori,

Hortantur tamen ad facinus, coguntque volentem.
Nec mora sulphureis jaculati fulminis alis
Ocyor, obscuri penetrans caeca invia mundi
Evolat, et diris devotam erumpit in urbem.

Non procul a Solymae muris, ubi ludit amoenis
Interfusus agris, vitreis spectabilis undis
Fons Siloë, quondam aeterna laetissimus umbra
Lucus erat. Lucis Salomon hunc omnibus unum
Praetulit: hic rapidos gaudens eludere soles,
Sacraque divino modulari carmina plectro.
Ut vero illecebris fractus muliebribus, aras
Saturno, Venerique suas, Bacchoque dicavit
Saevaque progenies Stygio factura Molocho,
Imposuit rapidis infantum viscera flammis:
Ex illo ingratas valles, lucumque perenni
Damnatum squalore, comis vernantibus orbum,
Et Charitum chorus, et formosi veris alumnus
Destituit Zephyrus. Fati praenuntia bubo,
Obscoenaeque stryges, et luci inimica cruentos
Nycticorax ramos habitat, vulturque sagaci
Trans pontum doctus deprendere funera rostro.
Nocturnas illic choreas, epulasque dolosas
Sidoniae, Tyriaeque, Palestinaeque frequentant
Medeae: grave olens Magici Dux carminis Hircus
Instruit ipse epulas, et inania fercula ponit:
Et vocat admorsas aversus ad oscula sagas.
Hac iter ad Superos, per opacae viscera terrae,
Tisiphone rapit exultans: neque enim altera Diti
Gratior infaustum Solymae via ducit in urbem.
Terrifici adventu monstri radicibus imis
Impulsum trepidare nemus, mugire cavernae,
Urbs tremere, avulsaeque altis a sedibus arces
Ingentem attonito populo portendere cladem.
Protinus ad Caiphae tristi gratissima Averno
Limina flectit iter. Media sublimis in aula,
Leviadas inter proceres fulgebat eburno
Compositus solio Caiphas, acuensque furorem,
Urgebat CHRISTI exitium dignumque fremebat

Successum insidiis non respondere paratis.
Tisiphone haec inter charos ingressa penates,
Terribilem vultum, tristique natantia tabo
Lumina componit, crinales verticis angues
Temperat, et posita furialis imagine formae,
Induit effigiem, vocemque, humerosque Rubeni;
Qui Caiphae famulos inter gratissimus unus,
Nec Judae comes ingratus, cum flumina propter
Incautos tremula captaret arundine pisces,
Piscosasque avidis turbaret retibus undas.
Ut venit, ignescunt animi: implacabilis ira,
Et praeceps in tela furor, saevusque nocendi
Ardor, et impatiens obicis dolor, aemula magnis
Invidia, invisi sitis impacata cruoris
Altius increscunt, et turbida pectora versant.
Postquam sanguineum satis exacuisse furorem
Visa, novos aditus sceleri, opportunaque furtim
Consilia inspirat. Duodeno ex agmine quemquam
In partes terrore, dolis, donisque trahendum
Suggerit. Unanimi Patres sententia in atrum
Conspirant facinus votisque hac omnibus instant.
Et Caiphas hilari fidos hinc inde pererrans
Intuitu famulos: quem vestrum haec gloria dignis
Sollicitat stimulis, dulcique cupidine tentat?
Vix ea protulerat, vocemque loquentis Erinnys
Excipit exultans: me, me Pater optime, solum
Me labor iste vocat: certam mihi retia praedam
Jam dudum disposta parant. Vel fabula vulgi,
Vel pila fortunae dicat, ventosaque magno
Verba crepans importunus promissor hiatu;
Si comitum e numero nullum vel perfidus auri
In Dominum corrumpat amor, vel Daedala fandi
Copia, victricisque potens facundia linguae.
Applausere omnes, animisque volentibus, amplis
Accumulant donis promissa, onerantque profusis
Laudibus. Ingressu rerum sublata secundo
Tisiphone laeta confestim erumpit ab aula,
Altaque Jessei pennis fastigia templi
Exuperans, totamque aspectans desuper urbem;

Hac illac celeres oculos per maenia torquet:
Iscarium si sors Judam laeta offerat, ille
Solus in hanc scenam placuit, cui cura peculi
Credita communis, curis agitabat amaris
Impacatum animum, lucrique cupidine tactum,
Dum Bethphageos deflectit lumina in agros,
Ecce iracundo similem, similemque minanti
Adventare videt. Bethanes liquerat arces
Magdalidis nimium sumptum indignatus, odorae
Pocula quae Nardi felici prodiga luxu
In caput, inque humeros mensae accumbentis JESU
Fuderat: Assyriis redolet domus ebria nimbis.
Ut videt celeri tendentem ad maenia gressu,
Marmorei tremulo descendens culmine templi
Occurrit, blandaque amplectens voce salutat.
Ille improvisi occursu turbatus amici
Haesit, et incerto perlustrans undique visu
Agnovit tandem: mentito brachia collo
Circumdans, ligat amplexu, et sic deinde profatur:
　　Tene ego post longos gemitus, durosque labores
Infelix iterum aspicio? jam heu sero! recordor,
Quas tecum noctes, et quam felicia duxi
Tempora. Proh demens! qui jussa aliena secutus,
Faecundos lucri fluvios, atque aurea stagna
Deserui, ventos pascens, spe captus inani.

　　Talibus implicitum curis crudelis Erinnys
Accipiens, tortis raptum de crinibus anguem
Intima dicentis furtim in praecordia subdit:
Atque oculos falso rutili fulgore metalli
Perstringens; super haec fictos suspiria cogit
In gemitus, velut indignos miserata labores.
Tum quae sit fortuna viro, quae dura gementem
Sors agitet, rogat; afflictis solatia rebus,
Auxiliumque jubet sperare. Vibrantibus auri
Illecebris ictus, vidui despexit in ima
Folliculi, vacuosque sinus invertit; et eheu!
Quid volui subicit misero mihi, dum tua CHRISTE,
Dura sequens mandata, inopi me obtrudere vitae

Constitui, et dulces socios, dilectaque liqui
Flumina, quae facilem victum, dextramque parabant
Aere gravem? at nunc praeda fami, macieque peresus
Vix tendo gressus. Tu nil miseratus alumnum
In caput, inque pedes peregrina unguenta refundi
Et sinis, et laudas pretiosi prodiga odoris
Obsequia: at nos interea jejuna per arva
Nondum maturam Cererem, indignantibus ipsis
Agricolis, crudasque jubes invadere aristas.
Hae nobis in festa dapes. Tu celsa frequentans
Atria nobilium, et vexatas divite mensas
Luxuria celebrans, nos scilicet! omnium egenos
Spernere divitias, paupertatemque beatam
Affectare mones. En quo spes credula Judam,
Aureaque egregii traxerunt verba magistri!
Si qua tui quondam tangit te cura sodalis,
Consilium desperatis charissime rebus
Auxiliumque para. Sequar o quocunque vocabis:
Tantum jactatae felicior aura carinae
Aspiret. Jam fixa mihi sententia sedit
Invisum partibus gentique relinquere CHRISTUM.
Fallor? an et comites eadem fortuna sequetur?
Imo ait (arrepto jam tempore) tristis in omnes
Discipulos merito procerum vindicta furore
Saeviet incumbens. Frustra revocatus ad auras
Aethereas magici infanda vi carminis, omnem
Funere decepto perturbat Lazarus urbem.
Namque illum graviora manent jam fata, secundo
Damnatum tumulo. Sed enim propiore periclo
Maturanda fuga est. Imusne? an temnere fata
Fert animus, nec aperta miser discrimina sentis?
Qua tamen effugies? num te subducere justis
Leviadum furiis fugientem patria rura
Posse putas demens? sin extera quaerere regna
Mens tibi certa: ignotus, egens, irrisus, in omne
Ludibrium expositus fortunae, heu tristior ipsa
Vita nece! errabis. Ferrum, et quodcunque minantis
Vindictae telum prona cervice pavebis
Attonitus semper, fugiesque. Peribis ad omnem

Turbantis Zephyri, trepidantis arundinis auram.
Quae tamen. Hic presso sata nocte obmutuit ore,
Offusam subita turbans caligine mentem:
Ut vanis ementiti discriminis umbris,
Et gemino in casses actus terrore latentes
Incideret. Gelido interea pallore serenum
Obducit vultum, veluti miserata sodalis
Infausti casum. Tum qua ratione pericli
Immunem reddat, tacito se pectore fingens
Improba nequicquam meditari; dentibus ungues
Demordet, digitis scalpit caput, aestuat, haeret,
Frontem contrahit. Obliquo sed lumine Judam
Perlustrat furtim (ceu pictis callidus escas
Aligeris auceps dispensat, piscibus aptas
Venator tremula insidias sub arundine condit)
Dein velut excusso tandem discrimine, frontem
Porrigit exultans, et blando haec ore profatur:
    Quae tamen audenti certam spondere salutem
Possit, et argento vacuam fulcire crumenam,
Ampla tibi Juda superest via. Pelle timorem,
Fortunaeque alacris jam tandem occurre faventi:
Ne quisquam comitum te fortunatior horam
Occupet, et gemitus cunctanti leget amaros.
Leviadae, primique Patrum, quos cura sacrorum,
Moseae quos legis amor Divinitus urget
Sacrilegi infandis Galilaei occurrere coeptis
Et diros prohibere ausus; ingentia spondent
Dona viro, patriae qui jam labentis amore
Incensus, templique, et relligionis avitae,
Indignos Josephiadae praevertere ferro
Conatus, meritisque incautum innectere vinclis
Ausit, et ignotas per noctem aperire latebras.
O mihi si qua foret tantum haec sperare facultas!
Irrita jam toties procerum, patriaeque cadentis
Vota trahi paterer? tu, cui data copia tantae
Laudis; si patriae pietas praecordia tangit,
Si vitae tibi dulcis amor, si praemia curas
Confectus faeda macie, vivumque cadaver,

Macte animis: tibi nota tui nocturna magistri
Devia: tu faciles auditus, et tempora nosti.

Ille sub haec, vario curarum turbidus aestu,
Nunc auri illecebras animo, nunc criminis atrum
Infandi ingenium, nunc falsa pericula versat.
Et modo mendaci se laudis imagine pascit,
Nunc sceleris terrore riget. Nec gloria tantum,
Nec sceleris pudor ipse movet: quantum anxia poenae
Formido, et noti indubitata potentia CHRISTI.
Et jam supplicii retro formidine ferri
Coeperat evictus; penitus cum lapsus in ipsas
Gorgoneus fibras anguis circum undique morsu
Vipereo duri strinxit penetralia cordis.
Quod simul ac sensit pestis Cocytia, segnes
Rumpe moras inquit: nam quae te cura volentem
Solicitet, quando nihil hac in parte timendum
Audenti? fortuna tuis pulcherrima votis
Arridet, monitisque meis: quae fidus amico
Aurea do miseram per tot discrimina vitam
Hactenus in luctu, et faedo squalore trahenti.
Me duce, me, Caiphae tectis gratissimus hospes
Dum praesens favet hora, ac irrevocabilis urget,
Succede: et numos, quos prodigiosa superbi
Prostibuli, et conspirantis manifesta magistri
Abstulit ambitio, felici faenore dulces
In folles revoca. Tuus explorare latentis
Antra labor; tum deinde mihi, Caiphaeque relinque
Quod superest. Re perfecta securus, et auro
Ditatus, ductis everres retibus amnes.
Finge tamen non posse capi, vel vincula captum
Excutere injecta (ut lapides jam saepe volantes
Colludente Erebo, meritaeque pericula mortis
Elusit, nebulis tectus) tibi certa manebunt
Munera, et egregii immortalis gloria facti.
Nec metus hunc facti memorem fore: namque benignum,
Et precibus flecti facilem, scis ipse, magistrum:
Si te flectendi subeat vaesana cupido.

His dictis labefacta fides, pulsusque profano
Corde timor. Rapidi pennis velocior Euri
Ducentem sequitur: Caiphaeque admissus in aulam,
Immeritum vendit pesti devotus amicum.

LIBER SECUNDUS.

At parte ex alia, qua vatum sacra piorum
Consilia effusis pulsabant aethera votis,
Ut longum exilium, et tenebrosi carceris umbras
Solveret Omnipotens, superumque recluderet arces;
Spes nova maerentes animat: namque ales ab axe
Stellifero demissus adest; patrioque coruscans
Lumine, diffusis obscura diescere flammis
Atria, squalentemque jubet decedere noctem.
Arrexere animos manes, et luminis aura
Perfusi, tristes certatim absistere curas
Mirantur; subitoque insuetam inserpere lapsu
Laetitiam. Aetherei dotes lustrare juvabat
Hospitis, et divinum oculis haurire decorem.
Mox ubi spectandi primus decesserat ardor,
Certatim agglomerant; circumfusi agmine denso
Includunt medium. Spes libertatis amoenae
Solicitat caecas veniendi exposcere causas.
Ante omnes Obediades, cui regia Judae
Sceptra manu fraenare datum, dum vita manebat:
Quem belli laurus, plectrique aeterna coronat:

Ergone siderea Superum legatus ab aula
Solus ades pennatorum pulcherrime divum?
Nec magni soboles toties promissa parentis

Durum exegit iter? rapidis heu! tempora votis
Tarda fluunt, celeres spes longa intercipit alas.
Ni mea me post fata canentem oracula fallant:
Expectata dies domitum visura propinquat
Luciferum, metamque piis positura querelis.
Ales ad haec: non te Isacidum sanctissime Regum
Destituunt Superi, nec vana oracula ludunt
Faecundam caeli mentem: cum proximus orbem
Sol fugiet procerum pulsus plebisque furore,
Aeterni patris soboles, tua certa propago
Hic aderit; victique effractis postibus Orci
Supremi nitidas caeli deducet in Arces
Egregias divum mentes, quas culpa parentum
Implicitas longum meritis exclusit ab astris.
Haec me Sidereis delapsum sedibus urget
Testari Superum Pater. Immutabile Sanctis
Pondus inest verbis, et nutum fata sequuntur.

Haec ubi dicta: animos tollunt, laetumque frementes
Ingeminant Paeana patres. Percussa canentum
Vocibus intremuere Orci illacrymabilis antra.
At laetos plausus, et dulcia carmina, maesti
Amosidae gemitus turbant, suspensaque fraenant
Gaudia, et invitos revocant ad tristia manes.
Hic olim ad Superos propiori numine castam
Afflatus mentem, divinitus atra renato
Supplicia expendenda Deo praeviderat: et jam
Enthea divino madidus praecordia rore,
Spem queritur properare suam: quaeque aethere nostro
Vescens, vel rupto descendere gaudia Caelo
Orabat, dilata cupit, malletque negari.
Obstupuere animis omnes, precibusque laborant
Eruere arcanos illapsi numinis haustus.
Ipse adeo aetherea Gabriël legatus ab arce,
Ante omnes stupet ignoti sibi luminis auram
Divinum tetigisse senem: primusque, supernos
Pande, ait, illapsus; comitum nec gaudia differ,
Regressusque meos. Tum demum maesta resolvit
Ora: admirati tenuere silentia manes.

Heu mihi! quod tanto victoria sanguine nostra
Parta venit! Patrumne tuis sanctissime poenis
Supplicium redimes? vinctus mihi vincula solves
Nate Deo? roseo sudantem sanguine, et aegros
Purpureo versantem artus in pulvere cerno.
Dignius hoc pingi caelum, quo pulchrior astris
Jam mihi terra rubet. Sed enim malesana propinquant
Agmina Romulidum: Christum abductura revinctum
Infelix Judaea ruit. Tu CHRISTE superbos
Frange animos; tu sterne solo flammasque virosque
Armaque, divinae vibrato fulmine vocis.
Heu mihi! nequicquam sternuntur. At impia saltem
Oscula, et infandum Judaë compesce furorem.
Ecce, ecce, Omnipotens cognato sanguine victus,
Victus amore mei, scelerum jam vincla meorum
Sponte subit: trahiturque sacram ceu victima ad aram.
O Genitor! potes haec vultu spectare sereno?
Infando decuit nati ora satellitis ausu
Foedari? nec pro Domino conjurat in arma
Impatiens natura suo! quin ecce protervis
Ludibriis onerant: infami lumina velo
Obnubunt sibi, non CHRISTO: videt omnia CHRISTUS,
Impiaque aeterna caligine pectora justus
Arbiter obducit. Tune, o vesane, Supremi
Numinis in sobolem insurgis? mortique cruentae
Authorem vitae addicis? jam scinde profanam,
Scinde stolam Caipha: perierunt omnia prisci
Jura Sacerdoti: melior stola sanguinis ostro
Divini imbuitur, nulli exuperabilis aevo.
Heu quo damnatum trahitis? ne cede cruentis
Primorum, ne cede odiis Romane: tyranno
Incesto spretum Regem tutare: nitorem
Innocuae mentis, nivei tibi candor amictus
Explicat. Heu! vano fractus terrore, flagellis
Virgineos artus lacerat, dein tempora spinis
Horrentem damnat. Tune ille es sentibus olim
Implicitus, sacrique aries in culmine montis
Thariadae oblatus, natum dum mactat, Abramo?
Isacidae caeci! post tot benefacta latronem

Non pudet artifici rerum praeferre? Barabbam
O habeas ut nacta tuum Judaea. Sed eheu
In caelis etiam vicit latro! Praesidis urnam
Immitis nato insonti, sed dulcis Adamo
Aetherei accedens firmat sententia Patris.
Quis tandem sonus ille virum? quae se agmina portis
Effundunt tanto fremitu? quae causa gemendi
Matronis? rerum Domino suprema propinquant.
Tune ergo reptas humeros miserande cruentos
Ferali oppressus trunco? mediusque latronum
Pendebis! sitit exhausto, sitit, ecce, cruore,
Qui tibi marmoreis dulces e rupibus undas
Produxit magni soboles ingrata Jacobi.
Jam saltem, jam redde vicem. Corrumpitur atro
Felle merum? ingratum moribundo munus, acetum
Porrigis in sterilem vitis mutata labruscam?
Culturae haec merces? aliam, Pater optime, vitem
Suffice: degenerans faeces Judaea propinat.
Ille tuus pincerna, latro, qui stipite dextro
Pendet, habet tenero gratissima vina palato.
Quantus io clamor morientis! morte subacta
Fons vitae occubuit: nec adhuc miseranda peristi
Virgo parens? illa, illa tuos penetrabit in artus,
Quae tenera extincti transit praecordia nati
Hasta, duos uno educens e vulnere fontes.
Ergo soporati crux haec paradisus Adami est?
E latere exanimis Christi producitur Eva
Pulchrior et melior. Patefacta emittitur Arca
Paciferis oleae ramis reditura columba.

His adeo mutati omnes; ipsumque beatae
Immortale decus vitae, lucisque perennis
Vulneribus Christi merces haud aequa videri.
Imo age sidereas repetens pulcherrime sedes
Amosides (sociis jam conspirantibus) inquit,
Aethereo Regi patrum pia vota fideli
Eloquio refer. Aeterni nos carceris atris,
Sic meritos, claudat specubus: nec sanguine nati

Immeritos caelo bonus asserat. Illicet ales
Admirans superas reditum maturat in arces.

Interea aeterni patris certissima proles,
Infandis laxas curis effundit habenas:
Caelestemque animum exercens, mirabile saeclis
Omnibus exhibuit, nullis imitabile, vivi
Maeroris specimen divini exemplar amoris.
Oranti genua aegra labant; corpusque pavoris
Miro incredibilis depressum pondere, terrae
Incubat allisum: tum creber anhelitus ora
Praecipiti pulsu, et languentes verberat artus.
Quam prope supremo torpentia frigore membra
Obriguere! ingens divini gloria vultus
Indigno squalore perit! miseranda vel ipsis
Hostibus, et Caiphae facies motura dolorem.
Heu mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo,
Qui super intonsi caelo vicina Taboris
Culmina, sidereum decus, egregiamque beati
Corporis effigiem pura sub veste refulgens
Explicuit nive candidior, redimitus amoena
Nube caput, dulci perfusus lumine, claros
Vincebat Phoebi radios: vultusque beata
Majestate sui, et patrio Deus ore patebat.
Quis te, Nate Deo, luctus, quae causa pavore
Horribili implicuit! tua dextera librat Eoum
Occiduumque latus, ruituraque pondera fulcit.
Nec potes ipse tuos, qui firmas omnia, gressus
Figere? tu caelum stellis, atque aurea flammis
Sidera, tu vario tellurem gramine pingis,
Pallentes dulci violas ferrugine, amoenas
Virgineo candore rosas, et murice vivo
Induis; alba suos referunt tibi lilia honores,
Ac musto gravidas livescens pampinus uvas:
Et decus omne tui, rerum pulcherrime, vultus
Hoc pateris squalore premi, melioraque stellis
Lumina corrumpi? putri quid pulvere crines
Dedecoras? heu parva queror! majora stupentem
Solicitant. Ut inaudito sudore trementes

Exundant artus! ut sanguinis unda rubenti
Prorumpens niveum pectus rigat imbre! calenti
Profluvio corpus penetrans, tunicamque cruentam;
Imbuit arentem pretioso murice terram.
Sit mihi Castaliis fas nondum trita camaenis
Avia tentare, occultosque recludere fontes;
Atque omnem tantae causam formidinis orbi
Pandere, semianimemque solo prosternere JESUM.

Cum faciles caeli leges fallacibus Evae
Illecebris infractus Adam rupisset; in altum
Aethera vindictam spirans Astraea recessit,
Incendens justis superos, patremque querelis.
Nec satis authorem sceleris damnare: petebat
Omnem polluta venturam ab origine stirpem.
At vero infaustam sortem miserata nepotum
Ingemuit graviter pietas, laesique parentis
Ambrosios amplexa pedes, orabat, amoris
Ut memor; ingrato si parcere nollet Adamo,
Saltem infelices alieno crimine natos
Solveret. Accessit lacrymis, et victus amore,
Quis tamen infando dignas pro crimine poenas
Quis mihi solvet? ait jam certa, refusis
Immortalem ambit precibus Clementia natum.
Annuit: et Patrio damnatam crimine stirpem
Intacto lustraturum se sanguine spondet
Humanos indutum artus, moribundaque membra.
Exin concordi Triados sententia, in unum,
Qui tanti memores exempla sequentur amoris;
Et quos bis meritam in mortem inconcessa voluptas
Ingratos retrahet, librum referuntur: et ipsa
Crimina, virtutes, adversa, ac prospera quoque,
Quemque modo in terris fugiantve, ferantve laborem.
Diversa sed enim scripti ratione: character
Aureus illustrat justos: atque atra nocentes
Litera condemnat. Tum septem inclusa sigillis
Omnia; signatumque tenet pater ipse volumen.
Nulli fas hominum clausum reserare; nec ipsis
Caelicolis, quibus immortalem cernere vultum

Annuit, ambrosiisque poli discumbere mensis.
Namque uni propria haec atque intemerata potestas
Aeternum CHRISTO manet, aeternumque manebit.
Virgineo ille latens gremio, vasti omnia mundi
Tempora, successus omnes, arcanaque rerum
Sidereae claro penetrabat acumine mentis.
Sed quia lactenti similes pulcherrimus infans
Induerat vultus, Divinam effundere lucem
Distulit in viridis florem, roburque juventae.
Post, ubi jam firmata virum monstraverat aetas,
Illustres sensim radios patefecit: et urbi
Occultas scelerum labes certissimus index
Prodidit, arcanoque infixas pectore curas.
Non alias tamen ardentem tam magna cupido
Evolvendi ingens tacita sub nocte volumen
Traxit, et instantis causas faciemque tremendam
Funeris. Ergo ubi discipulis avulsus in antrum
Cesserat, humentes oculos ad sidera tollens,
Membranas aperit libri septemplicis omnes.
Et coram explicitum spectans, cum laeta triumphi
Signa sui certatim animo se obtrudere sensit;
Invitos oculos retrahit, purosque dolores
Imperat effundi. Spissis involvitur umbris,
Laetitiam quodcunque parit. Sed turbinis instar
Praecipitant scelerum dirae, monumenta, furores,
Queis hominum in paenas mundi infelicis ab ortu
Ditatur Phlegethon, accensaque sulphure tetro
Cocyti stagna alta natant, Stygiaeque paludes.
Ac prima ante oculos pomi feralis imago
Objicitur, crimen generis fatumque nepotum.
Huic mille inclusae pestes, mille ostia mortis
Insedere: uno furiarum examina morsu
Mille aperit, scelerum aeterna compage revinctam
Inficit heu! totam vitiata ab origine stirpem.

Dum stupet haec, primaeque nefas lacrymabile culpae
Inspicit: ecce tibi caecis prodire latebris
Squalentis Limbi, damnati sanguinis author
Visus Adam; qualis caesi post funera nati;

Aëriae quercus, aut frondosae terebinthi
Incumbens trunco, contempti numinis iram,
Et scelus ipse suum flebat, sortemque nepotum.
Ut primum ante oculos, Divinique ora Nepotis
Constitit; exangui victus formidine, gressum
Rettrahit, et repetit, quas jam jam liquerat umbras.
Bis adeo in sacri limen successerat antri,
Bis retulit gressum, et retro vestigia flexit.
Quem simul ac tali mentem formidine pressum
Aurea Spes rutila superum prospexit ab arce:
In terram paribus miserans delabitur alis,
Et formidantem Divini nectaris imbre
Alma fovet, tremulique senis vestigia firmat.
Ergo animis auctus, claustrum venerabilis antri
Rursus adit: primo positis in limine supplex
Procumbit genibus; felici dulcia terrae
Oscula dat; lachrymis sine lege cadentibus herbas
Irrigat incumbens; nec adhuc sua credere verbis
Vulnera, nec tacitos audet producere luctus.
Nam velut ignivomis excussi fulminis alis
Afflato, vox, lingua, manus, sensusque, colorque
Aufugiunt; stupidosque gelu lethale per artus
Inserpens, pigro stringit praecordia lapsu:
Sic plusquam humanae vi majestatis Adamus
Attonitus, jacet ipse sui, causaeque viaeque
Oblitus. Donec tremulum permulsit amico
Lumine, quo nimbos, et agentes nubila ventos
Discutit, atque altum jussit proferre dolorem.
Tum vocem crebris singultibus interrumpens:

Qua te fronte, quibus, mundi spes unica, votis
Aggrediar, reus heu scelerum, quaecunque parentis
Progenies infausta sequens exempla profudit;
Quaecunque in seros fundet vitiosior annos?
Hei mihi! apud superos facinus crudele tot annis
Deflevi: nec adhuc Limbi squalentis in antro
Destituunt meritae post tristia spicula mortis
Debita fatali miserum suspiria pomo:
Flet mecum mea posteritas, vatumque ducumque

Insignes animae, qui te genuere; nec illos
Ulla tamen pietas horrentibus eximit umbris.
Usque adeo insontes lapsi premit urna parentis!
Qualis eram, cum me putri de pulvere fictum
Vitales tua CHRISTE manus produxit in auras:
Eductumque Damascenum squalentibus agris,
In fortunatas Paradisi transtulit umbras!
O Nemora! o umbrae! o fontes! o aemula caelo
Prata! virescentes aeternis floribus horti!
Qualis eram, quando fati securus, amaenos
Ducebam sine nube dies, sine turbine noctes!
Plaudebant solis radii, plaudebat ovanti
Cynthia, formosi plaudebant aetheris orbes:
Et vernas (Zephyris semper spirantibus) auras
Non Borea glacialis hyems, non ignibus Eurus,
Non madidis Auster turbabat lubricus alis.
Qualis eram, mundi imperio, famulante ferarum
Inclytus obsequio, et superum gratissimus hospes!
Quos amor humanos docuit componere vultus,
Os, humerosque mihi similes: queis dulce, relicto
Aethere, felices mecum percurrere sylvas.
Felix, aeternum felix, si tristia tantum
Incautae nunquam libassem munera Sponsae!
Hei mihi, serali quam saeva sub arbore monstra!
Quot nimium blandis pestes latuere sub umbris!
Quod virus, quae lethales aconita tegebant
Infaustis rami sub frondibus, in mea, stirpis
In mala fata meae! fallor: nec poma, nec arbor.
Illa mihi immerito culpata, evertit Adamum.
Ipse ego me, stirpemque meam, crudelis acerbo
Implicui mecum letho; dum jussa parentis
Dissimulo, et blandis temerarius annuo charae
Illecebris sponsae. Vix primula labra veneno
Admovi demens; quando in me sidera, tellus,
Tartaraque unanimi conjuravere tumultu.
Nunc quoque, nunc etiam tanto post tempore, dextrae
Vindicis innumeris exhausta, eversa flagellis
Insurgit Natura, mihique infanda nepotum
Crimina, et oppressum tot cladibus imputat orbem:

In me Tartareo damnati carcere manes
Unum odiis infensi ardent, atque ignea Ditis
Antra mihi, paenasque suas, communibus omnes
Objiciunt Furiis; dirasque in sidera fundunt.
Ipsi etiam infantes, quos vitae munus acerbum,
Deductusque reo proavum de stemmate sanguis
Immersit caecis Erebi illaetabilis umbris;
Infausti lugent facinus ferale parentis:
Et sese ignaros majorum crimine mergi
Posse stupent, nulla proavum pietate levari.
Parte alia, heroum mentes, castissima vatum
Pectora, felices animae, caelique capaces,
Stant sterilis circum fusi vacua atria Limbi,
Ambigui quo vota ferant: culpentne merentem,
Excusentve reum, promissaque regna reposcant.
Ne vero, ne me justis onerate fatentem
Questibus, o soboles meliori digna parente!
Huc tristes potius gemitus, huc vertite vota:
Aeternique Patris sobolem, vestrumque Nepotem
Supplicibus conspirantes onerate querelis.

Hos inter gemitus intorto fulmine scindi
Caelituum convexa, vibrati culmina mundi
Intremere, atque imis tellus mugire cavernis.
Nam Pater Omnipotens caeli manifestus in arce
Flammivomo residens solio, vultuque severo
Terribilis, ceu decrepito sol ultimus orbi
Surgeret, oranti sese objicit. Agmine denso
Circum ingens fusus stellatae exercitus aulae
Ultrices acuunt incensi judicis iras.
Quippe tot aetherei viduata palatia regni
Non jam Luciferi furiis, comitumque superbis
Motibus Aligerum; at meritis peccantis Adami
Ascribunt vindictae avidi: sanctamque Tonantis
Majestatem, immortalis caelestia vitae
Munera, et aeternae telum immedicabile mortis
Unius effraeni contempta cupidine pomi.
Jamque exauditis mundi utriusque querelis,
Rex superum, soli rerum cui summa potestas,

Tot Divum donis, tot inexuperabile diris
Ingenium humani generis pertaesus: amorem,
Quo sobolem infausti semper complexus Adami
Dissimulat, meritaque furit justissimus ira.

Heu stirpem ingratam! et monitis contraria nostris
Pectora! quem tandem scelerum finemve, modumve
Progenies male sana dabit? quonam usque nocentum
Nequitia ridente minas, in tristia cogar
Fulmina, et aestiferi fatales sideris ignes?
Heu miseros! undis caelo, pelagoque coactis
Pollutas scelere, infandaque libidine terras
Demergi, flammis tactas caelestibus urbes
In cineres redigi, caeloque minantia quondam
Maenia convulsis terrae radicibus, una
Funditus a sede everti; tumularier ima
Templa, domos, cives, patres, natosque ruina
Intrepidi spectant, seque evasisse queruntur.
Tot pestes periere mihi, tot bella. Quid Aetnae,
Quid mihi flammivomi rabies horrenda Vesuvi
Praestitit? irrident proavum commissa nepotes,
Et fastidita rudis improbitate parentis,
Ingeniosa student excudere crimina nati.
Jam tellus oppressa gemit, tardumque furorem
Astraeae superi mirantur; et obstrepit Orcus,
Injustamque fremit. Vincunt numerosa medelam
Vulnera, et in partes frustra medicina paratur,
Cum totum infecit plaga intractabilis orbem.
Devotas flammis terras ultricia lustrent
Fulmina, et ingrati solvatur machina mundi.

Dixit: et attonita iracundae fulmine vocis
Occuluit Natura caput: tellusque, polusque
Contremuere; ipsis etiam reverentia Divis
Aurea reflexis velavit tempora pennis.

At vero miseri cernens discrimen Adami,
Atque impendentis non eluctabile fatum
Exitii Christus; ni (quae suprema caducis

Deplorati orbis superest fiducia rebus)
Ultrici objiciat medium se judicis urnae:
Anxius infando curarum volvitur aestu.
Hinc dolor infixis lacerat praecordia telis;
Hinc timor assiduis animae secreta flagellis
Tentat agens. Dolet aeterni contempta parentis
Imperia, et mersam scelerum sub pondere terram:
Incensi timet arbitrio se opponere patris,
Et scelerum diras in se devolvere paenas.
Hinc pietas, magnique trahit reverentia patris:
Hinc retrahit pietas, et charae gratia matris.
Heu quid agat? superum accedat patrisque dolori,
Et merita vindex involvat clade nocentes?
An memor acceptae aeterna de Virgine carnis
Eluat infami generis contagia letho?
Vinceret in patrem pietas, culpamque parentum
Progenies justo lueret damnata furore:
Ni superum regi pietas magis illa placeret,
Quae scelus eluere, et sceleratis parcere noscet.
Hac victus pietate animum, sese ipse rubenti
Injecit medium dextrae: genibusque volutus:

Projice tela (inquit) justumque averte furorem
O genitor: prosit miseris vidisse renatum
Mortali de stirpe Deum. Sin crimen Adami
Progeniem dira insinuans se tabe per omnem
Difficiles nati precibus pater obstruit aures:
In me omnes scelerum poenas, iramque, minasque
Effunde, excipiam. Tu chari sanguine nati
Placatus, terris pacem, superisque reduces.
Fluctibus immersa est tellus; ultricibus hausta est
Pentapolis flammis, et adhuc incendia fumant:
Nec tamen aut illo vitiorum absumptus ab igne
Occidit, aut illis amor est submersus in undis.
Hic aliis opus est undis, alio igne: cruoris
Unda mei melius pollutae crimina terrae
Obruet, atque ignis, nostro quem pectore fixit
Victor amor. Solido vinctos adamante resolvet

Hic animos sanguis, lethali frigore strictos
Hic amor accendet, superumque in jussa refinget.
Audiit orantem laetus, frontemque minacem
Explicuit Genitor: tremulae recreata sereni
Luminis aspectu respirat machina terrae.

Compositis hominum rebus, Jesseia proles
Vota interrumpens, comitum curasque, fidemque
Explorat. Sed enim Domini, fideique, suique
Immemores, luctu pressi, somnoque jacebant.
Sic olim infidi cum vindex ira profundi
Surgeret in puppim, vigiles in vota precesque
Incumbunt nautae; at proles Amatheia segni
Interea somno indulget, caelique marisque
Securus, licet immani saevissima hiatu
Bellua praecipitem jam jam raptura minetur.
Ingemuit miserans, et blanda voce sepultos
Excitat, excusans ignavae pondere carnis
Depressos animos, monitisque salubribus implet.
Praecipue Petrum, cui fratrum credita cura:
Nam tristem incauto superimpendere procellam
Noverat. O nimium verborum oblite tuorum!
Hoc potes imprudens sub tempore ducere somnum?
Nunc o, nunc vigila, precibusque inflecte parentem,
Ne turpi mentem fractus formidine prodas
Promissam miserande fidem. Sic deinde locutus
Abscedit; luctuque animum percussus acerbo,
Impositam scelerum molem, mortisque propinquae
Effigiem formidandam secum ipse volutat.

Dux Stygis interea magnae discrimina pugnae,
Eventumque omnem suspenso pectore versans,
Gethsemanes tacitos caeca sub nocte recessus
Selectis omni ex acie comitatus Averni
Pestibus, ingreditur. Trahit importuna cupido
Scrutandi, quo perfidiam, pactumque scelesti
Discipuli, atque impendentis discrimina fati
Excipiat vultu. An nulla formidine tactus
Obvius ire paret, seseque opponere saevis

Hostibus: an tacitae per amica silentia noctis
Seque suosque fuga furtim subducere certet.
Tartareis praeceps ut primum erupit ab antris,
Discipulos cernit curvato poplite summo
Fundere vota patri, vires orare, paresque
Vicinis animos, et pectora fida, periclis.
Non tulit egregiae specimen pietatis, et ira
Percitus, Inferni revolutum in limine Somnum
Suscitat; atque omni vigilantum lumina cornu
Infestare jubet. Piceis Sopor advolat alis,
Impatiensque operum Letheo vimine pressos
Sternit humi; placidisque incumbens implicat omnes
Illecebris: voces ac intercisa precantum
Verba rapit, dulcique oppressos pondere mergit.
Quin etiam (audaci tanta est vaecordia monstro)
Ignavi blanda furtim dulcedine somni
Mundi custodes oculos corrumpere tentat.
Ast ubi nequicquam ingratum videt ire laborem;
Impavidum turbare parat, formaeque tremenda
Deformis specie, et feralis imagine vultus
Expugnare animum, precibusque avellere certat.
Protinus immani membrorum mole sub auras
(Damnatis Erebo qualis, quantusque videri
Manibus) et caelum sublimi vertice pulsans
Erigitur. Tortis horrentes crinibus angues
Implicat, et tristi vivi diadematis auro
Tempora circumdans, sceptrique tricuspide flamma
Terribilis, regni infausti illaetabile culmen
Ostentat. Qualem Enceladum Parnassia turba,
Et centum geminos terrae indignantis alumnos
Aethercam fingit congestis montibus arcem
Aggressos conjuratis rescindere turmis:
Talis adorantis CHRISTI secreta tyrannus
Antra subit, rabidoque fremens sermone lacessit.

Quid juvat assiduis Divos vexare querelis;
Votaque faemineos nimium redolentia luctus
Perdere? solicitae lacrymas has linque MARIÆ.
Haec matrem lamenta decent. Si reddere caelo

Captivas hominum mentes; si evertere Ditis
Imperium, viresque cupis; alia arma paranda.
Aude animis, fidensque vocantem cominus hostem
Aggredere. En adsum scelerum Dux, hostis Olympi,
Inferni Dominus, magni expugnator Adami.
Pars major meliorque meis hominumque Deumque
Subjacet imperiis. Nam me, meaque arma secuti
Aligerum generosa manus, mea sceptra Tonante
Contempto coluere; meoque coluntur ab orbe.
Mecum age, quadrifidi partes circumspice mundi.
Quot superis fumare aras, quot surgere templa,
Quos cultus, quae sacra vides? mihi marmora tellus,
Oceanus gemmas, fulvas Pactolus arenas
Prodigus effundit. Mihi mascula thura Sabaei,
Phoenices ostrum, pretiosaque vellera Seres
Accumulant. Non tot stellis pulcherrimus aether
Pingitur, illustri cum formosissima curru
Fraternum Phoebe grata vice vendicat orbem;
Quot mea me templis veneratur terra dicatis.
Nonne vides ut se ipsa parem Natura Deorum
Fundendis tot imaginibus non esse queratur:
Aeternis quamvis tumeat foecunda metallorum,
Et lapidum venis, nemorumque feracibus umbris?
Ut desint armenta aris, cultoribus arae?
Ipsa etiam Salomonei decora inclyta templi
Magnanimi Reges Jesseae lumina stirpis
Devovere meis deserto numine sacris.
Nunc quoque imaginibus quamvis infesta Deorum,
Et veterum illaqueata superstitione parentum
Mordicus effigiem patrio mihi ponere templo,
Caesareasque negent Aquilas inferre: sub ipsis
Pectoris arcani clausum penetralibus unum
Me Scribae, me Leviadae, legumque periti,
Me gens tota colunt. Moseae legis amorem
Ore tenus simulant, mea prompti jussa sequuntur.
Quid struis, aut qua spe, terraeque Erebique superbus
Viribus opponis te? prima ab origine rerum
Edomitas gentes, frustra transferre laborans
In legis nova jura tuae? lacrymisne subacti

Succumbent, monitisque tuis, quos nullus Olympi
Vicit amor, nulli superum fregere furores?
Si tibi mortali sub pectore numen, et ipsi
Majestas aequaeva patri, ac aeterna potestas;
Quid lacrymis opus est? nocturna quid avia quaeris?
Virtutem viresque tuas, numenque decusque
Pande, fugam capimus, captumque remittimus orbem,
Mortali sin stirpe satus, solaque parentem
Aethereum pietate refers; nec majus ab illis
Prodigiis (quae turba stupet) nomenque decusque
Affectas: quamvis proavis illustrior unus
Vatibus, ex scopulis undas, ex aethere flammas
Elicias, tumulos spolies, des lumina caecis,
Phoebeas revoces caelo indulgente quadrigas:
Non tamen aeterno nexas adamante catenas
Excuties debellati cervicibus orbis:
Nec dura effugies properantis funera lethi.
Primorum fera corda, Saducaeosque venenis
Infectos Stygiis, studia in diversa coëgi.
Serpit visceribus tabes, tacitoque medullas
Illapsu inficiens, non eluctabile cudit
In tua fata odium. Semperne, aut nubis amictu
Circumfuso oculos falles, spissaeve tenebris
Noctis, et ignotis fugitive latebis in antris?
Dixerat: et vultum exangui pallore rigentem
Aspiciens, te CHRISTE gravi formidine captum
Credidit illusus: neque enim te corporis ingens
Terruit horribilis moles, nec frontis ahenae
Triste supercilium, aut dirae inclementia formae,
Aut vox horrendum stridens: ast horrida mundi
Flagitia, incumbensque humeris inamabile, durum
Nequitiae communis onus; quo foeta perenni
Luxuria scelerum, et semper crescentibus Hydris
Saecula demersere orbem: quo invisa Tonanti
Caeca superstitio, truncos in numina findens,
Omnigenis scelerum monstris effudit habenas,
Omnemque aeterno damnavit funere mundum:
Niliaci super haec per inhospita lustra juvenci
Impia relligio, populique indigna protervi

Murmura, praecipiti nunquam fraudata sequentis
Supplicii pede; tum quicquid scelerata tot annis
Isacidae soboles Phariis peccavit arenis
Inconcessa petens, tristi te mole fatigat.
Emissae quondam in sylvas desertaque caprae
Erumpunt tandem e latebris; atque agmine facto
Et proavum regum, et lymphati immania vulgi
Flagitia excutiunt: humerisque imponere certant
In fasces collecta tuis. Cumulantur in unum
Tot scelerum pestes, quot primo ingratus ab ortu
Protulit, extremam quot parturit orbis in horam.

O ingens móles! o formidabile pondus!
O scelus! o monstrum infelix, truculentius omni
Gorgone! fatifero Basilisci lumine, Nessi
Sanguine, Lernaeis pestis crudelior Hydris!
Cerbereis virus spumis, Stygiisque colubris
Saevius! infaustos tibi Syrius imputat ignis
Pestiferi radios, gladium nimbosus Orion,
Saturnus madidam natorum sanguine falcem,
Mars belli furias, crudelis acumina caudae
Scorpius, et regnis fulgur fatale Cometae.
Tu bene compositi solvisti foedera mundi:
Hinc tumor oceano, terrae tremor, horrida ventis
Praelia, et indomitae brutis animantibus irae.
Tu conjuratos caeli stellantis alumnos
Dejicis aeterno tenebrosa in Tartara lapsu.
Non illos picturati tot fornicis orbes,
Non medio potuit librata sub aëre tellus
Sistere praecipites. Quodque his magis omnibus unum
Horribile, infandum, dictu, audituque pavendum;
Aeterni patris sobolem, rerumque parentem,
Quem nec supremi vastissima machina Olympi,
Nec stellati orbes immensa mole gravarent:
Suppositum; gravior caeli, terraeque coactis
Ponderibus moles alieni criminis urget,
Alliditque solo. Nitidi pura aetheris Arce
Purior, et rosei formoso lumine solis,
Atque illibatis Caelestis mentibus aulae,

Tot scelerum circumfusis heu! undique monstris
Obseptus, reus ipse sibi, reus esse videtur.
Non jam suffusum lacrymis ad sidera vultum
Tollere, nec tremulas delectat tendere palmas.
Incumbit terrae depressus, et imbre madentem
Corruit in faciem, ac immundo pulvere turpans
Caesariem intonsi capitis, suspirat: et alto
Cum gemitu has imo rumpit de pectore voces:

Haeccine magne pater dilecto munera nato
Suprema sub nocte paras? mene ergo, meumque
Tempestas petit ista caput? succurre gementi
O Genitor, tuaque in melius mandata reflecte;
Injectumque humeris onus illaetabile nostris
Transfer. An aeterni lex inviolabilis obstat
Consilii: et nati precibus, votisque repugnat;
Ac soli superanda omnis mihi culpa ferenda est?
Agnosco accipioque libens: commune profuso
Extinguam generis damnati sanguine crimen.
Magne pater tua vitali mihi luce voluntas
Charior, exhorrescentis contraria vincet
Naturae vota, et saevae tela omnia mortis.

Dixit: et ad comites iterum divertit: at illis
Alta quies victos oculos et languidus urget
Somnus, et in dulcem demergit lumina noctem.
Sic grata Jonas hederae serpentis in umbra
Compositus placidi carpebat dona soporis:
Vermibus interea, ventisque furentibus illa
Marcet: at aestivis caput ille caloribus ustum
Evigilans queritur, mortemque miserrimus optat.
Avertit miserans oculos, seseque relictum,
Discipulis somno victis, et patre silente
Ad duros nati gemitus, atque anxia vota,
Aspiciens; luctu mentem percussus acerbo,
Hospitium chari repetit miserabilis antri.

Anguigenum interea Ductor geminare pavorem
Certat, et immoti non expugnabile robur

Pectoris objecta crudelis imagine mortis
Frangere. Avernales genii, mora nulla, jubentis
Ad nutum Domini mutatis vultibus omnem
Effigiem lethi ostentant, indignaque noctis
Vincula, et infausti intentant ludibria trunci.
Ipse etiam, incautum CHRISTUS quo falleret hostem
Arte sua, et trepidaturis ad tristia durae
Instrumenta necis, saevaeque tyrannidis arma
Adderet exemplo ardorem, spem, robur, amicis:
Quaecunque ante oculos gelidi argumenta pavoris
Tartarei effingunt angues, ventura revolvens,
Objicit ipse sibi; dura formidine mortis
Ante necem moriens: neque enim mors ipsa ferenti
Saevior incubuit, quam praemeditata timenti.
Barbarus hic dextram dicentis in ora satelles
Armatam impingit; disrupta hic veste dolosus
Accitos Caiphas proceres incendere certat
In caput insontis. Spretum, irrisumque tyrannus
Induit attrita tunica. Plebs caeca latronem
Compositum (heu facinus!) post tot miracula praefert.
Parte alia tenero capiti diadema retortis
Imprimitur plexum spinis; servilia flagra
Virgineos artus, et membra trementia diris
Vulneribus lacerant, corpusque exangue gementis
Immani crux mole premit. Nec dicere promptum est,
Suppositosne humeros magis illa injecta molesto
Pondere, an immiti suffixos stipite vexet.
Interea fauces infractis viribus urit
Importuna sitis: sed et haec cruciatur acerbo
(Triste refrigerium!) calamo mordacis aceti,
Et vino felle illuso. Si sidera spectet,
Angelicasque acies, nulla hinc solatia: tristi
Robore suspensi gemitus, et vulnera nati
Dissimulat pater. Hoc unum, praeque omnibus unum
Conqueritur. Fixos artus penetrale molestat
Aëris hiberni frigus; tum sole fugato
Horrorem ingeminant tenebrae, sociique latrones
Tristia feralis geminant ludibria trunci.
Diffugiunt hac atque illac formidine victi

Discipuli: fugisse parum est, perjuria Petrus
Accumulat; ficto Judas parat oscula vultu.
Mox merito infelix laqueo sese induit ultor
Criminis ipse sui graviori crimine. In auras
Aethereas penetrat vox detestanda parentum,
Exitio mersura gravi genus omne nepotum,
Ut vero vultum charae genitricis et ora
Aspexit, mediaque oculos in morte natantes;
Totque repercussis praecordia saucia plagis,
Quot videt in nato mater: ceu caetera nusquam
Deploranda forent, gemitum dat pectore ab imo
Ingentem, avertitque oculos, iterumque refusus
In terram: hoc etiam tantis placet addere telum
Claudibus o genitor, nati ut morientis acerbum
Supplicium praesens spectet, pars magna doloris
Augmentumque mei, genitrix et funera plangat?
Ergo illa exanimis nati praecordia cuspis
Transadigens, vivae configet pectora matris?
Hic etiam tua sancte pater, tua magna voluntas
Exuperet, chara mihi charior una parente.

Talibus aspiciens pressum languescere curis
Dux Erebi, ignarus rerum, falsaque superbus
Spe, celeri Infernas lapsu descendit ad umbras:
Atque omnes scelerum cogit sub signa catervas.

Virginis at soboles, quamquam vis aegra doloris
Intima fatali depascat viscera morsu:
Fatidici repetit septena volumina libri:
Caeteraque evolvens magni argumenta doloris;
Aspicit, ut justo vindex Astraea furore
Supplicium infandi sceleris maturet; et urbem
Seditione Ducum, flammis, ferroque fameque
Vastatam in cineres redigat. Gens foeda per omnem
Spargitur extorris mundum, caelique solique
Exul, Christiadum funesta invisaque stirpi.
Exin Tartareis facibus Romana tyrannis
Percita, purpureo sonipes quam concolor ostro,
Sanguine Christiadum madidus vehit, undique ferro

Perfurit, et gladio furibunda decemplice stervit
Nascentis fidei sobolem. Vix illa faventis
Aetheris auspiciis tempestas cessit: et ecce
Erumpit Stygiis crudelior altera ab umbris
Pestis, et ira Erebi, piceo quam furvus Alastor
Portat agens tergo: Ditisque e fontibus haustis
Inficit incautum malesuada erroribus orbem.
Nec longum interea tempus, cum emissa profundo
Pallenti sublimis equo Mors effera, in auras
Aethereas properat; mitescere nescia, caecis
Immersas tenebris violenta cuspide gentes
Improvisa rapit: flammisque perennibus abdit.
Vix adeo infensi tot tempestatibus Orci
Concussa, extulerat victricem Ecclesia frontem:
Cum vasto tellus trepidare impulsa fragore,
Et caelum spissis subito praetexier umbris,
Sol fugere obscuro tenebrarum obseptus amictu,
Sanguine suffusae facies livescere lunae,
Praecipites labi stellae; quam multa furentis
Turbinis impulsu terram verrentibus Austris
Intercepta cadunt agitata ex arbore poma.
Nec mirum: nam caerulei de gurgite ponti
Insurgens jam decrepitum prorumpit in orbem
Bellua septeno capitum discrimine terrens
Infixas terrae mentes; septena per ora
Horribili reboans fremitu, eructansque nefandas,
Atque imo Barathri conceptas gurgite diras.
Cornua (quodque suo rutilat diademate) frontem
Dena premunt, saevi facies bis quina leonis
Horret in effigiem, maculoso corpore Pardum
Mentitur, pedibus villosum horrentibus ursum.
Purpureo monstri meretrix Babilonia dorso
Insidet, Eois pectus distincta lapillis,
Crinalique auro gemmis stellante superbum
Vincta caput, Tyriaque humeros circumdata laena,
Aurea marmorea protendit pocula dextra.
Pocula lethiferis Orci spumantia succis,
Quos auro tectos, imbutos nectare, stultis
Gentibus obtrudens, improvida pectora blandis

Implicat illecebris. Rex immansuetus Averni
Jam vinclis liber, sese comitemque ducemque
Christiadum in stragem adjungens, artesque dolosque
Atque omnes Erebi pestes, viresque nocendi
Commodat exultans: furit illa atque auspice Dite,
Deliciis, opibusque animos, falsisque stupentes
Prodigiis ludit, saevaque tyrannide frangit.

Haec ubi praesaga lustraverat omnia mente:
Quaeque secuturis exempla aetatibus orbis
Virtutum et scelerum, dum stabit terra, daturus:
Christiadum exiguum numerum, quos inclyta virtus
Evehet in nitidi formosa palatia caeli:
At parte ex alia innumeros, quos melle doloso
Vitrea deludent fugitivae gaudia vitae:
Naturam infandis curarum fluctibus actam,
Pugnacesque animi patitur concurrere motus.
Ardet Amor, Timor horrescit, Pudor, Ira, Dolorque
Scindunt se in partes: flammas Ira addit Amori:
Purpureusque Metum Pudor auget; utrimque recurrens
Fluctuat ambiguus Dolor. At Natura laborans
Fluctibus his, tantis obstat, ceditque procellis.
Ut ratis alternis rapta hinc, rapta inde furentis
Montibus Oceani, latus hoc, latus illud avaro
Obvertit pelago, nunc; qua fert impetus undae,
Acta fugit; nunc expansis obnititur alis.
Ipsa tamen stabili Mens inconcussa quiete
Perstat, et oppositos certat componere motus,
Ingenium crudele necis Metus urget: at ingens
Dedecus infamis trunci, sociosque latrones,
Et super haec sacros intacti corporis artus
Carnificum ante oculos retegi, vulgique procacis
Casta indignatur rosei natura Pudoris.
Ira superbificis Erebi irritata triumphis
Acrior insurgit, teneri argumenta Pudoris
Irridens, nudatum undanti sanguine corpus,
Et densa spondet flagrorum nube tegendum.
Scilicet hoc unum spectandum, ut fractus Averni
Praedo, adamantaeisque evinctus colla catenis

Corruat, et ruptis hominum gens libera tandem
Aethera conscendat vinclis. Accedit in omnes
Pronus Amor poenas; hominumque misertus, inertem
Castigat, fraenatque Metum; castique Pudoris
Ingenium aeterno divinae lucis amictu,
Et claro eximii solatur honore triumphi.
Intacti compago tenerrima corporis horret
Flagra, crucem, claves, spinis diadema cruentis
Aptandum: at Ratio divini jussa parentis
Hac implenda monet. Plaudunt Amor, Ira monenti,
Et Pudor opposito tandem decedit Amori.
At Dolor adversum totis se viribus infert:
Non jam funestae mortis tormenta revolvens,
Exiguos sed enim numero, qui sanguine tanto
Partum affectabunt Regni caelestis honorem.
Innumeros contra quos nigri flammea Ditis
Claustra Redemptori ingratos, majoribus Orci
Supliciis merito involvent: hoc percita telo
Ingemuit Pietas. Sed enim violentior Ira
Ardescit magis: et meritis tormenta severo
Exprobrat irrisu, tantique oblivia amoris.
Hos tamen, hos inter divisi pectoris aestus
Continuatque preces, imperturbataque vota
CHRISTUS: at heu animi pugnantis motibus impar
Solvitur exangui corpus pallore; rigescunt
Membra gravi constricta gelu, mortemque minantur
Continuo vi Naturae impellente per omnes
Diffusus venas ipsa in praecordia sanguis
Cogitur, et roseo certat circumdare vallo
Eluctantem animam. Sed enim vis ignea amoris
Obstat agens, aditumque negans, majore refusum
Turbine praecipitat. Gelidos revolutus in artus
Aestuat, et venis frustra cohibentibus, omnem
Pertentatque, aperitque viam; tremulique meatus
Corporis (horresco referens) perrumpit, et ipsam
Exundans penetrat tunicam; subjectaque tingens
Gramina, divino corrumpit murice terram.
Non ita sanguineos morsis Haemorrhois imbres
Extorquet venis: non tanta spumeus ira

Fervor aquae exultat, summoque exundat aheno.
Non tales duro bicolor de cortice flavum
Fundit in electrum lacrymas, cum rore beato
Populus exudans fraterna incendia luget.

O amor! o sanguis! o flammae! o flumina! quali
Ignescit sanguis flamma! quali imbre cruentus
Sudat amor! qualis gemini te funeris aestus
Christe rapit, quem flamma cremat, quem flumina mergunt?
Immoritur flammis Phaenix, Pelicanus adunco
Ipse sibi pectus rostro discerpit, et aegros
Pectoris effossi renovat per vulnera pullos.
Tu melior Phaenix, melior Pelicanus, amoris
Absumptus flammis, immersus sanguinis undis
Occidis, ut Paphias extinguas sanguine taedas;
Occidis, ut castos flammis caelestibus ignes
Accendas; vitamque tuis moriendo refundas.

LIBER TERTIUS.

Jamque tenebrosi penetralia caeca profundi
Egressus, rapido Gabriël per inane volatu
Sidereos orbes penetrans, radiantia caeli
Supremi convexa tenet; gratesque piorum,
Votaque divino repetit laudata parenti.
Excepit laeto reducem sator orbis honore;
Et nondum positis jussit descendere pennis
Gethsemanae in valles, CHRISTI secreta gementis.
Vade age magne Ales, natoque infame paventi
Crudelis lethi genus, indignosque labores,
Aeterni memora decus immortale triumphi,
Quem debellati spoliis insignis Averni
Victor aget, clausi reserans vacua atria caeli.
Dixerat Omnipotens: atque Ales laetus honoris,
Praepetibus notum pennis festinat in hortum.
Ut sparso vidit maculosum sanguine vultum,
Undantes lacrymis oculos, crinesque rubenti
Pulvere concretos, Majestatemque decorae
Frontis, solicitae obductam formidinis umbris:
Attonitus, formaeque decus, radiosque repressit.

Nate Deo, Deus alme, quid o, qui sidera blando
Exhilaras vultu, tempestatesque serenis
Castigas oculis, quid te maerore volentem
Depasci sinis, et Divini sanguinis ostro

Foecundas humiles terras? exhausta dolore
Membra leva, infractas effuso sanguine vires
Artifici instaura, cui parent omnia, nutu.
Ipse tuo tibi me Genitor demisit Olympo,
Ipse haec ferre jubet celeres mandata per auras:
O mihi perpetuo soboles gratissima amore
Cui mecum infausti scelus immedicabile Adami
Ante anni, solisque vias, sententia sedit
Diluere intacta divini sanguinis unda:
Pelle tuos facilis luctus, maestumque timorem:
Sat lacrymis, hominique datum est. Lucentia stellis
Atria te reducem expectant; superi obvia cogunt
Agmina in adventum Domini: jam carmina pangunt,
Victoremque Erebi in caelestia regna potenti
Funere tendentem, properatis laudibus urgent.
Aspice deserti numerosa palatia caeli
Auspiciis implenda tuis; tenebrosa profundi
Antra triumphali Cruce debellanda; tuorum
Aspice solvendas victrici morte catenas
Et proavum et vatum, qui te cecinere superbi
Venturum exeidio Ditis. Circumspice terras,
Et numera innumeras utroque ex orbe catervas,
Et devota tuis divum tot millia signis.
Jamque adeo pulsis Aquilis succedere cernes
Aeternae vexilla crucis, diademata Regum
Alma triumphalis decorare insignia trunci:
Et sceptris pretium gemmantibus addere, honorem
Imperiis, roburque animis. Quaenam agmina Reges
Ad tua ab extremis ducent monumenta Britannis?
Queis opulenta tholis, quo surgent marmore structa
Templa tibi? quo sacrorum, quo thuris honore,
Qua pietate tuum recolet gens omnis amorem!

Talibus Aligeri dictis, monituque parentis,
Dispulit una omnes soboles divina tumultus.
Tum priscus membris rediit vigor, aureus oris
Effulget redivivus honos, revocatur in artus
Sanguis: et ambiguum est, majore potentia habenas
Effundat tanto CHRISTUS, retrahatve labori.

Officio functus superas redit Ales in arces:
Et dulces CHRISTUS socios invisit. At illos
Crudelis varia terrebat imagine somnus.
Hic capite inverso, ligno suffixa trabali
Membra gemit: summo templi de culmine praeceps
Dejectus, duro cervicem fuste retusam
Suspirans alius vexat clamoribus auras.
Hic liquido natat in plumbo, tristemque cicutam
Frigore concretas queritur populare medullas.
Huic teneram summo praeacuta novacula pellem
Detrahit a capite: at jaculis confixus anhelat
Alter, et immitis ludibria maesta soporis
Assiduo prodit gemitu. Sed voce manuque
Astantis Domini tactos, terrorque soporque
Deserit. Ille animos nondum ad discrimina factos
Dulcibus alloquiis fingit vultuque sereno.

Evigilate (inquit) comites: en hora propinquat
Ultima. Romulidum infelix stipante caterva
Proditor accelerat. Chari salvete, valete
Discipuli, memoresque mei, memoresque recentis
Promissi, firmate animos: certaque propinqui
Spe reditus animati, aegrum fraenate dolorem.
Jam jam adero: et victo redivivus funere, acerbas
Abstergam praesens lacrymas. Tunc nulla furentis
Mortis et Inferni domiti vis, vel mihi dulces
Discipulos iterum poterit divellere; vel me
Dulcibus a sociis avellere dura valebit.

Vix ea suffusus lacrymis, et quemque supremo
Dixerat amplexu stringens: cum tristibus illi
Aspiciunt flammis victam, telisque micare
Innumeris noctem, propiusque infesta vibrari
Spicula, et horrendam clypeorum increscere lucem.
Spectantes tremor invadit; stant vertice crines
Arrecti, sudant artus, vestigia fallunt.
Ingeminat victis pavor omnia, et impete primo
Dejicit infractos. Quid si glomerata frementis
Monstra Erebi, scelerumque acies in bella coactas

Aspicerent, saevasque faces, quas sulphure faedo
Lucifer, et Stygii flammis animaverat ignis?

Ille ubi Tartareos angues, pugnaeque paratas
Quasque suis Orci pestes instruxerat armis,
Erupit Barathro: miseramque effudit in urbem,
Millia quot nigro nunquam emersere profundo.
Prima aciem portae ventosa Superbia equestri
Intulit. Amnigenis dictos a piscibus ardet
Invidia anguineis postes circumdare signis.
At captivorum turmis crudelibus Ira
Claustra premit. Venus atra gregis sub limina tendit.
Stercoribus procul in campos damnata vehendis
Porta, Gulam, cum Thyrsigero (gemino hospite digna)
Excipit. Irriguis vicinam Fontibus arcem
Vexillis cupidus Mammon infamibus implet.
Judicii limen castris torpentibus ambit,
Lassaque ferratis incumbit Acedia valvis,
Mollibus immersum Cygni caput abdita plumis.

His scelerum ducibus Rex illacrimabilis Orci
Anguigenas omni lectos ex agmine, sese
Immiscere jubet, stolidumque impellere vulgus
In CHRISTI exitium. Partiti tecta, trementem
Invasere urbem, illapsique cubilibus altis
Illudunt miseris fallacis imagine somni.
Nunc superinjectis fumantia maenia flammis
Ostentant; Christumque ducem tedasque facesque
Praeferre Ausoniis. Nunc fundamenta bipenni
Eruere: aut sanctum Romano milite templum
Intruso violare: aramque et mystica vela
Sacrilegis ultro temeranda offerre catervis.
Quemque suis acuunt curis, aptosque furentum
Pectoribus motus per opaca silentia spargunt.
Leviadis, primisque patrum, queis inclyta CHRISTI
Gloria rodebat fatali pectora tabo,
Invidiam geminant; famam nomenque malignis
Prodigiis raptum objiciunt: nullam affore rebus
Spem CHRISTO incolumi; veterum peritura parentum

Dogmata, et irrisam legem, legisque peritos.
Pars procerum induti vultus, crudelis Anani
Tecta petunt, acuunt animos; atque aspera dicta
Queis lucri cupidos, falsa pietate superbos.
Mendacesque, animi fidens perstrinxerat olim,
In mentem revocant: indignantesque queruntur
Unius infanda rabie jam impune refringi
Aeternas superum leges; procerumque sacrorum
Sacrilegi insano nomen lacerarier ausu.
Interea incesti formosa palatia Regis
Obscoenae Veneris turmis stipata Megaera
Obsidet; et clausi penetrans secreta cubilis,
Sopitum vana invasi formidine regni
Turbat agens. Herodiadem Venus impia diris
Vexat imaginibus: natae, thalamisque timentem
Mentito in facinus stimulat discrimine. Frustra
Baptistae memorans caput a cervice recisum,
Dum superat CHRISTUS thalamis violentior hostis
Fraternis, inhians regno, monstrisque stupendis
In sua deceptas tracturus signa cohortes.
Parte alia Latios (quae maxima cura) penates
Noctivagis dux Alecto circumsedet umbris,
Praesidis ambiguam cupiens evertere mentem;
Ne procerum votis sacrorum immitibus obstet.
Praeterea uxoris pietas, et grata Tonanti
Suspensam exercet virtus, ne se obvia Ditis
Fraudibus opponat, pronumque ad crimina, flectat
In meliora virum, scaenamque invertere tentet.
Haec meditans, spissa lethaei nube soporis,
Effusoque premit sopitae lumina cornu:
Ne prius evigilet, quam non revocabilis urna
Conjugis, infausto damnatum stipite figat.

At te quae Furiae, Caipha, quaeve agmina Averni
Solicitant? saeve tibi tanta potentia fraudis,
Tot scelerum facies, animo vis tanta nocendi,
Ut fallax superes Erebi genus. Ipsa minorem
Tisiphone se laeta stupet, mixtaque superbit
Invidia: ut cupidus laudis, lucrique magister

Discipulis laetus plaudit, livetque, beati
Quos rapidus vigor ingenii, aut labor improbus ipsi
Praetulit. Ipse etiam picei Rex Lucifer Orci
Vix Caiphae aequalem sese hac in parte ferebat:
Accensas tantum flammas, odiumque dolosque
Solicitus maturat: et auxiliaria ducit
Agmina. Romuleam sed enim prior ille cohortem
Traxerat in partes; animis armisque paratam
In facinus, pacto corruperat improbus auro.
Tum sceleri invigilans, promissum munus Judae
Solvit: et o felix (inquit) succurre labanti
Isacidum genti. Per te defensa resurgant
Sacra, instauratos superum tibi rector honores
Debeat: Ipsa suos inter servata parentes
Te Solyme numerat. Te posthuma fama perenni
Laude per ora virum ventura in saecula tollat.
Quid tamen ardentes generoso in pectore flammas
Demoror? i, tandem melioribus utere fatis,
Hos cape virtutis comites laudisque: cohorte
Romulidum tutus, caecos reclude recessus.

Protinus accelerat Juda duce miles, et una
Selectique Sacerdotes, legisque periti,
Exploratores rerum, qui gesta referrent;
Perque viam ignaris, invisum reddere JESUM
Romulidis, conatu omni, omni arte studerent.
Ipsa etiam auxilia Infernis effundit ab antris
Tisiphone; taedasque viris, facibusque ministrat
Lumina sulphureis Cocyti rapta caminis.
Indeprensae errant pestes, suadentque recisos
Ferre manu fustes. Certatim vincla, catenas
Obtrudunt vigilum manibus geminantque furorem.
Ut primum Ausonii viridis latera ardua montis
Emensi, intrabant hortum, sceleratus Judas
Antevolat; signoque dato, cui vincula nectant,
(Ne facili capti vultus errore, Jacobum
Alphidem invadant) venienti occurrit amico,
Amplexuque arcto stringens, et fallere sperans,
Perfidus admotis Amasaea dat oscula labris,

Et Sirenaea compellans voce salutat.
Ingemuit chari CHRISTUS miseratus alumni
Sortem infelicem, vultuque infida sereno
Oscula, et amplexus mira pietate cruentos
Excipiens, dulci fraudem castigat amore:

Hos ergo amplexus, haec oscula amice, magistro
Non haec promerito reddis? quid funus amantis
Maturas Domini? sine te miserande perirem,
Nunc per te morior; pro te quoque, si mea duras
Dicta neges, vel post facinus, demittere in aures.

Talibus incusat: verum intractabilis ille,
Aspidis in morem metuentis carmina saevae
Colchidos, et magici murmur ferale susurri,
Obturat monitis aures: scelerisque futurus
Spectator, Latiis iterum se immiscuit armis.
Subsequitur, laeto properans ad funera vultu
CHRISTUS, et adversos his verbis excipit hostes:

Unde viri? quae causa viae? quaemve agmine tanto
Quaeritis? horrendo circum clamore frementes
Ingeminant, Nazarenum se quaerere JESUM.
En ego sum, placido furibundis subjicit ore.
Ad vocem hanc subito perculsi corda stupore
Mille viri gladiis cincti, et fulgentibus armis
Allisi in terram, clypeos, ensesque facesque
Impliciti super incumbunt. Exanguia credas
Corpora, et extremum spirare cadavera funus.

Si puri fulmen caeli placabile mentes
Concutit attonitas; quo laesi tela Tonantis
Caeruleos inter nimbos vibrata, nocentes
Turbine percellent? si blandior aura Favoni
Caerula crispantis securam intercipit alnum;
Qua rauci fremitus Boreae vertigine, ruptis
Antennis, temulentam in inhospita saxa rotabit?
Si blanda Ausonius parcentis voce satelles
Corruit impulsus, funestique agmina Ditis,

Paene sub ignivomi reciderunt claustra profundi;
Quis tremor avulsos tumulis, Ereboque renatos,
Suprema involvet mundi sub luce nocentes,
Cum solio residens Judex stellante, furori,
Nescius inflecti, totas effundet habenas?

Quid tibi tunc animi Juda, quis perfide sensus,
Cum fractam aspiceres divina voce cohortem
Intremere: arcana cum vi per viscera serpens
Te quoque, quem nullae poterant inflectere dirae,
Sterneret aethereae fulmen penetrabile linguae?
Non alias sentis vires, clarumque latentis
Numinis indicium? quo te malesane, tuasque
Conderet excubias praeceps vindicta sepulchro;
Ni pius immerito veniam, spatiumve furori
Annueret Judex? neque enim punire nocentes,
Cum scelerum poenas in se devolverit omnes,
Sed terrere cupit, manifestaque promere Diae
Argumenta potestatis, ne crederet orbis
Discipuli indigna delusum fraude, vel armis
Aeneadum oppressum, vincla intentata subisse.

At Petrus chari indignum discrimen amici
Aspiciens, sua jam credit promissa reposci:
Incensusque animum furiis, praecepsque dolore,
In medios ruit, et tumidum, ac infanda moventem
Pontificis famulum invadit, nil tale timenti
Toto animi nisu, et collectis viribus ictum
In caput intentat, Sed enim rubigine longa
Obtusus mucro, vires et vota fefellit:
Et capiti parcens, inhonoro vulnere truncam
Abstulit auriculam. Dextra medicante reponit
Avulsam capiti JESUS, et tempora sanat,
Degeneris lacrymas hostis miseratus, et ipsum
Increpitans blando Petrum compescuit ore.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget. Si vincla mihi, mortemque voluntas
Effugere, angelicas acies, numerosaque divum

Agmina in auxilium Domini properare videres,
Et conjuratis hostes evertere turmis.
Sed mihi certa necis sedit sententia, magni
Imperio firmata patris. Sic deinde locutus,
Regia Romuleis subjecit colla catenis.
Interea immistos Latiis, laetumque frementes
Accipiens scribas: dum duri vincula torquent
Ausonidae: vos o Patres, vigilesque sacrorum,
Vos etiam indigno juvat indulgere labori?
Si male quid merui, quianam me luce patenti
Infesti patriam non invasistis ad aram?
Scilicet obscura melius sub nocte geruntur
Quae lucem fugiunt. Inferno haec apra tyranno
Tempora, qui mea praecipites in funera cogit.
Quod votis optastis, adest: religate catenis;
Tollite, ferte, mei sitis est si tanta cruoris:
At sinite intactos, me vincto, abscedere amicos.

Dixerat: at furiis acti, votique potentes
Insultant proceres; et si quod numen in ipso est:
Aut si quam magica captus spem ponat in arte,
Rumpere vincla jubent, mediosque exire per enses.
O ubi nunc pater ille Deus, cur fulmina nato
Denegat, hostili patiens succumbere dextrae?

Quis cladem infaustae noctis, quis crimina fando
Explicet, ingentemque poli, terraeque laborem?
Quando omnis capto rerum natura parenti
Ingemuit, magno scelus indignata tumultu.
Ipsa etiam scelerum nutrix, cognataque Diti
Horruit ad facinus nox: curru luna reducto
Stelliferum piceis damnavit nubibus orbem.
Non undae posuere, nec implacabilis ira
Frangitur Oceani; sed enim perrumpere certat
Impositas olim metas, aliudque minatur
Diluvium. Insano tellus impulsa fragore
Concutitur, magno misceri murmure caelum
Incipit: et nimbos glomerans, Cyclopea tela
Parturit; ultrices ardent erumpere flammae.

Quin etiam angelicae mentes, pacataque divum
Pectora Taenarei ducis, Orcigenumque rebelles
Indignata animos, justoque incensa dolore
Captivi Regis, desueta in praelia dignis
Undique conspirant flammis. Jamque infima mundi
Aequora sidereus raptis exercitus armis
Attigerat, Solymam terrae aequaturus; et omnes
Tartareos iterum deturbaturus in ignes
Anguigenum turmas. Sed justas maximus iras
Caelicolum sistit Genitor: Pacemque serenam
Qua nulla accensos fraenare potentior aestus,
Evocat ardentumque jubet lenire furorem.
Paret et ambrosiis volitans Pax aurea pennis,
Incensas grata eloquii dulcedine turmas
Permulcens revocat. Quacunque incedit, amoenis
Illecebris cedunt superi, blandeque coacti
Supremi repetunt formosa palatia caeli.
Protinus aeternus solio Rex infit ab alto:

Quis novus, o Superi, quis in arma quietis amantes
Ardor agit? procerum furias, Orcique paratis
Frangere, et invictis Domino succurrere turmis?
Ponite caelicolae, quos haec in praelia flammat
Gratus amor pietasque, animos. Stat sanguine Nati
Clausa diu vacui penetralia pandere caeli:
Humanum renovare genus: squalentis opacis
Inclusos Erebi claustris in sidera vates
Tollere: et insani fastum compescere Ditis.
Nec tamen infando sceleri Judaea repostum
Supplicium effugiet; nec funere CHRISTUS inulto
Occidet. Ingratam Caesar cum Flavius urbem
Obsidione premet, flammis ferroque fameque
Inclusos domitans; tunc auxiliaribus armis
Devotam diris gentem, Templumque licebit
Eruere: et Latiis animos, vimque addere castris.
Haec ait: et dulci perfundens nectare mentes,
Componit motos animos, glomerataque differt
Flumina, praecipites naturae temperat iras.

At capto duce, discipulum spes omnis in auras
Intercepta fugit. Nulli sua pectore virtus
Constitit; innumerisque fides firmata magistri
Prodigiis, vano cecidit perculsa timore.
Hi tenebris fisi, saevarum lustra ferarum
(Impavidos timor ipse facit) metuendaque forti
Antra petunt: densis alii conduntur in umbris.
Ipse etiam, qui desueto media agmina ferro
Jam jam audax animi, contempta invadere morte
Ardebat; celeratque fugam, desertaque cursu
Fida petit rapido. Pudet heu! dare terga, piumque
Linquere: sed dat terga tamen, linquitque magistrum.
Stabat adhuc, comitumque fugam, Dominique catenas
Versabat dubio juvenis castissimus aestu.
Nunc socios per tuta sequi timor urget; amico
Nunc amor adversis socium se adjungere rebus.
Et jam paulatim cunctantis flectere mentem
Coeperat, et fibras generosis stringere flammis
Victor amor: jam reflexo vexilla, facesque
Insequitur gressu, et propior vestigia servat.
Non tulit invisae specimen pietatis Averni
Dira phalanx, claramque facem redeuntis in ora
Tisiphone intorquet, stimulatque incensa Latinos
In juvenem; jam jamque manus, et vincula miles
Injicit: ille autem projecta sindone nudus
Exiliit, celerique fuga delapsus, inanes
Conatus per nota loci compendia opacis
Elusit tectus tenebris: nec lumina flexit
Hostiles donec tandem effugisse catervas
Reddita mens, tacitusque pudor persuasit, amorque
Heu nimium tardus. Nam vinctum turba triumphans
Abstulerat dominum, et furiis incensa trahebat
Per loca senta situ, perque aspera saxa; per undas
Limosi torrentis, et horrescentia acutis
Sentibus, ac tribulis dumeta infixa cadentis
Spina genas, et membra secat; mentemque lacessunt
Intolerabilibus convitia mista cachinnis.
Quid faciat? chari discrimen cernere amici
Ardet amans, cupit indignos spectare labores:

Sed pudor amissa nudatum veste retardat.
Talia versanti, non expectatus, et iisdem
Incensus pectus flammis, eadem omnia volvens
Occurrit juveni Petrus: teneroque pudori
Consulit, et nudo tunicam, qua frigida membra
Induat, obtrudit. Dextra tum deinde prehendens,
Quo tandem fugiemus? an haec promissa magistro
Sub mensam dedimus, tantum inter pocula fortes?
Nos saltem, quando reliquos vagus abstulit error,
Abreptum misso Dominum terrore sequamur.

His dictis, celeri per prata virentia gressu,
Qua tenebrae, qua stagna sinunt, propiora legentes
Gramina, distinctos cedris redolentibus agros
Praetereunt; pontem superant, vallemque superbis
Moenibus affusam ingressi: dum lumina spargunt
Omnia lustrantes, tumidi sub limina Anani
Deprendunt taedarum ignes, accensaque flammis
Spicula, et Ausoniae galeas ardere cohortis.

Ille Sacerdotum claro de sanguine longum
Stemma trahens, proavum mitris, generoque superbus
Pontifice, et sacri Princeps Rectorque Senatus,
Ambiguo eventum sceleris sub pectore dudum
Versabat. Judae fraudes, numerumque suorum,
Emptaque Romuleae expendens vexilla cohortis;
Insidiis vel posse capi, vel fortibus armis
Credit: et egregii rapitur dulcedine facti.
Parte alia manifesta operum miracula, inanes
Insidias generi repetens, elusaque patrum
Consilia; ancipiti trepidus formidine pendet.
Jamque adeo incassum fusos periisse labores
Subveritus, desperatis dimittere rebus
Levitas intempesta sub nocte parabat:
Cum procul horrisono reboans per opaca tumultu
Buccina, stridentes diris ululatibus auras
Verberat. Accipiens sonitum clangoris Ananus
Atrexitque animos, et spe propiore tumescens,

Expendit, quae captivo convitia CHRISTO
Objiciat, qua fraude virum, quave implicet arte.

Ecce autem haec inter, magno clamore revinctum
Liventes post terga manus crudelis JESUM
Turba trahens aderat. Geminos laetissimus Annas
Imperat inverso reserati cardine postes.
Ipse autem proceres inter sublimis eburno
Consedit solio, et mentis malesuada cruentae
Gaudia contracta in terrorem fronte, coërcet.
Ut primum media captivus constitit aula,
Imperturbati generosa modestia vultus,
Infensos Pharisaeum animos percussit. Ananus
Ipse, licet voti felicem prima voluptas
Impatiens fraeni abriperet; perculsus honore
Egregii vultus, majestatisque latentis
Arcana vi contremuit, seseque minorem
Agnovit tacite, primosque coërcuit aestus.
Tum sic affari, causasque his quaerere dictis.

Qua spe legifero vati data jura refingis
Ad nutum malesane tuum, revocasque sequaces
A templo populos? qua te mercede secuti
Discipuli, invitos miseri fugere parentes?
Olli responsum paucis hoc reddit JESUS:

Non latebras, noctemve meis obducere factis
Assuevi: norunt illi, queis cura sacrorum
Addita, quos mediis templi in penetralibus ultro
Admonui, docuique palam. Illos consule, veri
Si tibi tantus amor: neque enim mea facta vel ipsis
Testibus, ut res cunque cadat, firmare recusem.

At vero deploratis versatilis aulae
Mancipiis, respondentis justissima CHRISTI
Bilem verba movent, tanquam contempta rogantis
Majestas Domini, et sacro reverentia patrum
Debita concilio verbis mordacibus esset,
Atque aliquis caeli juxta securus, et orci,

Armatam toto connixus robore dextram
Sustulit: et CHRISTI vultum dicentis, et ora
Ingenti plaga ferit: atque haec insuper addit:
Haeccine Pontifici responsa misserime reddis?

Heu cadat in quemquam tantus furor illane quisquam
Sacrilega violare manu crudeliter ora
Ausus, et immiti faciem corrumpere dextra;
Sibila cui coluber, tristes aconita novercae,
Hybernum furias mare poneret, atra Cometes
Sidera, lethiferos fatalis Sirius ignes?
Infelix, quae te praeceps dementia tantum
Impulit ad facinus? non te natura furentem
Terruit, arcano stringens praecordia morsu,
Sacrilegamque manum reprimens? Non horruit ipsa
Dextera inauditi sceleris formidine torpens
Artificem violare suum!
O ubi nunc vindex genitor, diraeque rubentes!
O ubi Thesbitae flammae, quas percitus ira
Torsit in audaces valida bis voce cohortes!
Aut Jerichuntinis stabulantes saltibus ursi
Immissi in pueros, Elisaei ad vota procaces!
Aruit ingrato quondam manus impia Regi:
Ultoris subita vi numinis occidit Oza:
Quod tantum scelus aut Levita, aut Rege merente?
Quid tibi pro tali malesane, quid imprecer ausu?
Ut superum flammis pereas ultricibus haustus?
Caeruleisve gemas depastos anguibus artus?
Ut rapidi mersus sub Averni undantia foedo
Sulphure stagna, tibi vivaci morte superstes
Aeternas immortali des funere poenas?
Non ea vis nostris, non inclementia votis.
Vive magis: longoque nefas dirum elue fletu.
Sive sub Aeolii demersus rupibus antri,
Sive sub Aetnaei fumante crepidine montis,
Vive: et in astriferi suprema volumina mundi
Irrequietus, et insomnis spatiare; manumque
Sacrilegam protende, atque oris dura protervi

Verba per obscurae repetens cava viscera terrae,
Dilue crudelis facinus miserabile dextrae.

At tibi quis sensus regum stirps, Virgine Nate,
Cum saevo tenerae tremerent sub verbere malae;
Et dulcis rosei candor livesceret oris?
Num trucibus frons torva minis, num sanguine vultus
Accenso rubuit? num scintillantia flammas
Lumina vibrabant, aut vox testata dolorem
Excidit? o animi pax illibata sereni!
Purior innubi caelo, tenerisque columbis
Blandior, et Zephyris, et bile carentibus agnis
Constitit, et placido voces has reddidit ore:
Si mea supplicium meruissent verba, probato
Crimine, peccantem plecti jus, fasque fuisset:
Sin autem Domino verba inculpata roganti
Reddiderim, cur injusto me verbere caedis?

Non tamen aut tristi scelerata sattellitis ausa
Damnarunt vultu proceres, aut acribus audax,
Corripuit verbis facinus crudelis Ananus,
Nec tacito saltem immitem sub pectore pressit
Laetitiam. At blando prodens mala gaudia vultu,
Livida nodosis religatum brachia vinclis,
Pontificis Caiphae deduci ad limina CHRISTUM
Imperat, Aeneadasque effusis laudibus ornat.

Haec inter Zebedides divertit in aedes
Hospitis, extremae queis CHRISTUS mystica coenae
Munera sacrarat: quamque illic raptus amoris,
Et luctus gemino tunicam relliquerat aestu,
Induit: et breviter precibus permotus amici
Historiam capti lacrymans percurrit JESU
Deinde morae impatiens, Petro comitante, frementi
Immistus turbae properat: tectumque superbi
Pontificis petit, et felici audacia, in aulam
Ingreditur fidens animi. Data vulnera Petrus
Pontificis famula tacito sub pectore volvens
Constitit ad postes, inimicaque limina. Felix,

Heu nimium felix! si nunquam infausta subisset
Atria. Caelo aliter visum: seu improvidus ardor,
Et nimium praeceps animi fiducia tristem
Promeruit lapsum, sive ut recturus habenas
Christiadum, et geminae divino munere clavis
Aurea clausurus, reclusurusque beati
Regna poli, magno scelerum sub pondere mersis
Ipse suo doctus casu, succurrere clemens,
Disceret, invalidasque pia dulcedine mentes
Firmare, et dulci lapsas pietate fovere.
Bis conatus erat tremulos reflectere gressus,
Bis demens conversa retro vestigia torsit.
Jam mediam castus juvenis penetrarat in aulam,
Cum circumspiciens, socium deprendit abesse.
Continuo redit ad portam blandisque loquacem
Demulcens vetulam dictis, cui janua curae,
Petrum in tecta trahit. Primo illi in limine gressus
Offendens, subita mentem formidine turbat.
Postquam introgressi penetralia nota superbae
Aedis, ubi lectus, Barathro cogente, per umbras
Luctificae noctis Procerum convenerat ordo;
Conscendit juvenis: senior torpentia inerti
Frigore membra Petrus cupiens animare, paratum
Pontificis famulis furtim divertit ad ignem.
Ecce tibi, biforis custos edentula portae,
Decrepito pallore tremens, senioque peresas
In mentum contracta genas, pede clauda sinistro,
Observans sequitur tendentem: oculosque procaci
Sedulitate rotans, hominem nunc lumine recto,
Obliqua nunc fronte petit, dum balba laborat
Lingua immaturos in vocem cogere sensus.
Tandem ubi vexatas angusto in carcere voces
Ire dedit rauco prorumpens gutture tussis:
Hunc, inquit, tremuli gressus, et pallidus ille
Vultus captivi socium testantur Jesu.
Heu fluxas hominum mentes! heu caeca futuri
Pectora! arundinibus sese inclinantibus omnem
Ad Boreae strepitum, Zephyrique Eurique Notique
Mobiliora! ut enim sinuosis turgida velis,

Tormentis munita, et opum (quas India mittit
Fertilis in luxum, aut in victum Maesia) dives
Carpathia aurato navis secat aequora rostro,
Dum sua securos promittunt flamina cursus,
Blandaque Ledaei praelucent sidera fratres.
Ast ubi fatali soror, aut nimbosus Orion
Igne micant, tumidique minantur in aethera fluctus;
Soliciti trepidant nautae, clavumque remittit
Rector, et oceano ratis expugnata fatiscit.
Humanae aut aliter vis, et constantia mentis,
Caelituum dum dextra favet, caput inserit astris,
Summa petens, omnique stat insuperabilis hosti.
Sin dulces retrahat radios, dextramque tenentem
Gratia, fidentemque sibi relinquat alumnum;
Infelix tremulae perculsus arundinis aura,
Et super ipse sua ruet exanimatus ab umbra.
Proh dolor! aetherei qui quondam nubila mundi
Perrupit fidei radiis, Christumque parentis
Aeternam Aeterni sobolem deprendit, et altos
Despiciens pelagi fluctus, vestigia fixit
Oceani undosum tuto calcantia marmor,
Quique Thaboraei supremo in vertice montis,
Sidereos oculis vultus mortalibus hausit,
Et medios audax jam jam prorupit in hostes,
Nunc vano vetulae fractus terrore loquacis
Aestuat, ignotumque sibi mentitur JESUM.

At solio residens Caiphas sublimis avito,
Captivumque oculis CHRISTUM, quos mixta furori,
Gaudia crudeli laetos terrore vibrabant,
Undique perlustrans: quamvis devincta retorto
Brachia fune videt, coramque assistere captum,
Vix credit potuisse capi, dein talia fatur:

Quod desperatis hostem circumdare vinclis
Annuerint superi; vobis, patriaeque gementi
Gratamur proceres. Festis nunc templa juvabit,
Solennesque aras suffire vaporibus. Illo
Incolumi, lux nulla mihi, lux nulla jacenti

Affulsisse urbi visa est. Quis enim locus usquam
Laetitiae, blandis cum subdolus iste venenis
Incautas traheret mentes, Ereboque favente,
Prodigiis caecum raperet per devia vulgus.
Sed vindex tandem ista Deus, patriaeque cadentis
Aspexit gemitus; templique misertus et urbis,
Sacrilegum insidiis felicibus objicit hostem;
Quare agite, et dignas jam tandem sumite poenas.
Unum pro multis detur caput.

His Caiphae dictis incensi, plurima vincto
Crimina certatim objiciunt: sed inania currunt
Verba: nec insontem laedunt mendacia CHRISTUM.
Ecce autem gemini vel stirpe vel indole fratres,
Mendaci de gente senum (qui crimine falso
Eripere intactae vitam nomenque Susannae
Certarunt, Venere in facinus stimulante) creati,
Progressi in medium, jurant audiisse sub ipso
Jactantem templo, se tot fabricata per annos
Atria funditus eversurum, eversa potenti
Voce prius renovaturum, quam tertia claris
Exigeret caelo noctem Tithonia bigis.
Irrita testantum rapiunt perjuria venti:
Atque exspectato caruit mala fabula plausu.
At Caiphas male compositas succedere fraudes,
Vanaque conspiciens sine vi, sine pondere verba:
In terram vultu defixo immobilis haeret.
Terrificae veluti stridentia Gorgonis ora,
Intortosque comis angues Danäeius heros
Objiciens, rigidos in marmora verteret artus.
Tum sic affari fraudesque his nectere verbis:
Fare age, et obscuris lucem da vincte loquelis.
Ille nihil contra. Attoniti pallentque stupentque
Linigeri proceres: Cereris taciturna gementis
Orgia, nocturnosque putes celebrare furores.
Pontificem interea transversa tuentibus hirquis
Respicere, et quaenam cassos fortuna labores
Adjuvet. Ante omnes immani turbidus aestu
Infremuit Caiphas: indignatusque tot ora

In se unum verti: ruere omnia funditus, unum
Opponat ni se ipse viro, et labentibus addat
Rebus opem, partes animum versabat in omnes.
Tandem ubi consilium visus reperisse nefandis
Opportunum ausis, Erebi inspirante tyranno:
Insidias ficto velans pietatis amictu,
Ut viridis coenum malefida fraude profundum
Herba tegit, blandoque nitens fulgore, venenum
Cristatus squamis rutilantibus induit anguis,
Talibus aggreditur, certatque evertere dictis:

Fare per aeterni nomen venerabile Regis
Obtestor, sanctumque Dei immortalis honorem,
Tune Deo Genitus, magnoque aequaeva parenti
Progenies caelo aëreas delapsa per auras?
Agnovit pulchra pietatis imagine CHRISTUS
Artificis scelus obductum: verumque fatenti
Quod superest unum (quando alta silentia tandem
Solvere divini reverentia nominis urget)
Exitium praesens instare. An credere dignum est,
Te verbis potuisse capi, Sapientia Patris!
Aut Caiphae insidiis ceu cervum indagine claudi?
Non ea vis homini; non tanta potentia Diti.
His tua te vinclis pietas, his nexibus ingens
Stringit Amor: Stygium moriendo decipis hostem,
Damnatosque Erebo revocas in sidera amando.
Ut moriaris, amas; morerisque, ut ameris: amantis
Vivimus interitu, trahimur morientis amore.
His irretitus laqueis, responsa petenti
Pontifici, et patribus nimium expectata dedisti.

Vera refers: summi soboles certissima patris
In terram nitida superum dimissus ab arce
Descendi. Immeritum indignis vincire catenis
Ludibriis vexare reum, demittere letho
Insontem: caecumque potes deludere vulgus:
Adveniet tamen ille dies, quo morte subacta
Nubibus invectus, stellanti e sede perennem
Promeritis vitam judex mortemve reponam.

Qualiter undosi propter vada turbida Nili
Perfidus attritis recubans Crocodilus arenis,
Dum videt ignotis aliquem se credere ripis
Incaute errantem; lacrymis fallacibus ora
Jam praedae secura rigat, flendoque cruentam
Irritat rabiem, et crudeles suscitat iras:
Haud aliter Caiphas turbato gaudia vultu
Dissimulans, oculis crudele natantibus, alto
Exilit e solio; sacrumque profanus amictum
Scindens et gemitum fallaci e pectore cogens.
O miseri exclamat, quibus haec audire necesse est!
O miseri, infensum quos haec in tempora numen
Distulit! auditumne tuis majoribus istud
Infelix Judaea scelus! quisquamne supremo
Caelituum Domino sese mortalibus aequet
Inclusus membris? et adhuc consumimus horas?

Dixerat: et rabido proceres clamore furentes,
Blasphemumque magumque vocant dignumque cruentis
Saxorum nimbis; et si crudelior ulla
Impia sacrilegae plectat mors crimina linguae.
Heu verbis saevire parum est! ludibria poenis
Infanda infandis cumulant, et ne illa serenis
Aurea lux oculis regnans, et regia vultus
Majestas saevos exarmatura leones,
Immites animos dulci mansuescere cogat
Aspectu, primum vili nitidissima panno
Lumina (ut obscuris Phaebeos nubibus Auster
Turbidus obtexit radios, dum fulmina cudit)
Obducunt: factaque manu, cava tempora duris
Invadunt pariter pugnis. Hi pectus honestum,
Et nive candidius, Riphaeae grandinis instar
(Nec mora, nec requies) tundunt; cervicibus illi
Ingeminant ictus; infixis unguibus ora
Hic secat; intonsos juvat hunc evellere crines,
Et capitis violare sacri venerabile terrae,
Coelitibusque decus; barbam rapit ille cruentis
Intortam digitis; per tempora, perque notatas
Ungue genas, roseae stillant in pectora guttae:

Liventesque humeros divino murice pinguunt.
Ast alii spurcos exciti phlegmatis imbres
(Scilicet his gemmis, patrio de more solebant
Blasphemos ornare) silentis in ora, genasque
Certatim excutere: horrenda ac indigna relatu
Interea rabidis convitia spargere linguis:
Impactas foedis alapas augere cachinnis.
Dic agedum, tecto qui conspicis omnia vultu,
Hanc alapam quae dextra dedit? quo verbere malae
Jam tibi liventes crepitent; quis proxima vibret.
Omnia quae magni soboles germana Tonantis
Attonitis superis, invicto pectore, dulci
Excipit illacrymaus miseris pietate, patrisque
Ultricem precibus dextram, justumque furorem
Impendentem arcet. Quis te, qui sidera torques,
His majestatem coelo, terraeque tremendam
Subjicere opprobriis tacitum, caecumque coegit?
Nam neque divinos oculos miserabile velum
Impositum capiti, tam spissis condidit umbris,
Ut debacchantum furias, et pectora claris
Immensae lucis radiis penetrare negarent:
Nec membris intorta manus tibi vincula nodis
Tam validis strinxere, ut non vel fulmine jacto,
Vel tacito meritos posses extinguere nutu.
Nescius at vinci velo impenetrabili utrumque
Lumen texit, inextricabilibusque catenis
Ultricem dextram majestatemque revinxit,
Atque aures occlusit Amor, victumque coëgit
Suppliciis abolere tuis, maculasque meorum
Et poenas scelerum, mea te malefacta catenant,
Me solvunt tua vincla. Comas ego pulvere odoro
Deliciosus amo perfundere; colla capilli
Foemineo mihi more tegunt, humerisque recumbunt
Vibrati calido ferro, myrrhaque madentes,
Et tumido dominae petulantis ab ubere raptis
Distincti vittis, oculos et corda tuentum
In Veneris furias stimulant: tua pulchrior ipsis
Titanis radiis coma (cum pulcherrimus undis
Surgit ab Hesperiis geminumque illuminat orbem)

Verporum saevis manibus discerpta profani
Proteritur vulgi pedibus. Nos aspera rugis
Tempora squalentesque genas oculosque superbo
Ingratos speculo, stibio nitrove rubenti
Tingimus: atque asinae fugientem lacte colorem,
Aut ovi albentis testa revocamus, acutae
Cuspidis in faciem crinemve trahentis amamus
Pendentem a mento barbam producere stellae:
Supremique pilos crispare in cornua labri.
Hinc tibi inhonestis violantur tempora sputis;
Tunditur os roseum palmis, et candida duris
Colla infestantur pugnis. Hinc barba furentum
Carnificum manibus divellitur; ungue notatae
Et sparso livent rorantes sanguine malae,
Aureaque immundo clauduntur lumina panno.

Quisquam adeo durus, solidoque adamante revinctus
Pectus, et aeternis silicum praecordia venis,
Ut tanta neget indomitus pietate moveri?
Non trahimur miseri! nec dignis pectora flammis
Incensi rapimur! nec amorem solvere amori,
Nec lacrymas poenis ignominiisque dolorem,
Et meritos sputis, probrisque rependere honores
Ardemus! gemitu saltem testemur amaro,
Nos inconcessi victos dulcedine pomi,
Illecebrisque voluptatum fallacibus actos,
Insonti indignos Domino peperisse labores.
Hoc juvet ad speculum mores componere; saevae
Praecipites irae furias compescere, cristas
Ponere, et incautos oculos, atque urere et uri
Heu nimium faciles, restringere: mille vomentis
Corporis ac animi pestes, seu bilis inundans
Seu Venus impellat, portas occludere linguae.

At Caiphas, postquam scenae crudelis amantes
Pavisset spectando oculos, post terga revinctum
Imperat abduci, clausumque in carcere fidis
Excubiis cingi vigilum. Protractus ab aula
Vix in prima gradum reflexerat atria CHRISTUS.

Cum Petrum (heu quali percussus pectora telo!)
Impia fundentem clara perjuria voce
Audit, et adjectis cumulantem crimina diris.

Ille, ubi foemineae vana formidine linguae
Impulsus cecidit, prudens metuensque futuri,
Infaustis sese properat subducere tectis.
Non tamen insidias viresque urgentis Averni,
Jam domito vitare datum; namque altera vultum
Suspectum, incertosque gradus ancilla trementis
Advertens, quo nunc inquit, se proripit ille?
Quid solus trepidusque ignota per atria fertur
Hic vincti socius? rursum negat omnia Petrus.
At non hac Stygio tenus expugnasse tyranno
Sufficit, et gemina victum stravisse ruina:
Quem comitum e numero reliquis magis omnibus unum
Opprimere, oppressum Cocyto immergere certat,
Et socium infausti fatis adjungere Judae.
Vipereos ergo stimulos caecumque trementis
Inspirans fibris virus lapsumque tumorem
Pectoris indomiti renovans, super omnia tentat
Securam prohibere fugam. Clausasve recludet
Oranti portas custos, quae prima paventis
Prodidit ingressum? fac velle: excita sequetur
Te famulum manus, et fugientem infensa reducet.
Certum est discrimen fugienti, incerta manenti
Alea: quod si etiam manifesta pericula utrimque
Aequali premerent fato: quo gloria mentem
Virtutis germana trahit, quo fortia cogunt
Jam dudum promissa, fidesque impellit, eundum est.
Sed tantos ne finge metus: discrimina debes
Haec pedibus fugitive tuis. Compone trementem
Securus rerum vultum cunctisque patentem
Frigida membra fove famulis permistus ad ignem,
Dum sua Leviadum finito examine coetus
Tecta petent, versoque patebunt cardine portae.

Vincitur insidiis et spe delusus inani
Immiscet sese famulis fallitque tuentes

Jam constans, calidoque accensus sanguine vultum.
Atque ubi spem supra, audacem succedere cernit
Conatum, variis fallit sermonibus horam.
Protinus agnoscunt Galilaea idiomata servi,
Deprenduntque virum, Nazaraeique sequacem,
Quamvis multa neget, repetitis vocibus urgent.
Jamque Erebi ductor sceleri opportuna nefando
Cuncta videns, quando praesens audire magister
Discipuli poterat voces, et verba negantis:
Quo gravius famuli lapsu, cernentis, amantis,
Viscera percuteret Domini; subita incitat ira
Cognatum Malco juvenem, violataque ferro
Tempora, servilisque infamia vulnera plagae
In mentem revocans, stimulis odia aspera movit.
Ille animi praeceps, furiis accensus et ira:
Quid vanis (inquit) quid pergis fallere verbis,
Et Nazareni comitem te, perfide, frustra
Esse negas? ego te capti sub vincula Christi
Vibrantem gladium cognati in tempora praesens
Hisce oculis vidi, nec te prohibere magister,
Nec caedis cupidum potuit cohibere furorem.

Non ita flammivomi mucronem exhorruit ensis
Pulsus Adam; non sulphureis undantia nimbis
Oppida Thariades, improvisosque recursus
Oceani, Pharii manus intercepta tyranni:
Ut non sperato attonitus discrimine Petrus
Obriguit. Perturbato promissa, fidesque
Exciderunt, nullamque ratus superesse fatenti
Spem vitae, miser (exclamat) quodcunque fugacis
Jam reliquum est aevi, peragam: mihi terra mereati
Pabula, vitales aër circumfluus auras
Deneget, et liquidus membris torpentibus ignis
Optati retrahat gratissima dona caloris:
Si reus hic, mihi vel vultu vel nomine tantum
Notus in hanc horam est. Mentiri plura parantem
Castigat reducis volucris praenuntia Phoebi.
Atque infelicis casum miseratus amici,
Parcenti tremulum respexit lumine Jesus.

Lumine, quo Stygii virtus infracta tyranni
Concidit et saevo jam liber ab hoste, sibique
Redditus, ipse suae crimen miserabile linguae
Horruit, invisaque celer diffugit ab aula
Effusis madidus lacrymis. Ut saucia sole
Nix fluit, et radiis glacies labefacta, soluto
Marmore, in instabilem rursus devolvitur undam.

LIBER QUARTUS.

At parte ex alia famulum stipante caterva,
Aurea dum medio volvuntur sidera lapsu,
Lazarus invisam superis contendit in urbem.
Namque ubi terribilis per opaca silentia clangor
Expulerat somnum, summi fastigia tecti
Ascensu superans, oculosque per omnia volvens,
Ausoniam flammis, signis armisque cohortem
Instructam sub oliviferi latera ardua montis
Proxima fontalis properare in limina portae
Prospicit, et saevos Caiphae patrumque dolores
Secum animo versans, divinique hospitis antrum;
Triste per augurium ductus tremit, aestuat, horret,
Abductumque gemit, ceu rerum certus, amicum.
Mox ubi soliciti nulla tractabilis arte
In ventos sese effudit vis prima doloris,
Suspecti impatiens causas nescire tumultus,
Infaustum maturat iter; tandemque reclusis
Infertur portis, Annaeque ad limina tendens,
(Huc fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor)
Aspicit indignis religatum brachia vinclis,
Et Latiis Christum excubiis circum undique cinctum.
Ingemuit graviter miserans, victusque colore
Fluctuat an medios praeceps se immittat in hostes;
Et reducem Authori impendat post funera vitam;
An numis emptos pretio corrumpere certet

Romulidas. Potior tandem sententia sedit
Ausonium capere ante ducem, procerumque sacrorum
Invidiam, et certas odiorum evolvere causas.

Nunc age qua longum vexata tyrannide flebat
Infelix Solyme; quo rerum cardine postes
Romulei patuere viro sub nocte profunda,
Expediam. Gemini cum sceptra invaderet orbis
Actiaca clarus lauro, Marcoque fugato
Caesar, Idumaeus victoris munere regnum
Isacidum Herodes tenuit, felicibus armis
Inclytus, infelix thalami, prolisque, suorum
Caedibus infamis. Dignus qui vindice caelo
Vermibus exesos scalpello solveret artus.
Filius huic haeres, solio sceptroque paterno
Excidit Augusto infenso, Judaeaque pulsis
Regibus, Ausoniae subjecit colla securi.

Primus in imperium famulae Coponius urbis
Fascibus auctus, opes proscripti principis hastae
Subjecit. Cui suffectus moderatur habenas
Ambivius. Post hunc Rufi gens dura secures
Pertulit. Augusto fatis cedente, Tiberii
Caesaris imperio, Rufo succedere jussus
Illustri Gratus proavorum stemmate clarus.
Alter ab hoc Latiis pressam sub fascibus urbem
Pontius oppressit; scelus in quodcunque paratus,
Quo cumulentur opes, legum temerator, et aequi
Contemptor, coeli pariter derisor et orci,
Dum fortuna favet: sin aversata scelestum
Deserat, ac caecis agitent insomnia monstris,
Prodigus effusis divorum altaria ditat
Muneribus, tanquam infensos corrumpere noscet.
Ac velut irriguis flos aureus ille viretis
Solis adulator, Phaeben, flammasque minores
Despicit, ac Domino se claudit, et explicat astro:
Sic licet innumeris fument penetralia divis,
Caesaris unius cuncta inter numina numen
Pontius observat. Cujus vexilla profanus

Occultata sacram Solymorum immisit in urbem
Tum deinde attonitam, reclamantemque piorum
Isacidum turbam confusa caede necari
Sacrilegus jussit. Jam fustibus obvia caecis
Agmina demetere, ac impulsis turribus, una
Matres atque viros pariter tumulare ruina
Ludus erat. Tali scelerum sub pondere mersum
Conscia vis animi nigris circumvolat alis.
Non pacem vigili lux, non obscura quietem
Nox placidam indulget. Vigilant in pectore dirae
Assiduae, exercentque reum poenasque reposcunt.
Non alias tamen infaustum irrequieta soporem
Turbavit tantum Nemesis, praesagia fati
Certa, sed obscuris simulacris abdita monstrans.
Vix oculos somnus primis afflaverat alis;
Ecce tibi trepidas rabidis ululatibus aures
Impulit agrestum turba importuna luporum,
Undique Pastorem infestans, cui vividus oris
Candor, et eximia frons majestate nitebat,
Altior aerumnis. Patulis hunc faucibus unum
Circum omnes fremere, et repetito invadere morsu.
Jamque adeo conferre manum, auxilioque levare
Velle videbatur, saevumque arcere furorem.
Nequicquam: oppressus numeroso vulnere Pastor
Occumbit, caesoque micans e corpore sanguis,
Purpureo tremuli perfudit tempora rivo
Territus his monstris, thalamo se proripit amens,
Suspectosque Deos votivo thure fatigat.
Jamque viam emensus Latios Bethanius heros
Constitit ad postes. Vigilum praefectus amicis
Excipit occurrens verbis nomenque viaeque
Accipiens causam, Domino festinus utrumque
Nuntiat. Audito insperati nomine praeses
Hospitis, accitum jubet in penetralia duci.
Occupat intrantem amplexu, blandaque salutans
Voce: quid has inquit tam matutinus ad aedes,
Hac etiam sub luce, tuae quae maxima genti,
Acceleras: neque enim occulto sine numine divum
Adventum reor esse tuum. Sic fatus eburno

Multa recusantem, cogens locat ipse sedili.
Tum dextra pateram signis auroque rigentem
Accipiens, Baccho plenam spumante supinus
Haurit: et infusi vibrantem flore Lyaei
Obtrudit blande juveni, atque haec insuper addit:

Annuerint Superi felicia sacra mihique,
Et genti sint ista tuae. Nec multa moratus
Lazarus, acceptum delibans parcius aurum:
Annuerint, infit, Superi. Me haec vota timentem
Urbique, et patriae, vix decedentibus umbris,
Intempestivo has gressu contendere ad aedes
Impulerunt. Si forte tuas pervenit ad aures
Egregii herois nomen, quem patria JESUM
Lingua vocat, docti CHRISTUM dixere Pelasgi;
Hic mihi causa viae est. Hac illum nocte catenis
Implicitum, Patres odio invidiaque furentes,
Ut primum reducis clarescent lumina Phoebi,
Ad tua crudeli mactandum funere ducent
Limina. Stellantis quod te per lucida mundi
Sidera, per Domini nomenque decusque Tiberii
Obtestor, Procerum indignum compesce furorem.
Obstupuit primam ad vocem, gemitumque loquentis
Pontius: et vincti sortem miseratur acerbam,
Fortunam tum deinde suam, dubiique soporis
Miratur properare fidem. Mox talia reddit:
Solve metum (neque enim Ausonios corrumpere fasces
Leviadum commenta queunt:) atque inclyta gesta,
Virtutesque viri, et causas evolve prementis
Invidiae, fatumque tuum. Nam te quoque Diti
Abstulit (ut fama est) superasque reduxit in auras.

Dixerat: et tacito ingentes sub pectore curas
Dissimulans, laeto vultu Bethanius heros
Incipit. Isacidae spes et fiducia stirpis
Numinis auxiliis semper stetit, omnia nutu
Torquentis, resque humanas propiore sereni
Luminis aspectu, et patrio fraenantis amore.

Illius imperio terris excessit avitis,
Chaldaeosque lares, et patria numina Abramus
Deseruit Chananaeis vagus exul in oris.
Hoc profugo Deus ipse solum, generique futuro
Concessit. Stabilem his voluit consistere terris
Isacidum gentem, Judaeaque sceptra potenti
Dispensans nutu, Jessaeo in stemmate fixit.
Donec perpetuo Regum de sanguine stirpem
Virgo trahens, sine lege thori, sine labe pudoris
Intacta puerum promissum educeret alvo,
Qui fretus genitore Deo, collapsa sacrorum
Jura instauraret, scelerum vitiata venenis
Pectora dilueret, patrioque aptaret Olympo.
Haec adeo antiqui praesago carmine vates
Caelicolum jussu, cecinere. Haec omnis ab ipsa,
Quam longa est, per tot jam saecula origine gentis
Ordo Patrum natis, proavumque nepotibus, omni
Inculcare aevo soliti. Mens omnibus una,
Queis animus nulla invidiae rubigine livet,
Caelituum patuisse fidem, certamque Tonantis
Progeniem Coelo terras petiisse relicto.

Jessaeas inter forma pulcherrima Nymphas
Virgo micat; proavum genus alto a sanguine Regum
Deductum, vultusque decus virtutis amoena
Luce premens (veluti flammas Dictynna minores
Gratior exuperat) MARIAM dixere parentes,
Hanc Pater, insigni indulgentis munere coeli
Post steriles thalamos, desperatumque parentis
Nomen, longaevae genuit sub fine senectae:
Et charae avulsam genitricis ab ubere, magno
Caelicolum Regi Solymaei ad limina templi
Obtulit. Infantem arcana vi Numinis actam
Fama est annosi dextram sprevisse parentis,
Aeratosque gradus, queis surgunt limina, gressu
Maturo superasse: oculis in sidera versis,
Supremo famulam se consecrasse parenti.
Obstupuere Sacerdotes, vigilesque sacrorum,
Praecurrentem annos pietatem, ardentia vota,

Et dulces Superis lacrymas, mentemque supernis
Faecundam radiis, roseique vibrantia vultus
Sidera, queis hominum Divumque aeterna potestas
Arcanos gemitus, fixasque in pectore curas,
Et desperatos medico mulcere dolores
Aspectu dedit: ut flagrantis lumina Phoebi
Nubila discutiunt tempestatesque serenant.
Illa verecundi divina modestia vultûs,
Virgineusque decor, blanda dulcedine mentes
Allicit; et castae vi majestatis, amoris
Tela Dionaei, et lascivos excutit ignes.
Ut primum plenis accessit nubilis annis,
Et matura thoris aetas, coiëre propinqui
Stirpe pares paribusque petunt connubia votis.
Illa autem aeternae jam virginitatis amorem
Imbiberat, regique Deum desponsa, virilis
Exortes thalami templo sacraverat annos.
Et placuit Superis sitis intemerata pudoris,
Exemploque carens. Sed enim mirabile votum
Sacrifici, quorum intererat socialia casti
Jura thori jam maturis aptare puellis,
Attoniti volvunt, et secum plurima versant,
Ambigui quo fonte fluat, quid deinde sequatur.
Talibus impliciti curis, oracula Divum
Solicitant fuso pecudum (de more) cruore.
Vox tandem Superum ex adytis audita, jubentum
Connubii vinclis necti taedasque parari.
Imperio laeti parent, atque auspice coelo,
Non obluctantem, thalamo sociare jugali
Accelerant. Omni e numero sors ducta Josèphum
Virginis in sponsum felici praetulit urna.
Regius huic unaque fluebat origine sanguis.
Res tenuis tamen, et fabrili pauper ab arte
Census erat. Veneris stimulis intacta juventus
Transierat, castoque animo maturior aetas
Addiderat vires; tum voti conscius, almum
Virginei erubuit florem libare pudoris,
Et thalami expertem duxit cum conjuge vitam.

Jamque adeo quinos revolutis cornibus orbes
Cynthia complerat, mediaque in nocte sereno
Lustrabat coelum curru: cum regia Virgo
Numine adorato, divinorum enthea vatum
Scripta revolvebat. Quos inter dulcior unus
Amosides: illum manibus noctesque diesque
Indefessa tenens, oculis et pectore versat.
Quippe per intactam Jessaeae Virginis alvum,
Descensurum alto patrii de culmine coeli
Fatidico Superum regem promiserat ore.
Dum legit haec, dum lecta stupet, manibusque supinis
Acceleret promissa Deus, mundoque jacenti
Succurrat praesens, votis flagrantibus orat:
Ecce tibi insueto thalamus fulgore relucens
Perstrinxit radiis oculos: et missus ab alto
Astitit oranti coeli stellantis alumnus.

Obstupuit primo aspectu perterrita Virgo,
Purpureusque pudor formosi lilia vultus
Sanguine corrupit, sensit pulcherrimus Ales
Turbatam, et blanda admirantem voce salutans:

Solve metus, inquit, summo gratissima Regi
Virgo, divitiis superum Charitumque beata
Muneribus, plenis cui mentem gratia rivis
Imbuit exundans. O terrae gloria! Divum
Deliciae! en clara caeli demissus ab arce
Advenio, partumque tibi prolemque futuram
Nuntio. Tu puero nascenti nomen JESU
Impones. Ille, ille Dei germana parentis
Progenies, proavum regnum jam debitus haeres
Accipiet, cui nec metas, nec tempora ponet
Omnipotens. Pax alma, salus, virtusque fidesque
Aurea perpetuis deducent saecula fusis.
Aspice deserti vacuata palatia coeli
Aspice damnatas primaevo crimine terras:
Assensum tellusque tuum coelumque reposcit.

Illa suae impatiens laudis, ceu lilia mistis

Tincta rosis, cerasisve injectis lacteus humor,
Erubuit: vultumque solo defixa, silensque
Promissi exortem partus volvebat honorem.
Nec tamen amissa, Matris nomenque decusque
Virginitate placet, sed enim qua virgo pudore
Illaeso pariat, thalamique ignara virilis,
Scire ardens, sic deinde refert: quis talia tandem
Abnuat, intacto si casti flore pudoris
Consensum praestare licet? namque ipsa viriles
Amplexus fugio. Subjicit laetissimus Ales:

Ut radium sidus, liquidumque ut flamma colorem
Inviolata parit: sic virginitatis honore
Illaeso aethereamn educes coelo auspice prolem.
Namque tibi omnipotens auris coelestibus afflans
Spiritus incumbet; summique Potentia patris
Desuper illabens, sancta te prole parentem
Efficiet. Viden ut sterilis post fila juventae,
Extremo ingratae vitae sub margine Elisa
Jam sextum numeret dulci sub pondere mensem?
Sic incorruptae de sanguine Virginis ultra
Naturae sortem viresque educere Natum,
Sidereo facile est, qui temperat omnia, regi.
Talia dicenti Virgo secura pudoris
Jam jam nulla mora est, inquit: quo me arbiter orbis
Immeritam vocat, accedo monitusque capesso.
Adsis o famulae Deus, et tua Numina firma.

Vix haec ediderat: cum Nuntius Ales in astra
Evolat: et dicto citius, Deus aethere summo
Descendens, puro castae de sanguine Nymphae
Ipse sibi tenerum corpus vitaeque capaces
Artus composuit, subit intemerata vigoris
Aetherei amplexum Virgo, dulcique liquescit
Ebria laetitia, Divinoque aestuat igni,
Authorem paritura suum juncturaque miro
Virginis et Matris discordes foedere honores.

Mane, novo cum puniceo Tithonia curru

Invecta, optato squalentem lumine mundum
Irradiat, tacitis egressa cubilibus, omnes
Abrumpens MARIA moras maturat in altos
Ferre gradum montes, positamque in montibus urbem
(Qua primos iniit sceptri regalis honores
Dilectus Superum regi, Jessaeïus Heros)
Ut consanguineae praesens gratetur Elisae.

Vix primo teneros figebat limine gressus,
Vix primam roseo amplectens dabat ore salutem,
Ecce tibi, cognatae utero conclusus ad ipsam
Virginis exiliit vocem Divinitus Infans:
Et concussa novo turbavit viscera plausu.
Ipsa etiam radiis animum caelestibus icta
Exclamat genitrix, dum charo brachia collo
Implicat: O quis me hoc Superum dignatur honore,
Ut te, foeminei decus insuperabile sexus!
Ut te sidereo rerum genitore tumentem
Aspiciam his oculis! o terque quaterque beata!
Omnipotens fidei merito super omnia Numen
Naturae te jura levat. Tu sponsa parentis
Aetherei, aeterni genitrix, et filia Nati.

At Virgo deprensa uteri miracula cernens,
Caelicolis grates divino carmine dixit,
Ancillaeque vicem subiens famulatur Elisae.
Mirantem pariter, renuentemque omnibus una
Praevenit officiis: donec ter candida Phoebe
Compleret nitidum glomeratis cornibus orbem.
Dein ubi felicem partum longumque cupitam
Cognatae affulsisse diem laetissima vidit:
Obsequio perfuncta redit, partusque senilis
Non haec speranti memorat miracula sponso.

Interea Actiaca redimitus tempora lauro,
Exhaustum Augustus bellis civilibus orbem
Censeri jussit. Gravida cum Virgine, sponsus
Jessidae cunis celebrem vatumque camoenis,
Caesaris imperio parens, maturat in urbem,

Unde genus clara proavum de stirpe trahebat.
Jam picturato procedens vesper Olympo,
Ingenti caelum terramque involverat umbra,
Hospitibusque angusta suis urbs, omnia circum
Tecta peregrinis impleverat. Anxius ille
Tum prece, tum pretio Matri prolique, patentis
Hospitii limen patria quaerebat in urbe.
Nec prece nec pretio gravidae nec Virginis alvo
Inflexi limen reserant. Nec sanguinis ullus,
Nec pietatis honos Marpesia pectora strinxit.
Moenibus egressus, campisque jacentibus errans,
Ecce, per hybernae nimbosa cacumina lunae
Aspicit antiquae culmen procurrere molis.
Advertensque gradum, cernit magale palustri
Carice, et ingesto male tectum stramine, gratum
Hospitium fessis longo sudore colonis
Agricolisque improvisum fugientibus imbrem.
Scilicet (o numen Superum impenetrabile! caecas
Exuperans hominum mentes, inhiantia ridens
Pectora divitiis fallacibus) haec erat illa,
Haec erat aula Deo nascenti debita. Claris
Regibus orta, poli regem paritura subibat
Stramineum regina thorum, tempusque locumque
Ingeniumque novi volvens mirabile partus.
At vero gelidae medio sub frigore noctis,
Ceu media sub luce, domus tectum omne corusco
Accensum fulgore micat: caeloque relicto
Caelituum nitidis rutilans exercitus alis
Circumdat tuguri culmen; cantuque morantem
Ambrosio puerum castae genitricis ab alvo
Alliciens, puras invitat in aetheris auras.
Haec inter, dum caelesti dulcedine mentem
Perfusa, ingentique liquescens pectus amore
Vota facit: mirante polo, plaudentibus Astris,
Virgineum intemerata decus, claustroque pudoris
Intacto, vix ipsa sui sibi conscia partus,
Effudit prolem. Prius almae viscera matris
Liquerat, et duris infans exceptus avenis

Maternas claris vagitibus impulit aures;
Quam Natum sensit ter fausta puerpera. Nasci
Qui voluit, potuit nascendi infringere leges.
Nec mirum illaesa in lucem si prodeat alvo,
Quam nullo humani genitus vi seminis, hospes
Improvisus init. Sic florum gloria amoenum
Intacta spirat foliorum purpura odorem:
Sic pellucentis crystalli lucidus orbis
Accipiens Phoebi radios, innoxia tela,
Sidera non sua transmittit, sua frigora servat.

Non opus humanae est verbis comprendere tanti
Mira puerperii; aut felicis gaudia Matris
Exprimere; intactum cum formosissimus infans
Desereret furtim thalamum: (ceu vere comanti
Exudat matutinum Tithonia rorem)
Cum genitrix dulci praecordia amore liquescens,
Virgineis natum manibus, calidoque foveret
Laeta sinu nitidisque infigeret oscula labris!
Oscula Divini spirantia nectaris imbres!
Oscula per castae purissima labra parentis,
Oscula Divini per florida labra Puelli,
Aeterno aeterni nexu stringentia amoris
Viscera Matris, et aetherei praecordia nati.

Non procul a stabulo, nudoque sub aëre, noctem
Pastores vigilem, patrio de more, trahentes,
Intenti gregibus, variis sermonibus horas
Fallebant. Hos angelicae dux ipse catervae
Sidereus Gabriël, caelesti in luce refulgens,
Laetitiae vocat in partem, dulcique stupentes
Carmine permulcens: hac, inquit, nocte renatus
Mortali de stirpe Deus: quo ferrea primum
Desinet, et toto surget gens aurea mundo.
Hoc duce primaevae tandem contagia culpae
Irrita, perpetua solvent formidine terras.
Occidet et serpens, et saevae tristia mortis
Spicula fracta cadent. Virtus, pietasque fidesque,
Jura dabunt gemino auspiciis communibus orbi.

Ergo agite, et nati mira incunabula Regis,
Bethlaeamque casam laeti perquirite: et ipsum
Agrestes inter stipulas celebrate jacentem.
Dux erit ille viae. Vix haec, et flammeus aether
Explicat innumeros trepidis Pastoribus aulae
Stellantis proceres: pars dulci carmine, laetis
Pars citharis, pars vocali testudine Patris
Aetherei resonant laudes: atque aurea pacis
Dona, Deo nascente piis concessa, canoris
Plausibus ingeminant. Laudes et carmina jungunt
Pastores, pulsoque metu gregibusque relictis,
Accelerant. Signabat iter gens lucida Divum,
Monstrabatque domum. Cum sacra ad limina ventum,
Procubuere omnes, et majestate puelli,
Divinisque oculis blande penetrantibus ima
Pectoris attoniti, Numen caeleste fatentur:
Votaque concipiunt, et dulci viscera flamma
Incensi, avelli nequeunt ardentque tuendo.
Oscula nunc manibus (cedit reverentia amori)
Ingeminant: nunc (audacem reverentia amorem
Castigante) Dei cunas infantis adorant.

Jamque quater denos Phoebus numeraverat ortus
Virginis a partu: quando lustranda subibat
Cum puero genitrix Solymaei limina templi,
Dona ferens, geminas (patrio de more) columbas.
Ecce autem Superum manifesto numine templum
Ingreditur, genus Amramidae de sanguine ducens
Longaevus Simeon, caelo charissimus unus
Qui fuit Isacidum, et nostri justissimus aevi.
Illum fama refert veterum praesagia vatum
Assidua trivisse manu, noctesque diesque
Immersum sacris studiis. Super omnia doctis
Amosidae chartis totum incubuisse, stupentem
Virginis ad partum, quem claro carmine vates
Entheus exposuit. Quod dum contingere nulli
Posse putat, teneram pro Virgine Matre puellam
Substituit. Sed enim relegens, divinitus illam
Saepius eradi vocem rursumque reponi

Virginis intactae partum videt. Ergo stupore
Ingenti abreptus, quid agat, quid denique credat,
Fluctuat. Ancipitem nitido vox aethere missa
Castigat; quianam illaesa inconsulte parentis
Virginitate, senex, puerum prodire sub auras
Posse negas? te, te mihi crede superstite, Virgo
Parturiet, dabiturque tibi spectare tuisque
Amplecti manibus Puerum de Virgine natum.
Ergo ubi divino Matrem cum pignore templum
Ingressam vidit, monitis caelestibus actus,
Occurrit laetus raptumque parentis ab ulnis
Infantem amplexus: nunc, o nunc accipe clamat!
Hanc animam Pater, et tumulo me claude volentem.
Jam moriar, laetus moriar, quando aethere ab alto
Demissum cerno puerum, qui Virgine Matre
Te genitore satus, mortales induit artus.
Vix haec ediderat, cum numine tacta, stupenti
Anna supervenit, clausumque in corpore numen,
Virgineique exortem uteri patefecit honorem.
Hanc (ut certa fides) viridis sub flore juventae
Orbavit charo mors immatura marito.
Illa autem abrepti post funera conjugis, omnis
Impatiens thalami, Superum se devovet arae,
Supplicibusque Deum noctesque diesque fatigans
Votis, in seram jejunia casta senectam
Produxit nulloque aspersam crimine vitam.

At non angustis Judaeae finibus ortus
Signa sui ac illibati miracula partus
Includi passus. Nabathaeo e cardine Reges
Tres numero, patriae immemores regnique, periclis
Contemptis (quae causa viae longumque sub ipso
Cornibus horrentis glaciali sidere Capri
Intentabat iter) peregrinas quaerere terras
Impulit illustrans caelum nova stella, corusco
Lumine Phoebeis non decessura quadrigis.
Hanc Pater Omnipotens CHRISTI nascentis honori
Aëris extremo suspendit in orbe, ducemque
Addidit Aligerum, quo propellente per auras

Acta, Magis Nati cunas quaerentibus omne
Praecurrens aperiret iter, miserumque renati
Numinis hospitium radiorum accenderet auro.
Protinus arcanis Caelestum afflatibus acti
Non expectatos tam clari sideris ortus
Attoniti explorant. Quo Divum numine tantam
Haec medio vibrare die mirantibus ausa
Terrigenis lucem, rutilo fulgore sereni
Ignivomum Phoebi currum radiosque lacessat?
Qua caeli regione micet? motune feratur
Sideribus proprio, an certa statione quiescat?
Astrorum sed enim proprias contemnere leges
Perspiciunt nunc Hesperio de carcere in ortum
Tendere, nunc Ursae glacialem Erymanthidos axem
Deserere et pluviis squalentem nubibus Austrum
Non expectatis radiorum incendere flammis.
Quid tantis certent Superi portendere monstris
Eruere ingenio conantur et arte magistra.
Adfuit egregiis Numen conatibus, addens
Ambiguis lucem: qua mentem accensus, inanes
Melchior exclamat comites deponite curas.
Fallor? an hoc sidus venturi praescius olim
Promisit Balaam, Hebraeo de sanguine Regem
Affore pollicitus terraeque undaeque potentem,
Aeterno geminum qui Numine torqueat orbem?
Quare agite, et magni simul incunabula Regis
Quaeramus meritoque Deum veneremur honore.
His incensi animos, patriis excedere regnis
Festinant magna procerum stipante caterva.
Fervet iter, longumque viae durumque laborem
Atque omnes curas, quas formidabilis ira
Parturit Herodis, rutilae lux praevia stellae
Temperat; ut pelagi oppugnantis fluctibus actos
Exhilarat media Cynosura in nocte refulgens.
At vero ut primae Solymorum assurgere turres
Incipiunt, stella ex oculis elapsa fefellit
Attonitos. Sed non animi generosa recessu
Sideris infracta est virtus; saevi alta tyranni
Atria conscendunt, missisque ambagibus, ipsum

Intrepido ore rogant, queis regni partibus ortus
Isacidum Dominus, cujus se sidere tractos
Tantum iter exhausisse ferunt. Rex improbus, ira
Invidiaque furens, tacito sub pectore flammas
Comprimit, impatiensque morae metuensque pericli
Concilium vocat, et promissi tempora CHRISTI
Callidus exquirit. Referunt responsa petenti
Leviadae, monstrantque locum, quem praescia vatum
Pectora veridicis olim cecinere loquelis.
Ingenti Herodes turbatus inhorruit aestu,
Rivalemque timens jam tum crudelia versat
Consilia et subito nascentem evertere fato
Cogitat. At sceleri nondum matura cruento
Omnia conspiciens, blandis affatibus iram,
Et vultu ridente nefas praetexit, et ite,
Felices inquit, queis Divum munere CHRISTUM
Promissum reperire datur! Bethlaea (sacrorum
Carminibus vatum si quicquam credimus) ortum,
Primaque Jessaeo debent cunabula regi
Moenia. Vos digno reduces complectar honore,
Et votis si quando piis caelum annuat, ultro
Advolvar cunis, suaque illum in regna vocabo.

Dixerat: atque alacres spe jam propiore videndi
Nascentis cunas Domini metamque laborum,
Corripuere viam. Vix sacrae moenibus urbis
Exierant, rediitque viae dux stella, nec ante
Deseruit, pastoralis quam culmina tecti
Agrestemque casam certo deprendere possent
Intuitu. Medio dein aëre fixa pependit.
Non illos angusta domus, Phoeboque Notoque
Pervia, turbavit. Stellae miracula vilis
Illustrant stabuli squalorem et sordida tecta,
Semirutosque lares auratis turribus aequant
Regis Achaemenii. Virgo intemerata sedebat
Stramineo suffulta thoro gremioque receptum
Dulce tenebat onus, pascentemque omnia puro
Lacte fovens, sese ipsa oculosque infantis amoeno
Pascebat vultu tenerumque fovebat amorem.

Ast ubi quadrupedum sonitus clangorque tubarum
Audiri, fremitusque virum per inane, relictis
Uberibus, brevibus matrem puer implicat ulnis,
Osculaque affigit mortalique altior ore
Emicat et divina oculos matrisque suosque
Majestate afflat lucemque a vertice fundit.
Ergo ubi felici stabuli pede limina Reges
Ingressi, dulci puerum aspexere sedentem
Virginis in gremio, manifesto numine tacti
Inflexo pariter procumbunt poplite et ipsam,
Mira fides, terram submissa fronte salutant;
Sceptraque et insignes auro gemmisque coronas
Ad Domini sternunt vestigia. Mystica promunt
Munera gemmatis pateris inclusa, colentes
Myrrha hominem Regemque auro verumque Sabaei
Thuris honore Deum. Venturi haud inscius aevi
Arrisit donis infans, blandoque datores
Excepit vultu. Atque illis diffusa per artus
Laetitia, ambrosio fibras et viscera lapsu
Pertentat. Juvat optatam coelo auspice metam
Votorum tetigisse, humana carne latentem
Inspexisse Deum. Perfecto munere, Divum
Imperiis intempesta sub nocte receptis,
Insuetum per iter regna exoptata revisunt.

At ferus illusum Regum se fraude tyrannus
Aspiciens, pueri in caedem implacabilis ardet.
Et ne deceptum pereat scelus, imperat omnes,
Queis primaeva duos nondum vita abstulit annos,
Bethlaeos intra muros pagosque propinquos,
Absumi ferro infantes. Ferale jubentis
Imperium stupuere ipsi (quibus occidit olim
Effuso pietas toties excussa cruore)
Carnifices, damnantque nefas et dulce parentis
Nomen inhumanos aliquantum distulit aestus.
Sed lucri stimulis actus dulcique cruoris
Spargendi rabie, redit in crudele satelles,
Ingenium, et miseram ruit improvisus in urbem.
O scelera! o caedes! mediaque in pace furores!

Quos etiam captis flevissent moenibus hostes,
Cum nocti commissa animos victoria duret,
Sanguineumque furor vibrat intractabilis ensem.
Confuso plangore viae, tecta, atria, muri
Et jam Bethlaeis nimium vicina colonis
Arva fremunt. Amor et lectus, formido furorque
Lymphatam insanis rumpunt clamoribus urbem.
Oderunt sua vota senes miserisque negatam
Irritant mortem. Juvenum diversus in auras
Clamor iit. Fratrum caedes properataque fata
Securis plangunt lacrymis, quia lege teneri
Tela vident; gaudentque annos superasse tyranno
Suspectos teneroque luendas sanguine cunas.
Omnia foemineis resonant loca faeta querelis.
His insanit amor, trepidis illae arma maritis
Obtrudunt, parvosque urgent defendere natos.
Incusant aliae Superos et mille tyrannum
Crudelem diris onerant. Hae pectora ferro
Objiciunt suaque irritant in funera dextras,
Illitaque undanti natorum sanguine tela.
Ingeniosa illas fati mortisque cupido
Solicitat teneris circumdare brachia natis
Non ullis solvenda minis; ut vulnere eodem
Cum pueris pereant: sed enim ingeniosior ictum
Dispensat caute miles vitamque trementi
Infanti docto ense rapit parcitque parenti.
Quis scelerum facies, quis funera saeva loquendo
Explicet? invasere domos caecasque latebras
Scrutantes, miseras cogunt sua viscera matres
Prodere. Ni faciant, communi involvere fato
Progeniem, patrem patresque virosque minantur.
Produnt se pueri lacrymis, lamentaque matrum
Non sua, nec possunt, flentes, tela impia tingunt
Carnificum, gladios in membra tenella vibrantum
Nondum vulneribus matura. Viamque locumque
Crudelis stricto miles vix invenit ensi;
Pertaesusque moras arctatis faucibus illos
Strangulat, hos saxis allidit, proterit illos.
Pelluntur dulces animae vitaeque recentes

In tumulum et lacrymas natae, interrupta tenelli
Corporis hospitia et tecta imperfecta relinquunt.
Nascentes sic turbo rosas immitibus Austris
Praecipitans sine lege rapit. Sic cerea castra
Depopulata lues, una spem gentis et anni
Clade premit; tumulis orbae sua pignora matres
Componunt fugiuntque malae contagia sedis.
O sceptri malesuada fames! nec regius infans
Evasit patris rabiem sed ab ubere raptus,
Atque insperata jugulatus cuspide, sensit
Carnificem, prius heu! quam senserat esse parentem.
Proh quantum innocui nequicquam sanguinis hausit
Illa dies! solus vivit, quem perdere solum
Ambitio praeceps inter tot funera quaerit.
Namque prius Superum affatu, monitisque sub alta
Nocte datis, saevi facinus lacrymabile regis
Edoctus (mora nulla) fugam cum Matre Josephus,
Et puero accelerans, Pharias secessit in urbes.
Illius adventum tremuerunt Caspia regna,
Et septemgemini turbarunt flumina Nili:
Omnigenumque Deum monstra et latrator Anubis
Desertis fugere adytis. Ne quaere doceri
Qualiter imbelles infans exegerit annos.
Soli illos matri fas scire, exponere solis
Caelicolis. Nihil in cunis, quod Virgine Matre,
Quod nascente Deo indignum. Membra aurea naevis,
Mens vitiis intacta, suo cumulata decore
Florebant. Puerile nihil puerilibus annis
Cernere erat, nullos motus, vestigia nulla
Naturae peccantis.
Aureolis pueri sese matura capillis
Canities morum occuluit. Blando insidet ore
In risum solvi indignata modestia. Laetos
Majestas augusta oculos frontemque serenam
Temperat. Ambrosiae dulcis facundia linguae
Attonitum raperet divinis Nestora verbis.
Sidereum lacrymis vultum dum spargit, in imbres
Solvitur obscura clausum caligine coelum.
Dum delenitus materno carmine blandum

Arridet, radios pulcherrimus explicat omnes
Cynthius. Unum omnes effudit prodigia dotes
In puerum natura, uni tamen omnia non dant
Dona suum cumulata decus. Se perficit ipse,
Qua natura nequit, propriisque coloribus ornat.

Infaustum interea Nemesis dilata tyrannum
Saevius incumbens, funesta tabe peremit.
Ergo iterum in patriam reditum (quamquam omnia nondum
Tuta satis, dum sceptra patris non degener haeres
Gestaret,) diva accelerat cum conjuge conjux.
Judaeae tamen haud ausi se credere, in urbem
Deflectunt Nazarenam; charosque penates
Ingressi, laeto memores horrore revolvunt
Exilii casus, rerum discrimina, saevi
Herodis rabiem et parvi miracula nati.
Ut Matri quercus fugienti cesserit ultro,
Scindens se mediam, et gremium, velut hospita, pandens
Ut virtus morbis inimica accesserit illis,
Queis pueri vestes genitrix intinxerat undis.
Utque inclinantis frondosa cacumina sylvae
Adventum testata Dei, venientis honori
Difficiles flecti ramos et brachia truncis
Aemula curvarint. Ut coelo missus ab alto
Pennigerum chorus, humanae sub imagine formae
Omniaque infanti similes, colludere visi.

Jamque propinquabant Pascalia festa, parentum
Relligione pia innumeros servata per annos,
Haec celebraturi castus cum virgine sponsus
Deseruere domum, gressusque ad regia tendunt
Moenia. Se dextrae implicuit genitricis JESUS,
Bis senos numerans vitae admirabilis annos,
Jessaeamque comes non aequis passibus urbem
Ascendit, magno facturus vota parenti.
Verum ubi perfecto votorum Mater honore
Maturat reditum laeto cum conjuge, CHRISTUS
Dilapsus furtim comites ipsamque fefellit.
Heu quibus amissum lacrymis, quo moesta dolore

Deflevit genitrix! totam miserabilis urbem
Perlustrat puerumque omni sub limine quaerit.
Jamque dies alterque dies effugerat, omnis
Pene etiam exciderat nati spes lapsa videndi:
Tertia sed postquam tenebris aurora fugatis
Purpureum extulerat currum, templi atria fido
Intuitu lustrans, sublimi in sede locatum
Aspicit et templi proceres legisque peritos
Attonitos pueri pendere docentis ab ore.
Nam modo facunda legis mysteria lingua
Et Labyrintheos nexus arcanaque soli
Nota sibi, velut ignarus cupiensque doceri
Exponenda dabat; nunc ad quaesita suavi
Eloquio claram lucem responsaque certa
Dissimulans serit; arrecta nunc aure loquentes
Audit, et arridens veris fucata severo
Dicta supercilio castigat. Laudibus omne
Concilium extollit gestus et verba sedentis.
Illos forma movet, vis majestatis amoenae
Hos rapit affectu vario, vultuque sub uno
Spectantes invitat amor, reverentia terret,
Et terror tamen ipse trahit, stupor omnibus unus,
Quos fructus flos ille ferat maturus, ab illa
Arbore quid sperent, primi quae viminis altas
Exuperet tenero sublata cacumine Cedros.
Ergo avidi variis iterum exercere parabant
Pene fatigatum nodis, pueroque tumentes
Praeceptore, alia ex aliis iutexere quisque
Quaesita ardebant, cum charae tristia Matris
Ora procul flexis oculis advertit Jesus.
Tum vero dulci victus pietatis amore
Occurrit repetitque domum, Matrique Viroque
Subditus, obscuram sub tecto paupere vitam
Produxit latitans, donec maturior aetas
Attigit exactis terdenos mensibus annos.

Forsitan et consanguinei primordia vatis
(Baptistae cui nomen) aves audire modumque
Crudelis lethi et rigidae decora inclyta vitae.

Hic ille est, qui foecundae genitricis in alvo
Virginis ad gravidae vocem divinitus actus
Exiliit, matrisque uterum concussit Elisae.
Jam tum stellanti demissum ex aethere CHRISTUM
Ostendens terris, ut matutinus ab alto
Lucifer Ausoniae Veneri gratissimus ignis,
Purpureos Phoebi reducis praenuntiat ortus.

Zacharias puero genitor, qui sanguine claro
Pontifices numerat, proavos regesque. Superbo
Par generi virtus et divis gratior omni
Thure fides. Castas sterili cum conjuge taedas
Jam desperatae cumulavit munere prolis
Omnipotens. Namque extremo sub margine vitae
Thuricremos arae dum rite accenderet ignes,
Ecce tibi picturato demissus Olympo
Astitit oranti, claraque in luce refulsit
Angelus. Expavit senior, dextraeque trementi
Thura excussa cadunt. Sed enim pulcherrimus ales
Attonitum mulcet blandoque haec ore profatur.
Parce metu longisque modum jam pone querelis.
Nam tibi longaevo producet Elisa Joannem;
(Hoc nomen puero) et digna te prole parentem
Efficiet. Superum regi gratissimus infans
Ambrosiae rores et largos nectaris imbres
Imbibet ante ortum, tu tanto pignore felix
Postera honoratum duces in saecula nomen.

Non tamen ille fidem dictis dedit; obstat inerti
Sanguis hebens senio ac effoeti corporis horror.
Jamne mihi nati nomen, jam patris honorem
Promissurus ades? vix (si mihi spondeat ipse
Omnipotens sobolem) sperem hac aetate parentis
Dulce decus parvumque sinu gestare Joannem.
Talia dicentem contracta fronte severus
Angelus increpuit verbisque haec insuper addit:
Caelituum inconsulte senex promissa refellis?
Non impune feres; linguae tibi munus ademptum
Maerebis tacitus; nec longa silentia solvet

Ulla dies, vota ulla, priusquam natus in auras
Prodierit puer et vitae pro munere vocem
Det castigato, quam non habet ipse, parenti.
Sic ait: et tenuas subito evanescit in auras.

At senis ingratam plebs rerum ignara stupebat,
Carpebatque moram tantum non voce lacescens
Cunctantem. Ille nova mentem dulcedine plenus,
Dum populo divina referre oracula gestit,
Amissam sensit vocem certusque futuri
In sua tecta redit. Deus admirantis Elisae
Foecundat sterilem, promissi haud immemor, alvum.
Postquam finitimas late pervaserat urbes
Fama canens exortem uteri frigentis honorem:
Matres atque viri, quos una ab origine ductus
Sanguis amicitiaeque tenacis vincula nexu
Abrumpi metuente ligant, parientis in aedes
Undique convenere. Juvat spectare tumentem
Infoecundae uterum post taedia longa juventae.
Luce sub octava (veterum de more parentum
Abscissa, quae summa operit genitalia, pelle)
Circumstant consanguinei pueroque paternum,
Ignari rerum, certant imponere nomen;
Opposuit sese Mater, genitorque Joannis
Ut primum cerae incidit memorabile nomen,
Astrictae solvi sensit retinacula linguae.
Atque animum inspirante Deo, nomenque decusque
Ipse sui vates praesago carmine nati
Concinit et magno celebrat laetissimus ore.
Mirantur comites, divinaque dona stupentes
Tendentesque manus in sidera, pignora divis
Auspicibus sua commendant, et fausta precantes,
Mirandis similes optant natalibus annos.

Inde ubi prima puer stabili vestigia gressu
Figere et in claras linguam deducere voces:
Aut docti tacitus pendebat ab ore parentis,
Aut veterum gesta heroum monitusque verendos
Evolvens memori condebat mente repostos.

Praecipue tamen egregiis e vatibus unus
Thesbites simili superum rapit igne calentem
Exemplisque trahit. Quoties deserta legentem
Et nemorum ignotis latitantem cernit in antris,
Sylvarum toties nemorumque ardescit amore.
Atque e virgultis viridem per mutua nexis
Speluncam sibi componit fidasque latebras.
Haec domus, haec illi sedes, cum lumine caelum
Diffuso nitet, et maternis gratius ulnis
Hospitium. Extincti post tristia fata parentis
Ante annos patriosque lares matremque, mariti
Funera plangentem, monitis caelestibus actus
Deserit. Aligeris gressum ducentibus, atras
Sylvarum puer in latebras atque invia tendit
Deserti loca, inaccessas mortalibus umbras.
Non illum exclusae terret mala lucis imago,
Non horror nemorum, non alta silentia noctis
Fulmineusve aper, aut vicino auditus ab antro
Terribilis saevae rugitus et ira leaenae.
Te catulis orbata Tigris veneratur et Ursae
Impacata fames praedamque ad verba relinquit.
Tu pacem, tu jura feris, tu foedera sancis
Arbiter, et posito distinguis limite fines
Cuique suos; sub te discunt mansuescere et ultro
Accipiunt leges, nutumque manumque sequuntur,
Saucia latronis jaculo te cerva tuamque
Implorat dextram dictamni oblita. Tumentem
Sentibus infixis calcem tibi saucius offert,
Et medicam leo poscit opem; tu spicula parcens
Extrahis et leni compescis vulnera tactu.
Felices nimium te plaudunt hospite sylvae
Felicesque ferae. Teneris praestabat amictum
Artubus informi pellis detracta camelo.
Pumicibus deposta cavis antroque reperta
Arboris exesae facilem sylvestria victum
Mella dabant, et reptantes per lustra locustae.
Pura sitim vitreo trepidans e fonte levabat
Unda. Fatigatis et cum sopor artubus instans

Avelli negat, aut subjecto cespite fultum
Cervicem aut duro stratum complectitur antro.

Postquam secretis nemorum indeprensus opacis
Bis tria transierat vitae quinquennia, Divum
Imperio tacitis tandem discedere sylvis
Cogitur, et sacris tumidas perstringere mentes
Eloquiis, animosque rudes formare, novoque
Lustrandi ritu CHRISTI praeludere sacris.
Ergo ubi Jordanis ripas, vicinaque late
Arva terens, populos vultumque habitumque stupentes
Instruere aggressus scelerumque abrumpere nodos:
Pars intentatis Erebi post funera poenis,
Ingenuo pars impulsi virtutis amore
Accedunt monitis; et sacri fluminis oram
Ingressi, prono certatim vertice gaudent
Affusa vatis manibus lustrarier unda.

Et jam finis erat; perfusi flumine ripas
Linquebant alaeres: cum gressus virgine natus
Advertit fluviumque petit poscitque lavari.
Obstupuit primo aspectu Baptista, nec ausus
Annuere oranti, cunctando multa recusat
Nequicquam; vincit renuentem CHRISTUS et undis
Tingitur. Extemplo scindit sese arduus aether,
Stelliferaque poli descendit ab arce columba
Candidior Cygnis, nitidis argentea pennis,
Et CHRISTI intonso delapsa in vertice sedit.
Omnipotens pater aethereo manifestus ab axe
Germanam agnovit sobolem, claraque parentem
Testatus se voce, jubet parere monenti
Attonitum nato vulgus. Jordanis in undis
Tempore jam ex illo, quo CHRISTI corpore tactae,
Paeoniis remanet virtus praestantior herbis.

LIBER QUINTUS.

Hactenus illustrem Christi properavimus ortum,
Occultosque annos: nunc claros pandimus actus.
Historiam rerum ingentem: quae vidimus ipsi,
Quaeque Palestinas jam decantata per urbes,
Quam superant, meruere fidem. Notissima strictim
Carpimus et summas pelagi perstringimus oras.

Prima sub humano velatum corpore numen
Prodidit, obscuri quondam Galilaea per arva
Nominis, at socias inter jam celsior urbes
Chana. Novis Christus cum virgine matre Hymenaeis
Invitatus adest, non indignatus amici
Pauperis aut consanguinei discumbere mensis.
At vero mensae sub fercula grata secundae
Defecisse merum genitrix mitissima sensit
Et natum angustis succurrere rebus in aurem
Submisso sermone rogat, securaque voti
Astantes mensae famulos monet esse paratos,
Atque ultro imperiis divini accedere nati.
Antiquo Pharisaeorum de more lavandis
Invitatorum manibus carchesia stabant
Sex numero. Haec vivis proles Jessaeia lymphis
Impleri jussit. Jussi mandata capessunt,
Vicinoque a fonte undis spumantia servi
Supposita cervice ferunt. Argenteus humor

Numinis arcano nutu mutare colorem
Et subito in florem dulcis transire Falerni
Incipit. Attonitis nova gaudia naribus addit
Improvisus odos et circum tempora regnat.
Miratur vini ingenium, generosaque docto
Pocula delibans gustu, festinat in aulam
Praefectus mensae et sponsi accumbentis in aurem:
Quae tibi mens, inquit, mensis damnare secundis
Egregii tot vasa meri, ditisque Falerni
Illecebris vim languentis renovare palati?

Obstupuit sponsus: famulorum conscia turba
Non expectati donum admirabile vini,
Authoremque aperit. Gratantum vocibus omnis
Aula strepit. Tentant avidis caelestia labris
Munera laetitiamque Dei. Facto annua praebent
Argumenta fidem; quoties namque aureus orbe
Emenso faustae renovat sol tempora lucis,
Vicinos urbi fontes subjectaque cernas
Flumina purpurei rivis undare Lyaei.

Hoc inopis sponsi Christus connubia dono
Extulit. At qualem deserta per avia mensam
Non semel impasti miserans jejunia vulgi
Struxerit, expediam. Patrias ubi fama per urbes
Sparserat ingentes alis pernicibus actus,
Cecropias ut apes aestivo sole, relictis
Ilicibusque cavis textisque alvearibus, excit
Mellis amor, floresque novos vernantis Hymetti
Depopulari urget: facto sic agmine vulgus
Undique collectum, desertis urbibus, altas
Evolat in sylvas. Monitus audire magistri,
His amor est; alios morbi spes fida levandi
Attrahit; hos ingens divini gratia vultus
Blandaque sed misto spirans terrore voluptas
Exhilarat, dulcique stupentum corda pavore,
Et tremula captos animos dulcedine pascit.
Mille per ardentes oculos atque aurea circum
Tempora vibrabant radii gemitusque latentes,

Spectantumque imis infixas lumine blando
Solvebant fibris curas. Vox dulcior illo
Nectare, quod Siculae lectis e floribus Hyblae
Daedala fingit apis, facundaeque enthea linguae
Carmina flexanimis rapiunt fera corda loquelis.
Talibus illecebris capti, noctesque diesque
Immemores operum, immemores mensaeque suique,
Pressa pedum fesso vestigia corpore servant
Indefesso animo. Comitum duodena piorum
Turba fatigati miserans jejunia vulgi,
Cum labor extremus luci restaret, equosque
Tertius occiduis Titan demergeret undis:
Admovit propius gressum dulcemque querelis
Invadit blandis Dominum, noctisque propinquae,
Desertique monet nil sufficientis avari
Ad stomachum ventris per inhospita devia; suadet
In villas populum vicinaque rura sequacem
Maturare sinat; quo victu exhausta coempto
Corpora et amissas revocent ad pristina vires.
Vos potius comites, inquit, cerealia fessis
Dona date, et vestro celebrent convivia sumptu.
Obstupuere animis et millia quinque virorum,
Innumeros praeter pueros matresque, duobus
Piscibus et quinis (tot enim superesse ferebant)
Panibus appositis saturari posse negarunt.
At Patris aetherei soboles clarissima certas
Divisam in classes viridi super aequore plebem
Instruit, accumbunt animis manibusque parati
In quascunque dapes, Panes cum piscibus Heros
Accipit et laeto conversus ad aethera vultu
Vota facit, votique sui certissimus, almo
Persolvit Patri grates. Nec multa moratus,
Cuique suas comites convivae apponere partes
Hortatur. Laeti parent, cophinosque gementes
Exonerant iterumque onerant iterumque; stupore
Non expectati perculsi foenoris, auctos
Dum cernunt mandendo cibos; nam numine Christi
Jam toties divisa Ceres piscesque sub ipsis
Scindentis manibus furtim succrescere, et omnem,

Quam producta fatigato jejunia vulgo
Condierant, explere famem. Tum deinde jubentis
Ad nutum Domini saturis tot millibus, ipsis
Relliquiis bis sex, dictu mirabile, corbes
Discipulos implesse ferunt. Plus scilicet illis
Post epulas superest, quam divisere vocatis.
Ast ubi tot cophinos analectis turba gementes
Exsatiata videt, monstro perculsa, stupescit,
Quo tot convivis depastus numine panis
Creverit, aut qua vi gemini in tot fercula pisces
Divisi. Insanis bacchantum vocibus aër
Rumpitur, et laetos resonant juga saxea plausus.
Atque aliquis plausus inter fremitusque sonantes:

Fallimur, inquit, an aetherei germana parentis
Progenies tenues caelo demissa per auras
Mirificis animos epulis et corpora pascit?
Fallor? an hic ille est, quem tot praesagia vatum
Fatidico haeredem Jessaei carmine sceptri
Promisere? expectato datae debita regi
Sceptra. Olli studiis animisque volentibus ultro
Assensere omnes. Sed enim temeraria CHRISTUS
Indomiti populi dilapsus vota fefellit.
Discipulosque jubens celeri per caerula puppi
Oppositam petere aequoreae Bethsaidos urbem:
Ipse per anfractus nemorum, caecasque latebras
Indeprensus abit. Mediae sub sidera noctis
Littora sola petit sparsoque per aequora vultu
Adversis raptam ventorum flatibus alnum
Aspicit, et socios nequicquam tendere contra
Insanos pelagi fluctus: miseratus inanem
Obluctantem artem, pedibus spumantia calcat
Caerula. Defixos non fallit lubrica gressus
Unda, nec indomiti turbant vestigia venti.
Jam medii stagna alta freti refugosque premebat
Incedens fluctus, vix summas tingere plantas
Ausa, pedes domitis lambit Thetis aspera spumis.
Discipuli trepidare metu votisque vocare
Ipsum, mendaci se cujus imagine credunt

Per noctem illudi, placida quos voce magister
Increpat et motos properat componere fluctus.
Hic Petrus (miro cui mens ardebat amore
In Dominum, quem discipulis Jessaeia proles
Omnibus antetulit) subita spe fervidus infit:
Si praesens tumidi graderis per terga profundi,
Nate DEO, liceat per te mihi puppe relicta
Fida procellosis vestigia ponere in undis.

Dixerat, et facilis blando DEUS annuit ore.
Continuo summa Petrus de puppe serenum
Emicat in pelagus, tuto per lubrica gressu
Fertur ovans charoque occurrere gestit amico.
At tacito CHRISTI nutu increbescere venti
Impetus, et positos iterum suspendere fluctus
Incipit: exciti turbatus inhorruit atra
Tempestate freti, pietasque animosa minaci
Gurgitis aspectu et subito discrimine victa
Succubuit; medium jam circumplexa parabat
Unda impacato victrix sepelire profundo.
Ille autem astantem Dominum clamore supremo
Solicitans: en mergor, ait, miserere piamque
Porrige CHRISTE manum praesentique eripe morti.
Orantem dextra excepit, jam jamque sub undas
Descendentem avido pelagi de gurgite traxit.
Ut primo cymbam pressit pede, concidit horror
Aequoris, et versis ratis in contraria ventis
Evolat et notis secura allabitur oris.

At quoniam a terra jam solvimus, alta secantes
Caerula felici auspicio ventisque secundis:
Ante Capharnaeis quam proram advertimus oris,
Qualiter iratum pelagus fluctusque minantes
Fregerit imperio, et subita caligine raptam
Ex oculis lucem caelumque reduxerit, edam.
Ut populi ardorem et studia importuna prementis
Falleret, et positis utroque in littore vitae
Semina caelestis diffunderet urbibus, olim
Inscensa medias volitabat puppe per undas,

Stagna Tiberiadis sulcans. Gaudebat honore
Dignatum tanto flumen, jucundaque plenis
Ludebat velis et navim a puppe ferebat
Aura sequens. Nitido Titan spectator Olympo
Pingebat vitreum radiis vibrantibus aequor,
Squamigerumque chorus circum praegnantia cingens
Carbasa, mille novis exultans orbibus orbes
Impedit. At Phoebi extremo sub lumine, quando
Mutato nocturnus equo vocat Hesperus astra,
Labitur in dulcem proles Jessaeia somnum,
Sidereos claudens oculos. Sua lumina condi
Sol gemit et nigro radios obducit amictu,
Et simul excitae vento stridente procellae
Incubuere undis. Metuendos perfida fluctus
Aequora conglomerant; et confligentibus Euris
Montibus allidunt montes, et gurgite ab imo
In miseram effusas puppim jaculantur arenas.
Jamque fatiscebat ratis expugnata, gravique
Jam jam impendentis victi discrimine fati,
Sopitum ingenti comites clamore magistrum
Circumfusi urgent, et somnum abrumpere cogunt.

Evigila o divum genus et nos eripe letho;
(Nam potes) en caeli decepti fraude sereni
Prodimur. Evigilans trepidos castigat alumnos.
Et caput attollens fluctusque hinc inde furentes
Aspiciens, procul indomitos abscedere ventos
Collectasque jubet nubes. Posuere furorem
Aeolii fratres, temulenti agitata profundi
Caerula sternuntur, nimborum nocte fugata
Labitur uncta vadis, pelagoque auraque ferente,
Oppositas Gerasae puppis defertur ad oras.
Obstupuere animis, quotquot freta turbida nautae
Sulcabant velis remisque, et quotquot ab alto
Litore vim tempestatis suprema minantis
Spectabant pelagi securi, ubi marmora cernunt
Non votis precibusque piis, composta silere,
Sed velut imperio Domini cessisse jubentis.

Ut primum optatum tenuerunt carbasa portum,
Visa procul tumuli ferali emergere claustro
Horribilis nova forma viri, cui dira colorem
Abstulerat macies aegrosque adduxerat artus,
Arida squalenti depastis carnibus ossa
Circum pelle tegens. Deformi sordida mento
Barba riget, sanie et concretis sordibus atri
Horrescunt crines, oculis lux saeva retrusis
Terribili fulgore orbes accendit opacos.
Non hominem vox dira sonat, sed quale remugit
Aut Italo Cacus aut Siculo Polyphemus in antro.
Nam lemurum numerosa acies invaserat uno
Agmine Tartareis angustos pestibus artus:
Exercensque animum furiis, immane furenti
Robur et Herculeis non impar viribus addit.
Non illum solido stridentia limina ferro,
Non triplici impediunt stringentes aere catenae.
Ipse sui impatiens, aliis metuendus, opacis
Conditur in specubus monumentaque tristia vivus
Incolit, infelix alieni marmoris hospes,
Dum caelum nox atra tegit: cum lutea terras
Puniceo rediviva aperit Tithonia curru,
Nudus in aereae praerupta cacumina rupis
Exilit adversosque furens circumspicit agros,
Et pavidos fremitu saevisque ululatibus arcet
Agricolas campis. Et nunc quando aequore menso
Aspicit ignotam portu se condere puppim,
Eumenidum impulsus flagris ad litora praeceps
Fertur. Inhumanos solita pietate furores,
Lymphatique animi furias miseratus Jesus,
(Nec latuere illum penitis inclusa medullis
Millia tot barathri) furvi jubet agmina Ditis
Hospitium infelix captivaque linquere membra.
Saepius experti non exuperabile vocis
Divinae imperium genii grave olentis Averni
Clamorem tollunt, qualem Circaea leones
Vincla recusantes, tremulisque ululatibus orant,
Ne dulci hospitio extrusos in Tartara mittat.
Forte per herbosos colles, vicinaque late

Gramina pascentes, foedabant omnia porci,
Hos serpentigenis facilis concessit: et illi
(Immundos immunda decent) velut agmine facto
Obscoenos subiere sues. At percitus oestro
Setigerum grex, et stimulis furialibus actus,
Horrendis tremulas vexat grunnitibus aures.
Pars alta de rupe, ima pars valle, molesti
Hospitis impatiens, turbis mirantibus, uno
Impetu in undosi spumantes fluminis undas
Irruit et rapido praeceps immergitur amni.
Ergo ubi Tartareis jam liber ab anguibus hospes
Convaluit, cessitque furor, passusque teneri est:
Vestibus induitur servatorique rependit,
Quas potis est, grates. Gerasae volat omnis in urbem
Pastorum interea manus, admirabile factum
Civibus attonitis referens. Ruit omnis ab urbe
Plebs effusa, cito properans ad litora cursu,
Atque importunis CHRISTUM clamoribus urget,
Vela dare atque alias puppim deflectere in oras.
Tum vero infelix iterum se tristibus Orci
Vexandum geniis trepidare et fundere vota,
Ne misero abscedens redituro exponat Averno.
Quem blandis pius alloquiis firmabat JESUS:
Solve metus et fide mihi summique parentis
Clara per ingratam celebra praeconia gentem.

Dixerat: et velis auras rapientibus alnus
Emensos relegit fluctus; dilectaque CHRISTO
Litora, inoffenso, pelagi secura polique,
Assequitur cursu. Laeti vicina salutant
Vela Capharnaei, primique ad litoris oram
Expectant reducem. Vix nota ad limina ventum,
Et strepit innumeris domus angustique penates
Hospitibus, quos spes lapsae indubitata salutis
Auxilium medicae cogit deposcere dextrae.
His animi potior cura est graviora gementis
Vulnera; divinae plures facundia linguae
Imperiosa trahit; et quos desuescere mores
Captivi renuunt, verborum nectare capti,

Aetherei blando cupiunt sermone magistri
Perstringi. Ast alios odii implacabilis oestrum
Solicitat, dictis factisque ingentibus ultro
Obstrepere incassum. Namque ut clarissimus atras
Illustri penetrat radiorum sidere nubes
Phoebus et auricomo lucet formosior ore:
Haud aliter lux Isacidum, Jessaeia proles,
Clarior invidiae discussis nubibus, ipsa
Majestate operum et verborum pondere fulget.

Ecce autem indociles animos et saxea corda
Dum colit incumbens operi, fingitque trahitque
Funibus appensum perfossi a culmine tecti
Semianimem in strato juvenem vivumque cadaver,
Deponunt fidi comites; neque enim aptior ulla,
(Quando humeris densum vulgus latus omne loquentis
Sepserat) accessus patuit via. Virgine natus
Spem juvenum laudat, magnum miratur amorem
Atque aegro (morbi causam) commissa benignus
Crimina condonat. Legis fremuere periti,
Atque uni proprium divumque hominumque parenti
Sacrilega ambitione peti indignantur honorem.
Ille autem arcanis penetrans inclusa medullis
Murmura: quid caeco temeraria volvitis aestu
Consilia ignari rerum? quid carpitis, inquit,
Quod prius affectae curemus vulnera mentis,
Reddimus optatae quam languida membra saluti?
Scilicet ut facilis nobis et certa potestas,
Invalidos renovare artus vitamque fugacem:
Sic etiam immersae vitiis contagia mentis
Eluere et gravibus veniam concedere noxis.

Haec ait: atque illo, quo temperat omnia, vultu
Languentem aspiciens, humeris imponere lectum,
Et pulso incolumem jussit decedere morbo.
At non effraenis Scribarum audacia cessit
Mirandi fulgore operis perstricta; sed ipsum
Ut furit in medicum cerebro peccante phrenesis,
Et claros lunae radios, argentea tela,

Acrius insanis latratibus ira furentum
Importuna canum intempesta nocte lacescit:
Haud aliter caeci stimulis agitata doloris
Pectora, divini clarissima gesta magistri
Infandis lacerant dictis, Erebique faventis
Auxilio pulsi referunt miracula morbi.

Huic geminum memori occurrit quod mente repostum,
Prodigium annectens, alias ab origine tristis
Invidiae causas odiique alimenta retexam.

Non procul a porta, cujus per limina sacris
Consecrata aris animalia aguntur in urbem,
Miri operis piscina jacet, qua armenta sacerdos
Lactentesque lavat pavidis cum matribus agnos.
Quinque salutiferi extructis in margine stagni
Porticibus circumfusi noctuque diuque
Expectant lymphae stagnantis ab aethere motum
Invalidi motaque salutis munus ab unda.
Nam quoties nitido genius delapsus Olympo
Stagna movet, motas aegro qui corpore primus
Findit aquas, morbo incolumis fugiente recedit.
Huc Deus adveniens, inopique senique, malorum
Conscius heu longam properat depellere pestem.
(Octo illum lustris, geminos si dempseris annos,
Vitam infelicem et laxatis undique nervis
Corpus iners stupidosque artus tolerasse ferebant.)
Ac prior, an conclamatam sperare salutem
Audeat, exquirit. Maestissimus ille profundum
Ingemit, inque annos, inquit, sperando seniles
Devolvor, sed nulla salus tamen aspicit aegrum.
Nam mihi pauperies famulum importuna fidelem
Invidet, aethereus qui cum descenderit ales,
Et caelo tactas primum me immergat in undas.
Talia lugentis dulci pietate labores
Intuitus, tristi miserum prodire grabato
Arreptumque jubet cervici imponere. Duro
Protinus exiliit strato laetusque cubile
Sustulit, et valida mediam cervice per urbem

Dulce tulit pondus. Laqueo sic vincta tenaci
Ales, ubi abruptum sentit jam libera funem,
Evolat alta petens. Exultantem obvia turba
Arguit et vetito temerari sancta labore
Sabbata vociferat. Monitus parere recusat,
Et facti causam referens, haec insuper addit:
Qui mihi desuetum membrorum reddidit usum,
Ille mihi hoc oneris laeto dedit, ille laborem
Imposuit. Nil verba moror, cum conscius aether
Facta probet desperatamque hac lege salutem
Conferat. Hinc odium intumuit, legisque periti
Insanos aluêre aestus; quos vincere CHRISTUS
Dum studet, accendit, perversaque vota premendo
Irritata, suo velut Hydra e vulnere crescens,
Acrius insurgunt. Patrii sub limina templi,
(Per medios dum transit inobservabilis hostes,
Effuso lapidum tantum non obrutus imbre,
Quod summo aequaevum assereret sese ipse parenti)
Integrum vitae juvenem, quem utroque noverca
Lumine damnarat natura parentis ab alvo,
Offendit. Saevo paupertas ultima fato
Addita, solicitae geminabat taedia vitae.
Protinus insontis casum miseratus acerbum,
Auxilium parat, et commisto pulvere sputum
Temperat; hoc caligantes circumlinit orbes,
Et super interea divino haec addidit ore:
I, liquidum Silöes fontem pete; tempora lymphis
Sparge, oculis lucem accipies in flumine lotis.
Dixerat: et juvenis sociis ducentibus ora
Fonte rigat; dumque ora rigat, caligine pulsa
Subjectas pedibus videt et miratur arenas,
Perspicuas vitrei miratur fluminis undas,
Attollensque oculos valles et amoena vireta
Perlustrare cupit formosique aetheris orbem;
Flammivomi sed enim necdum patientia solis
Lumina, fulgoris radiis perstricta corusci,
Ad tantum stupuere jubar. Mirabile donum
Ut primum videre, quibus notissima caeci
Frons erat aeternaque oculi sub nocte gementes,

Perlustrant juvenem attoniti, nec credere eundem
Esse queunt, cui saeva oculos natura negarat.
Ille autem ambiguos fidis convincere certat
Indiciis; solo notum sibi nomine prodit
Muneris authorem exultans ipsumque videre
Optat et emeritas coram persolvere grates.
Prodigii tota celeberrima diditur urbe
Fama. Stupet vulgus: proceres ubi sabbata tanto
Accipiunt selecta operi, juvenemque patremque
Accitos super his rogitant. Odia aspera patrum
Formidans genitor, prudens facilisque loquendi
Dat primas nato partes; cui mentem animumque
Intus agens Deus, inspirat roburque fidemque;
Leviadum hic furias ridens commentaque solvens
Oppugnantum, odiis sese imperterritus unum
Omnibus opponit dignoque extollit honore
Luminis artificem. Non arte Machaonis illum
Herbatumve potestate, at virtute paterni
Numinis innatas oculis pepulisse tenebras.
Olli indignantes rabidis convitia linguis
In juvenem jactare, domo exturbare fidemque
Testibus innumeris firmatam eludere. Tantum
Crimen erat festa primum sub luce videre!

Quin etiam Ausoniis invisum reddere CHRISTUM
Omni arte adnixi proceres studuere gravemque
Invidiam census, Latiis quem pendimus armis,
Caesaris invicti auspiciis et milite tecti,
In caput insontis devolvere. Saepe docentem
Laudibus accumulare, aequique ac juris amantem
Compellare, ut inescatus fallacibus auris
In casses rueret persolvendumque negaret
Vectigal. Sed enim nec laudibus ille dolosis
Inflecti facilis nec jura infringere census
Romulei, in medium jussit proferre numisma.
Porrectum hinc illinc oculis collustrat et ipsos
Artifices fraudum fallens, dum fallere certant:
Quaenam ait haec numo species impressa? Tiberî
Caesaris, ingeminant omnes; mox virgine natus

Ite, (ait) et numos, quos constat Caesaris esse,
Caesaris ad nutum persolvite et omnia justa
Librantes trutina regi sine fraude tributum
Reddite et aethereo mentes sine labe parenti.

Interea obscuro Baptistam carcere clausum
Abstulit infelix diro mucrone tyrannus.
Heu mihi, quod tanto regales funere mensas
Incestus foedavit amor! nataliaque inter
Fercula, pallenti missum est caput illud in auro!

Duxerat insignem formaque et sanguine nympham
Herodes Tetrarcha, Aretae quae principis haeres
Contulit in thalamos screptrum dotale maritos.
Illibata fides taedae primisque vigebat
Auspiciis amor, et felix concordia, donec
Imperii firmaturus rex jura paterni,
Caesare placato, fratris per regna Philippi
Carpsit iter. Magno venientem excepit honore
Frater, at insidiis formae pellacis amoenis
Incendi facilem stimulante cupidine, blandis
Impulit illecebris Herodias improba mentem,
Illa quidem nescit, nec adhuc se sentit amari,
Nec sperat: tamen ambiguo fratremque virumque
Comparat intuitu et vultus animosque pererrans
In fratrem vergit, nec amantem incauta fefellit.
Omnibus ergo illam insidiis, omni arte magistra
Improbus aggreditur. Nunc insinuare medullis
Infixum vulnus, gemitu nunc prodere flammas:
Fastidire Arabem socerum, nullaque beatum
Prole uterum; haeredem sceptris optare sibique,
Materna quae stirpe etiam descendat ab uno
Sanguine; tum soboli regnum spondere, potitis
Nascatur quaecunque thoris, et carpere mores
Absentis sponsae, formam laudare sororis,
Prona fuit vinci cupientem vincere palma.
Junguntur tacito votorum foedere. Coeptum
Fratre salutato, classemque vocantibus auris,
Urget iter. Voti felix rebusque (favente

Caesare) compositis regna exoptata revisit.
Ut primum Heroden pelago rediisse remenso
Accipit, invisum conjux malefida maritum
Talibus aggreditur: terrae pelagique periclis
Defunctus, patrias rediit germanus ad oras.
Gratemur reduci, conjux charissime, fratri
Et devota olim Jessaeo munera templo
Solvamus. Quod si nostris contraria votis
Te populi vetet ire tui justissima cura,
Si qua mei vel si qua tui te gratia tangit
Germani, sua nos toties in regna vocantis,
Me saltem ire sinas patriasque revisere sedes.

Dixerat: ille moras nectit, causasque morandi
Nunc has, nunc alias texit. Verum improba pellex
Indignata moras omnes oculisque pererrans
Infensis cunctantem: etiamne negabis amanti
Exiguum hoc fratri munus dulcique sorori?
Ibo, ibo, nec me ullius reverentia sistet,
Nec famulae in morem patiar regina teneri.

Dixit: et ex oculis incensa erupit opesque
Dotales, nitidis baccata monilia gemmis,
Illusas ostro vestes auroque rigentes
Seligit et dignum sponsa meliore maritum
Abscedens spoliat. Rebus tum deinde paratis,
Cum famulis nataque, viro malesana relicto
Inque salutato fugit. Importuna Philippus
Saepius expertae Junonis jurgia vitans,
Vel temerata thori subodorans vincla jugalis,
Omnia dissimulat. Sed enim rex impius igne
Incesto flagrans, magna comitante caterva,
Fraterni extremo regni sub limite, amicae
Occurrit, rapit amplexus, uxoria figit
Oscula et in currum matrem natamque, procaci
Heu nimium similem genitrici, invitat. Ovantis
In speciem, spoliis fratris ditatus opimis,
Incestam sua deducit per regna sororem.
Regales ostentat opes, convivia seram

Protrahit in noctem, celebres certamine ludos
Indicit, scenisque diem noctemque choreis
Perditus impendit.

At regina nefas violataque foedera et omnes
Callida praecepit motus; fraudemque sagaci
Ingenio meditans, magnis exercita curis,
Moeroris causas tegit, egregiumque benigno
Aggrediens vultu (quantum sinit ira) maritum:
Aëris infesti vim devitare, soloque
Da veniam patrio, conjux charissime, (dixit)
Furtim invadentis divertere semina morbi.

Annuit Herodes, et rerum ignarus, eunti
Maturos reditus commendat; perfida blandus
Oscula et amplexus jungit. Quae dona parenti,
Quae consanguineis gratissima munera, secum
Ferre jubet; duplicem gemmis auroque coronam
(Scilicet intacti monumentum et pignus amoris)
Extremum invisae fallax et munus amanti.
Ergo ubi jam patrios fines ingressa, tyranni
Evasit furias, charo violata parenti
Foedera et infandi furias detexit amoris.
At genitor vindictae avidus jubet arma parari,
Delectas equitum scribi peditumque catervas.
Quid struat interea vel quos moturus in hostes
Mente premit tacita, donec manifesta tyranni
Perfidia erumpat spretaeque injuria natae.
Nec minus Herodes, quando opportuna cupitis
Cuncta videt thalamis, regali turpia luxu
Foedera et ingenti celebrat convivia sumptu.
Horruit ad famam sceleris Judaea, furensque
Nondum depulsis Aretas ulciscitur armis
Dedecus irrisae stirpis. Stupuere gementes
Pontifices; plebs incestum damnare cubile
Ausa palam, tacito proceres gemuere dolore.
Ast ubi divina proscriptos lege Joannes
Accepit thalamos, mediae in penetralibus aulae
Invadit regem; intrepido scelus exprobrat ore,

Imperat illiciti laqueos abrumpere amoris.
Ni faciat, thalamos injustaque vincula sceptri
Jactura et multo procerum dotanda cruore.
Rex ferus intactae non expugnabile mentis
Robur, et accensas flamma meliore medullas
Erubuit violare; at diro Herodias oestro
Percita, foemineis pariter vatemque virumque
Incessens probris lacerat, commotaque vulgi
Pectora Baptistae falsi sub imagine lustri
Objicit. At postquam vanum cecidisse furorem,
Intrepidum contra vatem trepidumque maritum
Stare videt; rabidis implet tectum omne querelis
Impatiens irae, et dirum furibunda minatur
Baptistae exitium. Veritus violenta furentis
Consilia Herodes, reclusum carcere vatem
Pellicis insidiis furialique eximit irae.

Jamque in se rediens revolutus mensibus annus
Extulerat mundo renovatae gaudia lucis,
Qua primum aethereas hausit rex impius auras.
Dives Achemenio splendescit regia luxu
Instructisque gemit mensis, queis victa Luculli
Fercula, Pontificum coenae et Saliaria livent
Pocula, regificaeque dapes, queis prodiga Marcum
Fregit et Actiaco fractum Cleopatra triumpho
Damnavit. Madidi proceres felicibus aulam
Vina inter votis onerant; Tithonia regi
Saecula Nestoriaeque trahunt data fila senectae.
Ast alios animo plausus feralis Erynnis
Jam dudum meditans, jubet in natalis honorem
Laetitiae levibus natam indulgere choreis.
Nulla mora est, cithara petulans resonante puella
In numerum pedibus plaudit. Rex ebrius, arte
Plaudentis captus, meritis pete praemia, dixit,
Aequa tuis, nullam voti patiere repulsam.
Illa genitricis monitis instructa, Joannis
Baptistae sacra caput a cervice recisum
Poscit. Rex oculis crudeli in virgine fixis
Ingemuit graviter matremque agnovit in illa.

Quid faciat? promissa nefas violare Deumque
Promissi testem. Divinum extinguere vatem
Natalesque pio mensas temerare cruore,
Triste scelus. Vicit stulti reverentia voti
Impia, demessumque caput miserabile munus
Nata tulit, roseoque natans in sanguine matri
Obtulit. O furias! o implacabile saevae
Pellicis ingenium! nondum exsaturata cruore,
Insultat victrix capiti, scrutatur adunca
Ora manu, lacerat crines linguamque trementem
Crinali discerpit acu. Se Fulvia victam
Gaudeat, excuset justae non justa securis
Vulnera Flaminius caeco meretricis amore
Abreptus, saevas epulas irrisaque caesi
Consulis ora, in civilis mala-gaudia belli
Transferat effroenis Marius. Natalibus illa
Herodes epulis cum pellice crimina vicit.

Hic finis clari vatis; quo major in auras
Aethereas nemo mortali semine natus
Prodiit, heu paribus pene omnes saeva tyrannis,
Vel populi furor indomiti procerumque sacrorum
Involvit fatis, quotquot coelo auspice vates
Isacidum duras virtutis in ardua mentes
Attrahere annixi. Sed enim magis omnibus unus
Invidiae ac odii telis Jessaeius heros
Impetitur. Quaecunque paret, quaecunque sequatur,
Annuat orantum votis, non annuat, idem
Primores, cives, consanguinitate propinquos
Ardor in insontem stimulat. Clarissima carpunt
Prodigia, Atracioque potentem carmine, Ditis
Auspiciis Stygias jactant extrudere pestes.

Quid potius mirer, CHRISTI indulgentis amorem,
An flecti indocilis cor non tractabile gentis?
Quando etiam populos, tumidus quoscunque pererrat
Euphrates, rivoque fluens septemplice Nilus,
Virtutum testata fides, atque inclyta fama
Gloria in ignoti juvenis se effundere laudes

Cogat. Abagarus nitidae regnator Edessae,
Nunc etiam invalidus morboque exhausta molesto
Aegre membra trahens, miro exardebat amore,
Compellare virum, partiri sceptra, prementi
Auxilium morbo certamque orare salutem.
Ergo aliquem procerum, qui Christum ad regia ducat
Moenia, delegat. Sin invitatus Edessam
Ire, Palestinisque neget discedere ab oris,
Effigiem saltem divinaeque aemula formae
Ora laboratis expressa coloribus, ad se
Regrediens ferat, ingenti spe fervidus urget.
Accelerat legatus iter comitemque viarum
Seligit artificem; quo non praestantior alter
Furari visos oculos et tempora fido
Peniculo, facili in tabulam transferre paratu.

Jamque iter emensus, dicta acceptaque salute
Regis Edesseni ceras laetissimus offert
Nuntius: et magnum Domini invitantis amorem
Primorumque odium facundo callidus ore
Explicat. Egregium Christus commendat amorem,
Speratam promittit opem; magnique parentis
Objicit imperium claudentis in extera regna
Accessus omnes. Eadem regi omnia scribit.
Interea pictor Christi nunc ora loquentis
Sedulus explorat; nunc in scribentis amoeno
Figitur admirans vultu, vivumque decorem
Ardentesque oculos, sed frustra, effingere certat.
Aurea nam capiti lux circumfusa jubarque,
Sidereos fundens radios, percussa stupentis
Lumina turbat, et audaci desistere caepto
Invitum cogit. Veluti specularia soli
Opposita, illustri flammarum luce lacessunt
Obtunduntque oculos. Moestus vota irrita pictor
Legato causamque aperit. Stupet ille gemensque
Conqueritur desiderium dominique suumque
In ventos abiisse, viae periisse laborem.
Talia lugentis gemitus miseratus amaros
Omnipotens, hominem alloquio demulcet; amico

Occupat amplexu stringens, tunicaeque nitenti
(Admiror referens) formosi nobile vultus
Imprimit exemplum. Vivam spectare licebat
Divini effigiem capitis; non pollicis arte
Daedala Apellaei, non falsa luce colorum,
Sed nutu artifici ductam. Se pinxerat ipsa,
Quae picta est facies. Fulvo sic annulus auro
Caesaris effigiem cerae imprimit. Ictus amoris
Non expectato legatus pignore, dulci
Laetitia attonitus rapitur, tantoque potitus
Munere carpit iter. Donum memorabile pictor
Ante omnes stupet exultans; laudataque docti
Lintea Parrhasii, fallaces Zeuxidis uvas,
Peliden clari Veneremque irridet Apellis:
Pingendique artem reliquis magis artibus unam
Concelebrat, tali effigie et pictore tumentem.

Hac narrata tenus, quae vivis munera CHRISTUS
Contulit: at vita functis quo numine raptam
Reddiderit lucem, quot tristi funere mersis
Aethereas post fata iterum prodire sub auras
Annuerit, quae mens capiat, quae lingua retexat?
Tres tamen ex omni numero, quos morte subacta
Rursus in amissi revocavit lumina coeli,
Nunc etiam incolumes, referam. Primam innuba virgo
Partem habeat, quae prima, brevis post lubrica vitae
Stamina Parcarum digitis abrupta, revixit.
Hanc pater infelix media jam morte teneri
Aspiciens, nataque omnem moriente perire
Fortunamque domus orbatae spemque nepotum,
Proripuit sese tectis; Christumque sub ipsis
Moenibus auriti formantem pectora vulgi
Moestus adit, largisque indulgens fletibus orat,
Semianimem ut natam, et vitae suprema trahentem
Munera, ut illius pendentem a funere patrem
Illo respiciat, quo respicit omnia vultu
Deplorata pius. Prona vota excipit aure
Atque e concilio multis comitantibus ibat
Promissam laturus opem, dum pergit et altum

Afflicti patris vulnus moestumque timorem
Temperat alloquiis: mulier, cui sanguinis atri
Profluvies longo vires absumpserat aestu,
Fert medias sese in turbas animosa, Deoque
Jam propior, lapsam sperans revocare salutem,
Extremum tunicae nulli observata, nisi illi,
Fallere quem credit, dextra trepidante prehendit
A tergo limbum. Morbi vis protinus omnis
Frangitur, et pressus vitiati sanguinis imber
Substitit ad tactum. Converso lumine furtum
Omnipotens laudat surreptaque munera firmat.
Illa verecundo gaudet deprensa pudore,
Et memor acceptae grata pietate salutis,
Ut primum patriam incolumis remeavit in urbem,
Effigiem CHRISTI vivaci sculpsit in aere,
Et medicae limbum tunicae seque ipsa metallo
Incisam medici pronam ad vestigia fixit.
Mira cano, sed certa fides, sub imagine vernat
Paeonias superans herba admirabilis artes,
Quae postquam attigerit divini fimbriam amictus
Crescendo, nulli morbo superabilis, omnem
Expugnat febrium maciem vitaeque laborem.

Jam misero felix Phoenissae audacia patri
Solverat infixas circum praecordia curas,
Incolumem jam tum visus sibi cernere natam,
Spem vultu praefert; pallentia sanguis in ora
Emicat, et quot fixa solo vestigia tollit,
Tot proli reduces annos, tot gaudia matri
Ferre putat gradiensque animum spe tollit inani.
Namque e vicinis famulum turba aedibus atro
Pulvere foedati crines scissisque feruntur
Vestibus, et magno natam clamore fuisse
Ingeminant saevisque incendunt planctibus urbem.
Perculit hoc patrem fulmen, victusque dolore
Supremum pene ingemuit; spes occidit omnis.
Caniciem immundo corrumpit pulvere, quicquid
Suggerit aut dolor aut natura parentibus orbis
Exprimit infelix; et inexuperabile fatum

Esse putans, jam jam exequias tristemque sepulchri
Curam animo volvit. Quo natae funus honore,
Queis Arabum donis celebret, quo marmore condat.
Talia volventis magni germana Tonantis
Progenies blanda solatur voce dolorem.

Aude animis luctumque gravem moderare recentem,
Excutiam morti praedam natamque parenti
Restituam in serae columen requiemque senectae.
Haec fatus, charo sociorum ex agmine, magno
Tres operi testes legit, exanimisque parentes
In penetrale sequens gemitus planctusque dolentum
Accipit et lacrymas stulta ambitione cadentes
Ad numeros doctique fides tibicinis. Ingens
Funeris ad pompam ex omni confluxerat urbe
Turba virum et matrum, numerosos docta dolores
Vendere, conductisque incendere questibus auras.

Desinite insanis inquit ploratibus aures,
Et querulo ad numeros clamore obtundere, inani
Munere fungentes; neque enim mihi mortua virgo est.
At placidum carpit thalamo composta soporem.

Talia dicentem risu fremituque, doloris
Obliti, excipiunt; jussique abscedere cedunt,
Impia jactantes stolidis convitia labris.
At Deus exanimis dextra omnipotente puellae
Corripiens dextram: surge, inquit, virgo, tuosque
Abruptam relegens vitam solare parentes!

Dixit: et ad vocem rediit sensusque colorque
Pallida purpureo perfundens ora rubore;
Nullaque jam tristis lethi morbique prioris
Signa manent. Velut excusso rediviva sopore
Evigilans oculos aperit thalamoque relicto
Fida pavimento figens vestigia, bis, ter,
Fertur inoffenso per nota cubilia gressu,
Et vires posita revocat laetissima mensa.
Quis stupor interea patrem, quae gaudia matrem

Pertentent, sileo; quis enim haec comprendere verbis
Speret, cui superi non concessere parentis
Nomen et infixum patrio sub pectore amorem.

Hanc nondum e thalamo elatam Jessaeia proles
Invitis puri rapuit de faucibus orci.
At juvenem feretro impositum, jamjamque sepulchro
Condendum aethereas coeli revocavit ad auras.
Stat prope nubiferi fastigia celsa Thaboris
Dives opum, foecunda solo, celeberrima pulchris
Aedibus urbs, coeloque minantibus ardua muris,
Dicta Naim Graiis; liquidis quam vitreus undis
Piscosoque secans interluit aequore Cisson.
Huc patriae fines Nazarae et dulcia rura
Cum sociis repetens gressum tendebat JESUS.
Jamque propinquabat muris, cum exangue cadaver
Egregii juvenis (viduae Genitricis et orbae
Infandum vulnus) chari cervice sodales
Ad tumulum magna funus comitante caterva
Extulerant. Misero fervebat undique planctu
Moenia et äereis subjecti moenibus agri.
Caeruleis tristes repetebant Naiades undis
Lugentum gemitus. Viduae suspiria matris
Quis referat?
Illam, olim orbati cum conspexere parentes,
In luctus rediere; iterum sua funera credunt
Elatosque sequi et tumulo componere natos.
Ut vidit lacrymas orbae Genitricis et ora
Vera Dei soboles fixumque in corde dolorem;
Ingemuit graviter miserans et dulcibus aegram
Eloquiis mulcet, lacrymas inhibere fluentes
Admonet et certam nato sperare salutem.
Illa silet; nec quo promissa ingenita tendant,
Assequitur. Tamen his lacrymas sine lege cadentes
Froenari et duros gemitus mitescere sentit.
Haec tacite admirans, erecto lumine, nigrum
Stare videt capulum; nam postquam virgine natus
Accessit tetigitque manu lugubre feretrum,
Compressere gradum juvenes, fessique laboris

Ingrati, ex humeris onus illaetabile sensim
Dimisere. Alto CHRISTUS clamore rigentem
E loculo prodire jubet. Mora nulla superstes
Membra levat, capulo egreditur genibusque volutus
Eversorem Erebi, vitae mortisque potentem
Agnoscit, meritas solvit pro munere grates.
At mater, jam bis mater, cum gaudia voci
Concessere viam, qua te ter maxime laude,
Quo satis ore canam, qui nutu ferrea rumpens
Vincla necis, viduae reddis sua pignora matri?
O utinam felix tua nunquam funera mater
Defleat exanimesque artus miseranda sequatur.
Ut te laeta parens semper vivente fruatur!
Ut viva laetus semper Genitrice fruaris!
Vel si infelicem casus manet iste parentem,
Sit brevis et tumuli non speret damna secundi.

LIBER SEXTUS.

Talibus attonitus monstris narrantis ab ore
Romulides pendet. Magnarum gloria rerum
Jam pridem patulas ierat diffusa per aures,
Ambiguum fingens animum; at nunc certior author
Explorata canens totamque ab origine texens
Historiam dulci eloquio praecordia mulcet
Conciliatque fidem, tacitumque accendit amorem.
At vitae a tumulo reducis memorabile donum
Distulit in finem; ut tanti celeberrima facti
Certa fides lucem reliquis affunderet actis.
Et dux Ausonius deprensa fraude: quid aures
Callidus attentas ultro irritare morando
Pergis, et externis referens data dona, sororis
Discrimen mentemque aegro cum corpore diris
Ereptam hospitibus, CHRISTO extrudente, tuumque
E tumulo in superas reditum jam Virbius auras
Dissimulas? age, et aeternis dignissima famae
Vivacis pennis fidis miracula pande
Auribus. Ac primum hoc optanti edissere, si quam
Divini effigiem vultus lucisque beatae
Os humerosque Deo similis monstraverit heros.

Pontius haec: cui collectis jam viribus infit
Lazarus. Egregio plusquam mortalis in ore
Vivit honos, tantusque oculis eluoet amoenis

Splendor, ut arcanas mira dulcedine fibras
Impleat, et castis rapiat praecordia flammis.
At vero obtuso Phoeben, cava nubila cornu
Sulcantem, innubis quantum lux aurea Phoebi
Exuperat, tantum sacri decus oris amoenum
Divinae premit immortalis gloria formae,
Quam tribus explicuit, numen confessus, amicis,
Qua fas sidereum mortali cernere lumen.

Isachari campos inter foecundaque rura
Nepthalidum immani procurrit in aethera dorso
Mons Thabor et summo subjectas culmine nubes
Despicit; ascensu facilis qua vergit in Austrum,
Qua vero oppositus Scythicis Aquilonibus, altis
Rupibus abruptisque in praeceps cautibus horret.
Planities summo nemorosi in vertice montis
Ingens in spatium diffusa, urbisque capacem
Ambitum, inoffenso deducit lumina tractu
In campos Galilaea tuos; quos vitreus inter
Labitur et mediis Cisson discriminat undis.
Huc Zebedaeo fratres genitore creatos
Ardentemque animi Petrum, charissima coetus
Bisseni capita, et fidissima pectora JESUS
Duxerat, aeterni clara argumenta daturus
Numinis, humanae clausi sub imagine formae.
Discipuli dorsi sinuantis in ardua longo
Circuitu fessi inclusique virentibus umbris
Languida gramineo reclinant cespide membra,
Et placido certant vires renovare sopore.
Ipse autem ad patrium tollens ardentia coelum
Lumina, divini numen Genitoris adorat,
Talia flammato fundens e pectore vota:

Omnipotens genitor, cujus mandata capessens
Humani effigiem vultus moribundaque membra
Indui et intacta vitream de virgine vitam,
Tristia quo primae solvam contagia culpae,
Aspice, quos mecum sacri in fastigia montis
Selectos omni sociorum e classe cöegi,

Atque omnem densis quae circumfusa capaces
Obducit tenebris oculos, pater, eripe nubem.

Haec ait, et pariter voti sese ipse potentem
Cum genitore facit. Mortali augustior ore
Protinus aethereo radiantem lumine vultum
Induit, et roseae decus immortale juventae.
Crinali coma stellarum formosior auro
Ambrosium late spirans diffundit odorem.
Flagrantes oculi, nitidi clarissima solis
Spicula, cum medium coeli discriminat orbem,
Illustri superant fulgore; per omnia membra
Aurea sidereae vibratur gloria lucis.
Ipsa etiam effuso radiorum sidere tincta
Indumenta, nivem intactam candore, nitore
Cornua nascentis superant argentea lunae,
Atque omnem accendunt diffuso lumine montem.
Continuo Aligerum tenues delapsa per auras
Agmina ter trina dominum cinxere caterva,
Ordinibus distincta suis, regemque canoris
Carminibus celebrant, immortalesque coronas
Sceptraque adoratis sternunt gemmantia plantis.
Accipit obsequium placidus, geminosque beatis
Caelicolum e turmis liquidas jubet ire per auras,
Legiferumque ducem, defensoremque sacrorum
Thesbiten, illum Limbi squalentibus antris,
Hunc fortunatis paradisi educere sylvis.
Ocyus imperio parent et jussa capessunt
Aligeri. Primus rapidum per inane, citatis
Arva super montesque alis sublatus, Orontis
Praeterit undosi ripas et Persidis oras.
Memnonios ultra fines et sole perustos
Indorum populos (ubi constans fama propinquo
Ultima terrarum jungi confinia Caelo)
Lucus odoriferis nemorum pulcherrimus umbris
Explicat eximium late decus. Exulat illinc
Auster agens nimbos, gelidique Aquilonis hiatus,
Fulminaque aestiferis excudens flatibus Eurus.
Floricomo totum Zephyro ver temperat annum.

In medio fulvis auri fons dives arenis
Purior argento erumpit, foecundaque rura
Irrigat et vitreis trepidans discriminat undis.
Quattuor ex illo rivos celeberrima ducunt
Flumina, et occulto per prata virentia fluxu
In diversa ruunt rapido violenta tumultu.
Tigris ab Armeniis detorquet cornua campis,
Perque pharetratos Medos Arabasque refusus
Gemmiferi sese ripis immergit Hydaspis.
Euphrates rauci per turbida saxa Niphatis,
Et pingues Babylonis agros Erythraea sonoris
Aequora turbat aquis. Nativo concolor auro
Sole coloratos Ganges interluit Indos.
Nilus ab Aethiopum terris revolutus in Austrum,
Foecundat Pharias rivo septemplice glebas.
Hunc Pater Omnipotens lucum et certantia caelo
Prata, virescentes aeternis floribus hortos,
Queis Arabum dites sylvae, queis nobilis hortus
Alcinoi et fulva Hesperidum pomaria sordent;
Cum geminum nutu artifici produceret orbem,
Felici nimium, bona si sua nosset, Adamo
Humanae gentis patri concessit. In omne
Aevum progenies superas ventura sub auras
Immunis febrium tristisque ignara senectae,
Immunis lethi nullique obnoxia fato,
Fortunatorum nemorum secura vireta,
Par laetis nitidi geniis habitasset Olympi:
Si non audisset Stygii malesana tyranni
Consilia infelix genitor sponsaeque trahentis.
Nunc patris infausti luimus commissa nepotes,
Et durum exilium, caeli terraeque marisque
Expositi furiis, trahimus. Vitaeque necisque
Praeda sumus miseri, gravis haec premit, opprimit illa.

Ex illo geminis tantum, quos inclyta virtus
Extulit, hunc superum rex annuit altus honorem,
Auricomumque habitare nemus, securaque mortis
Gramina concessit. Quorum primaevus Enochus
Caelicolum domino princeps delubra dicavit,

Solennesque aras, mores ritusque sacrorum
Gentibus indomitis sanxit. Comes additur illi
Elias, regum terror, pietatis avitae
Assertor, longo post tempore raptus in auras.
Ergo ubi praepetibus caeli per inania pennis,
Fulminis elisi flammis, Phoebique quadrigis
Ocyor, Elisiis Ales super astitit umbris:
Protinus ignivomos curru flagrante jugales
Thesbites aptat, quem quondam ascendere jussus
Deseruit terras, caeloque invectus aperto est.
Adjuvat ipse virum, canos veneratus et alti
Pectoris eximios Ales pulcherrimus ignes,
Et levat in currum et rapidis succedit habenis.

Jamque per aetherei volitans spatia invia mundi
Thyrsigeros Indos, foecundaque Persidos arva
Despicit, et celeri cursu rapidumque Niphaten,
Et quondam Antiocho regnatas praeterit urbes.
Miratur similem per Olympi caerula currum,
Alipides miratur equos, lucemque coruscam
Attonitus Titan; laetusque assurgit honori
Nobilis aurigae et longo post tempore visum
Agnoscit, pronoque salutat vertice vatem.

Ut primum optati tetigit fastigia montis,
Desilit e curru et divum occurrente corona
Exceptus, flexo longaevum poplite corpus
Sternit humi, dominumque procul submissus adorat.
Atque ubi vibrantem divino lumine vultum
Aspexit propius, CHRISTI vestigia circum
Fusus in expleto complectitur ebrius aestu,
Osculaque ingeminans iterumque iterumque salutat.
Haec inter Limbi reducem squalentis opacis
Amramiden cernit, cui circum tempora flammas
Fundit apex, geminoque illuminat aëra cornu.
Marmoreis tabulis inscriptas dextera leges
Sustinet, et laevam caeli terraeque marisque
Virga potens decorat. Juvat ire et jungere dextras
Amplectique virum. Venientem legifer heros

Occupat et strictis gaudens amplexibus ambit.
Laetitiae in cumulum formosi corporis omnes
Explicat Omnipotens dotes, et utrumque refusis
Accendit radiis ac majestate serena
Attonitos mulcens, blandoque silentia solvens
Ore, tenebrosis aperit quaecunque figuris
Fatidicis vatum claudunt oracula libris.

At placidi tandem excusa caligine somni
Evigilant comites, et reclinata virenti
Cespite membra levant. Reclusos blanda corusco
Lux oculos splendore ferit, nec laedit amaeno
Fulgore attonitos; sed enim, quae plurima visus
Mortales hebetat diffuso sidere nubem
Eripiens, radiis oculos caelestibus afflat.
Mirantes circumspiciunt, nec se satis ipsi
Agnoscunt, laetusque tremor dulcisque trementis
Laetitiae sudor subito praecordia lapsu
Pertentat. Mundi innumeros stellantis ephebos
Mirantur, vatumque decus; quibus alter ab oris
Adveniat, qua vi Moses redivivus in auras
Vitales redeat; gaudentque a luce magistri
Vatibus eximium tantis accedere lumen.
Flagrantem domini vultum super omnia fixis
Collustrant oculis, majestatisque decorae
Illecebris capti (felix audacia mentes
Impulit, et magno reverentia cessit amori)
Adjungunt sese lateri, propiusque micantis
Corporis ingenium et stellantia tempora spectant.
Praecipue Petrus, cui praeceps viscera flammis
Indomitis incendit amor, penitusque medullis
Regnat et infixis versat praecordia telis,
Expleri nequit aspectu; namque ipse tuendo
Crescit amor, pariterque tuendi crescit, amoris
Incremento auctus non exuperabilis ardor.
Utque erat arcanos animi recludere motus,
Inque importunas facilis prorumpere voces,
Cum vale dicentes vates abitumque parantes
Cerneret: Isacidae clarissima sidera gentis

Exclamat, revocate gradum montemque beatum
Vicinosque astris nobiscum habitate recessus.
Tuque adeo tu CHRISTE piis pius annue votis.
En ego, ne radiis sol incumbentibus urat,
Hic tria constituam excisis umbracula ramis.

Talia fundebat nequicquam et plura parabat,
Laetitiaque metuque animum turbatus, et ecce
Desuper erumpens radiis insignis et auro
Sese interposuit mediam pulcherrima nubes.
Et pater aeternus, caeli manifestus ab arce
Intonuit natumque aeterno victus amore,
Laudibus exornat meritoque attollit honore.

Hic ille est, quem praesagis cecinere camoenis
Fatidici vates, supremo aequaeva parenti
Progenies, genitoris amor, sapientia, virtus,
Quem viva aetherei reverentur sidera caeli,
Quem picturatus stellis ardentibus orbis,
Vastaque thuricremis tellus venerabitur aris.
Vos autem insignes animae, gratissima divis
Pectora, queis jam nunc superum partimur honorem,
Divinumque oculis (qua fas) haurire decorem
Annuimus, fidas monitis caelestibus aures
Et faciles Domini imperiis advertite mentes.

Dixerat: atque illis gelida formidine sanguis
Diriguit: verbis et majestate loquentis
Semianimes prona in terram cervice feruntur.
Nec prius attonitis rediit sanguisque calorque,
Quam posito tandem radiorum lumine CHRISTUS
Accessit tactosque manu medicante levavit.

Attulit et nobis sors optatissima tanti
Hospitis auxilium. Crudelis cuspide fati
Ante diem, nondum in senium vergentibus annis,
Et Pater et genitrix, inopino funere mersi,
Me puerum et tenera geminas aetate sorores
Destituere. Thori taedas exosa jugales,

Virginei miro jam tunc ardore pudoris
Martha tenebatur. Castus crescentibus annis
Crevit amor, stimulos superans aetatis et omnes
Irridens juvenum questus curasque procorum.
At vero fraeni impatiens legumque MARIA,
Altricis cui cognomen de turribus urbis
Magdala, (fabor enim nec cunctis nota silendo
Intempestivo CHRISTI benefacta pudore
Involvam tenebris) chari post fata parentis,
Dives opum et gratae nimium sibi conscia formae,
Aurea vernantis luxu choreisque juventae
Tempora consumpsit. Furtivis ignibus ardens,
Urebat juvenum mentes; nec fama furori,
Nec fratris monita, aut intactae exempla sororis
Obstabant. Tamen instamus crebrisque rigentem
Aggredimur precibus, lacrymis urgemus obortis,
Ut fama celebrem et vultus formaeque decore
Siderio insignem Christum, eloquiique potentis
Vi fingentem animos, audire et cernere coram
Annueret. Sed enim veluti Marpesia cautes
Nequicquam oppositis pelagi oppugnata furentis
Fluctibus, obstructa negat intractabilis aure.
Jam desperatis insanam linquere rebus
Mens erat et procul amotas secedere in urbes.
Cum mihi consilium hoc et non sine numine divum
Incidit, ut Christo ingenium flammasque sororis,
Fortunamque domus aperirem et supplice questu
Auxilium peterem. Accessi, genibusque volutus
Oravi, miseratus opem praestaret, ahenis
Solveret implicitam luxus saevaeque Diones
Nexibus. Ille manu, qua tot miranda peregit,
Erigit affixum terrae, blandisque gementem
Permulcens oculis, curam hanc deponere jussit.
Protinus abscedo, fida spe nixus, et omnem
Rem tacito interea clausam sub pectore condo.
Promissique fidem expectans, mecum ipse revolvo,
Qua tandem CHRISTUS ratione aut arte salutem
Redderet invitae rapidosque extingueret aestus.
O vanas hominum curas! divumque minora

Pectora consiliis! non ille affatibus utens
Flexanimis duram invadit, non crimina torvo
Exprobrat obtutu; sed dedignatus adire
Luxuria infames calamistratisque penates;
Effraenem meritis germanam incessere poenis
Ante Machaoniae voluit miracula dextrae.

Namque ubi natalis malesana ad gaudia lucis
Regifico luxu mensas onerasset, Iaccho
Spumantem pateram, stellantia tempora serto
Crinali redimita procis libasset, et illi
Laetitia amentes, puri tot pocula Bacchi
Funditus hausissent propinassentque salutes,
Quot dominae nomen describunt literae: (amoris
Indicium vani vanum) mensisque remotis
Magdalis ad docti leges et carmina plectri
Pulsaret pedibus terram dulcesque choreas
Duceret: ecce tibi rapidi Phlegethontis ab antris
Erumpunt furvi septem Plutonis alumni,
Et subito illapsu plaudentis in ora volantes,
Intima viperiis stringunt praecordia nodis.
Protinus expulso pallescit sanguine vultus,
Arrectaeque comae, disruptis nexibus, ambos
Circumfusae humeros sinuoso horrore flagellant.
Frons rugis inamoena novis sulcatur; opacis
Sedibus immersi languent, acieque minaci
Nunc huc nunc illuc oculi volvuntur in orbem.
Diductis hinc inde labris deformia miris
Spumant ora modis, et rauco e gutture major
Humano fremit ore sonus; rabidoque tumultu
Hebraea Ausoniis Graecisque vocabula mista
Effundit lymphata. Fugit velocior Euro
Plaudentum turbata cohors; famulique trementes
Ad mea praecipiti contendunt limina cursu,
Attonitumque una invadunt magnoque ululatu
Deplorant dominae casum. Mihi frigida torpent
Membra gelu, subito vox interclusa dolore
Haeret. At insanis replens tectum omne querelis
Martha, laboratos manibus discindit amictus,

Arreptosque secat crines et pectora planctu
Assiduo velut orba ferit; miseramque sororem
Invisum volat et revocantem audire recusat.
Vix adeo maturato contingere passu
Elapsam potui, donec funesta subiret
Limina. At haec inter famulae post prima furentum
Anguigenum tormenta, fatigatamque soloque
Collapsam flentes dominam in penetralia tecti
Sustulerant; aegram thalamo ignaramque locarant
Dura in torquentes compostis vincula membris.
Ascendo fidis tecti in penetralia servis
Stipatus, laterique comes germana doloris
Impatiens sese adjungit. Vix prima cubilis
Limina suspendens tacito vestigia gressu
Intraram; cum nos oculis bis terque retortis
Collustrans, furibunda novis ululatibus omnem
Terruit adstantum turbam. Nunc lurida foedis
Ora modis torquens, fanda atque infanda vomebat;
Insano nunc risu effusisque illa cachinnis
Germanae lacrymas, maesti suspiria fratris,
(Si tamen illa) lacescebat; nunc caeca stupentum
Facta ministrorum, tacitisque recondita fibris,
Oblitasque ipsis curas pandebat, amaris
Attonitos dictis stimulans. Tum deinde revinctas
Indignata manus, circumdata vincula (tales
Imbelli vires visu mirabile Averni
Sufficiunt pestes) ceu tenuia fila lacertis
Faemineis lacerat thalamoque erumpere certat.
At nos interea gemitus, suspiria, vota,
Fundere; caelestum auxilia implorare; benigni
Adventum medici celeremque optare medelam.
Jamque dies alterque dies decesserat atris
Umbriferae noctis bigis, et tertius orbis
Aetherei mediam sol curru ascenderat arcem;
Et diri Orcigenae renovato insessa furore
Membra fatigabant. Victus pietate, dolore
Incensus, lacrymis undantia lumina tollo
In caelum, tendo palmas Jesuque tremendum
Hospitibus furvis nomen, bis terque sonoro

Clamore ingeminans, repeto. Mora nulla, potenti
Nomine prolato, ceu fulmine tacta resedit
In latus: et diris frendens ululatibus, uno
Septenos simul ore mihi, famulisque referre
Visa sonos; quot visceribus reclusa latebant
Monstra, tot obsesso pariter de pectore voces
Cum fremitu mugire, atque hos effundere questus:
Hostis adest, nosque heu fata! expulsurus ad aedes
Heu nimium charas properat. Quam pinguis Averno
Praeda extorquetur! miseri; cur Dite relicto
Hospitium infaustum aggressi, quos ille triumphans
In Stygii pulsos detrudat opaca profundi?

Talibus attonitus dictis, ad limina pergo,
Prospectumque omnem diffuso lumine lustro.
Ecce autem comitum CHRISTUS stipante caterva
Magdaliae pridem portis successerat urbis.
Occurro fidens animi melioraque sperans,
Infausti seriem casus proferre parabam.
Ille pia attollens lapsum ad vestigia dextra:
Scimus ait, quaecumque gemis, sine numine nostro
Nil actum est. Fugiet duri immiserabilis Orci
Hospes ab insessis germanae in Tartara membris.
Aufugiet pariter purgato e pectore, quicquid
Lethiferis olim illecebris Venus improba, quicquid
Luxus et incautae libertas blanda juventae
Altius infixit. Roseis castissimus alis
Mutatam in mentem superum delapsus ab arce
Magdalin inflammabit amor, telisque subactam
Caelituum applaudente choro, mundoque stupente,
Exemplum successuris aetatibus ingens
Constituet; cujus radiis vibrantibus icti
Accensique animos monitis, juvenesque senesque
Projectaeque pudicitiae frontisque puellae,
Excusis scelerum furiis meliora sequentes,
Ardua virtutum stabili fastigia gressu
Dite triumphato scandent superumque beatis
Aurea permisti complebunt agmina turmis.

His admirantis permulcens pectora dictis,
Hospitii fortunati penetralia laetus
Cum sociis superat. Tum demum exterrita nigri
Turba Erebi saevum infremuit, rabiemque minasque
Supplicibus miscens votis, queriturque furitque
Vocibus innumeris ululans crassasque cruento
Ore vomit spumas. Ridet vaesana frementum
Murmura Jessides invisaque monstra potenti
Imperio migrare jubet. Mora nulla; jubentis
Ad nutum erumpunt pariter corpusque relinquunt
Semianime et furvis revolant in Tartara pennis.
Atque ubi divina vires sensumque recepit
Tacta manu, blando CHRISTUS sermone stupentem
Affatus, memorem acceptae monet esse salutis,
Et luxu castigato spretisque juventae
Illecebris, castae vitam moresque sororis
Induere et meritas superis persolvere grates.
Dixit, et in verbo (neque enim exorare dabatur)
Abscedens, subito turbavit gaudia luctu.
Et jam roriferis incumbens humida bigis
Nox fusco caelum et terras vestibat amictu;
Cum blandis victi precibus relinquere solam
Cogimur.
Illa ubi secreto poterat secura cubili
Solicitos animi sine teste effundere motus,
Supplicii secum horribilis causasque modumque
Et celerem miserantis opem sub pectore volvit.
Nunc sibi se vitamque suam moresque fideli
Objiciens librat trutina; et meruisse fatetur
Tot Barathri pestes imis includere fibris
Quot vitiis domitam subjecerat improba mentem.
Nunc sese incolumem cernens, pulsosque nigrantis
Cocyti genios, magno exardescit amore
Caelestis Medici purasque in pectore flammas
Concipit. Et quantum purissima flamma medullis
Omnibus inserpens casti sucrescit amoris:
Tantum lascivae flammaeque facesque Diones
Duraque disruptis laxantur vincula nodis.
Tum vero geminis oculorum e fontibus imber

Exundans, faciem calidis et pectora rivis
Irrigat et tanta reficit dulcedine mentem,
Ut nec Threicii vatis sylvisque ferisque
Intellecta chelys, Ditique audita severo,
Nec levibus noctes choreis vinoque sepultae,
Deliciaeque omnes, quas insatiata libido
Parturit, aequarent jucundi gaudia luctus.

Ergo ubi jam tota, quam longa est, nocte pudori
Solverat amisso lacrymas, cum prima rubentes
Extulerat caelo bigas Aurora, cubili
Membra levat; non auro (ut pridem) ostroque superbos
Solicite exquirens cultus, non aemula stellis
Marmoreo innectens aptansque monilia collo,
Non comptos myrrha crines, aut pinguis amomi
Inficiens succis auresve onerare manusque
Eois satagens stulta ambitione lapillis.
Neglecti pendent humeris sine lege capilli,
Ingratae sordent olim gratissima formae
Ludibria, et mendax speculi nitor. Omnia luxus
Instrumenta odit melioribus incita flammis,
Scriniaque evolvens, Erycinae mercibus apta,
Lascivas (caeci furtiva Cupidinis arma)
Extrahit indignans ceras lenasque pudoris
Virginei tabulas, deceptae poma Cydippes,
Quaeque intertextis quondam munuscula fingens
Crinibus, insanos juvenes vinctura parabat,
Quaeque intonsus Hylas aut praetextatus Adonis
Plurima contulerant dominae dona, omnia flammis
Devovet, in ferias laeso missura pudori.
Atque alias tacito versans sub pectore curas,
Protinus accitos famulos properare domumque
Vestigare jubet, felicia quaerere tecta
Hospitis aetherei accubitu dignata. Ministri
Accelerant, urbem explorant referuntque Simonis
(Cui detestatae inserpens contagio leprae
Turpibus horrentes maculis infecerat artus)
Evictum precibus stratis accumbere mensis.
Illa morae impatiens studioque accensa videndi,

Seligit ex omni unguentorum copia odoro
Vas redolens Nardo, gratum in convivia munus.
Et mediam sparso neglectim crine per urbem
Fertur, ut injecto venantum saucia telo
Cerva, fuga saltus et Gnossia lustra pererrat,
Dictamni medicas quaerens per devia frondes.
Infixus menti vitae pudor excutit omnem
Ornatus curam. Vulgi dicteria spernit
Nec, cui displiceat, quando sibi displicet ipsi,
Solicita est. Nihil obtutus caecosque moratur
Observantum oculos, quae caeli cuncta videntis
Luminibus moresque suos tacitique patere
Arcanos animi deprendit conscia sensus.
Cum blandis domitam insidiis damnosa voluptas
In vitium traheret, divum malesana pudorem
Excussit; nunc aethereo mentem igne liquescens,
Stulta importuni contemnit jura ruboris.
Et mediam ingrediens Pharisaei divitis aulam,
Convivis gravidam, CHRISTI accumbentis ad ima
Procidit a tergo vestigia. Victa dolore
Vitae infelicis, victa accumbentis amore,
Perpetuis charas lacrymis moestissima plantas
Eluit et fusis per tempora crinibus, udas
Fletibus abstergit; detersis mille refigit
Oscula et Assyrio perfundit prodiga Nardo.
Convivae interea immemores mensaeque suique,
Alter in alterius suspensi lumina vultum
Attoniti mussant. Quid fletibus ambiat illis,
Cur liquidis tingat vestigia odoribus; ecquis
Hos amor in sumptus, haec in lamenta silentem
Maeror agat; qua flaventes spe nixa capillos
Advolvat CHRISTI pedibus; quidve ille tot ultro
Oscula dissimulet talemve affectet honorem.
Ante omnes stupet ipse Simon taciteque flagellat
Hospitis errorem, cui tota nobilis urbe
Faemina deliciis luxuque imponere posset.
Increpuit tacito pressos sub pectore motus
CHRISTUS et egregii specimen memorabile amoris

Praetulit instructis epulis, vultuque sereno
Et dulci alloquio germanae pectora mulcens:

Vade, ait, o tanta felix pietate fideque!
Lubrica fallacis ne te commissa juventae
Solicitent: meruere tui, meruere dolores
Divinique animus flammis incensus amoris,
Et scelerum veniam et caeli potiora faventis
Munera. Ad hanc vocem nitidam pax aurea mentem
Ambrosiis caelo pennis delapsa subivit.
Quaeque reum assiduis pectus diverberat alis,
Conscia vivaci lacerans praecordia morsu
Tristitia, in nebulas abiit gustusque perennis
Gaudii inassueto perfusas nectare fibras
Pertentat. Miro ex illo mutata benignum
Prosequitur cultu medicum; miro ardet amore
Hospitis et sacro pendet dicentis ab ore.
Nunc vocat ad mensam, mensaeque oblita parandae
Caelestes monitus divinaque verba fideli
Aure bibit. Soror interea convivia curat
Martha et felici paene invidet aegra sorori
Incusatque palam. Judex utrumque serenus
Accipit obsequium Marthae pascentis, amantis
Magdalae; at eximium praefert cessantis amorem,
Et mira castam pascit dulcedine mentem,
Pascitur et mira castae dulcedine mentis.

Nondum luna novum glomeravit cornua in orbem,
Ex quo me gravis invasit victumque cubili
Affixit morbus. Vitae in secreta furebat
Pestis et occulto populatas igne medullas.
At simul ac tali sensit me peste teneri
Magdalis, e famulis unum tristissima mittit,
Qui CHRISTO ferat haec ipsumque ad limina ducat.

Ut saevi ingenium morbi gemitusque sororum
Accepit, graviter miserans, quamquam omnia noscat,
Ingemuit comitesque pios, queis pectora chari
Hospitis urebat non eluctabile fatum,

Formidare vetat; neque enim immedicabilis urget
Mors, ait, exanimem tristi mersura sepulchro.
Vivet adhuc morbi victor mortisque; parentis
Me sobolem aetherei, mundo admirante, probabit
Supremum conclamati discrimen amici.

Non tamen auxilium properat laturus; at ultro
Attonitis sociis, tectis et sedibus iisdem
Haeret. At interea flammis fatalibus impar,
Amissa spe lucis, in ipso flore juventae
Jam magis atque magis tumulo mortique propinquo.
Non ego, si centum resonet vox ferrea linguis,
Enumerare queam, quibus immiserabilis aegro
Obluctantem animam expulerit de corpore telis,
Quo mors tormento, qua vi perruperit ipsum
Cor, primum vitae hospitium sedemque supremam.
Queis animus, desperato jam corpore, raptus
Fluctibus huc illuc, (rapidis ceu prodita ventis
Puppis) agebatur; nam deploratus amoenae
Lucis amor vitaeque hilaris peritura voluptas,
Divitiis cumulata virentis flore juventae
Et tot amicorum fidis gratissima turmis,
Angebant miseram mentem. Super omnia, durum
Horrendumque videbatur, miserabile corpus,
Curarum socium dulcemque relinquere noti
Hospitii sedem. Sola, incomitata, futuri
Nescia, per tenebras et opaca silentia, caecam
Ire viam cogar? quae me fortuna, quis orbe
Aethereo exclusam accipiet locus, aurea divum
Regna petam? an Stygios praeceps detrudat in ignes?
Jam mihi praecipiti fugientia tempora penna
Praeteriere: velut celeris levis ala sagittae
Aëra perrumpens, aut plenis aequora velis
Infindens et nulla viae vestigia figens
Puppis; ut innumeris adverso sole refulgens
Illudensque oculos fugitiva coloribus Iris.
Heu quid opes! quid marmoreis suspensa columnis
Tecta brevem dominum contra impacata tremendae
Mortis tela juvent! quid me lamenta sororum,

Quid comitum lacrymae et maestorum turba clientum?
Heu nimium caecos! nimium mortisque suique
Immemores! quos purpurei decor oris et aetas
Florida, quos vestes, auro gemmisque nitentes,
Servorumque greges dimotaque fascibus unda
Indocilis vulgi vitreique potentia sceptri
Extollunt fastuque humiles calcare superbo,
Opprimere invalidos, superos contemnere cogunt,
Quid juvat impositis digitos onerare smaragdis
Aut liquido nardo, aut dulci perfundere myrrha
Et ferro vibrare comas pictaque repertis
Littore Erythraeo crepidas vestire lapillis?
Ut matutino solvuntur sole pruinae;
Ut brevis illa rosae languescit purpura tristi
Tacta noto; ut placidi facies malefida profundi
Vertitur hibernae subito stridore procellae
Aurea sic vitreae labuntur tempora vitae.
Ut picturatis Argi Junonius ales,
Elatus spoliis, dum prono informia visu
Obliqui pedis observat vestigia, pulchrum
Contrahit indignans oculati syrmatis orbem:
Sic adeo exacto properatae tempore lucis,
Cum suprema dies et ineluctabile mortis
Arbitrium clausos falso splendore fugacis
Fortunae, stirpis, vultus, aetatis, honoris,
Recludens oculos mihi me descripserat: omnis
In cineres recidit tumidae jactantia mentis.
Tunc primum calidis superos inflectere votis
Velle videmur: at infelix obmurmurat actae
Per vetitum vitae et scelerum rediviva priorum
Effigies, non ante animo tam clara videndam
Objiciens sese, innumeris vallata malorum
Agminibus, velut hydra suis foecunda ruinis.

Aetherei testor metuendam judicis urnam
Divinosque oculos, quibus omnia nota, sub imis
Quae latitant arcana fibris, quos fallere nulli
Contigit eloquio nullo, nulla arte furentis
Ingenium mortis, formidandumque referri

Posse satellitium, aut animae jam jamque migrantis
Terrores incredibiles pugnamque supremam.
Nam me, quem nitidi summus regnator Olympi
Ob magni hospitium nati, corpusque perenni
Flore pudicitiae vernans, mentemque supernae
Legis ad arbitrium virtutumque ardua, ab ipsa
Compositam indomitae primaeva aetate juventae
Dilexit, tali invasit mors atra furore,
Tot simul oppressit curis, tot fluctibus egit,
Tot monstris trepidum, tot diris perculit: omnem
Ut pene abstulerit turbata mente salutis
Perpetuae spem. Nam (facto velut agmine) nigri
Deformes Erebi genii serpentibus atros
Circumfusi humeros, spirantes faucibus ignem,
In thalamum irrumpunt, languescentisque cubile
Incingunt avidi praedae, diroque ululatu
Et risu formidando rabidisque cachinnis
Semianimi insultant. Tremulus, perculsus, anhelus,
Exangues nequicquam artus attollere nitor;
Proripere e stratis corpus, deformia monstra
Effugere atque ungues miserum raptare paratos.
Lumina nunc claudo, nunc pulvinaribus abdo
Suppositis caput, immanes evadere quaerens
Anguigenum vultus: frustra tamen, omnia frustra!
Namque etiam occlusis oculis (mirabile dictu)
Horrida monstrorum species se ostentat et omni
Adstantum turbae comitum indeprensa, molesto
Tartareae solum me formae horrore fatigat.
Tum deinde attonito vitreae commissa juventae,
Omnia jam manifesta, suisque coloribus uno
Aucta aspectu sese objecere: profusa
Incauto mihi verba, joci risusque, medullis
Arcanis inclusa, animo meditata silenti;
Quicquid amor, dolor et metus et malesuada cupido
Gaudiaque errarunt, quodque his magis omnibus unum
Perculsam infregit mentem, jam ingrata videri
Plurima, quae quondam caelo gratissima rebar.

Haec inter spatium vitae effluxisse piisque

Concessum lacrymis tempus conquestus, in ipso
Cum me immortalis lethi vitaeque jacentem
Limine conspicerem: hinc risu improperata protervo
Ditigenum elapsae numerosa piacula vitae
Praesentem laesi inculcarent judicis urnam.
Ast illinc operum spes haud secura piorum
Infanda dubiam quaterent formidine mentem:
Ceu jam sulphureos Erebi rapiendus in ignes,
Ingentes imo gemitus e pectore duco,
Atque oculis superum auxilium manantibus oro.
Instabant tamen Orcigenae circum undique fusi
Et saevis trepidam furiis evertere mentem
Certabant. Quid adhuc, quid demens irrita jactas
Vota, quid aethereas oculos suspendis in arces,
Infensumque Deum, superis invisus et Orco
Debitus, ingratis ambis vexasque querelis?
Tum decuit, cum vita suo cumulata vireret
Robore, cum validus membris vigor, aethera votis
Et lacrymis onerare undantibus. Aurea vecors
Munera caelicolum concessaque tempora fluxis
Corporis illecebris, opibusque tibique, tremendi
Judicis oblitus, fatalisque immemor horae
Consumpsti? et fracta jam naufragus anchora, inani
Obtutu in caelum verso corrumpere speras
Judicis examen saevum, horrendumque vel ipsis,
Quos nullo infestat scelerum mens conscia morsu?
Jam serum est, media serum est in morte dolere
Crimina, quae insano dilexti sanus amore.
Nunc primum scelera infelix, nunc deseris? illa
Te potius, quam tu illa fugis. Ne sperne sodales
Stulte tuos quos vivus amas, moriturus eosdem
Accipe judicii comites alimentaque poenae
Non moritura tuae. Nos te per devia fido
Agmine, per casus omnes tuaque arma secuti,
Exanimem non ingrati post fata sequemur.

His adeo centumque aliis, quos faucibus haerens
Lingua referre negat, moribundum impellere adorti
Fraudibus et misero spem caeli funditus omnem

Tollere. Quid facerem tot circumseptus Averni
Pestibus et scelerum confusus imagine? nullo
Aetheris auxilio, nulla pietate faventis
(Sic equidem rebar) fultus? pene hostibus impar
Cedebam, iratis vix audens fidere divis.
Ecce autem e summo stellantis vertice caeli
Demissus, magna superum cingente caterva
Astitit, atque omnem divina luce suoque
Implevit splendore domum pulcherrimus Ales,
Dux animi, custosque, meae cui credita vitae
Et mortis tutela fuit. Perstricta minaci
Caelicolum aspectu furvi manus horrida Ditis
Horribili frendens ululatu, in tristis Averni
Praecipitat loca caeca fugam. Caelestibus aegram
Cantibus interea superi recreare suisque
Turbatam certant radiis componere mentem.
Spem trepido renovare erasaque crimina et aureis
Illustrata notis membrana in virgine coram
Pandere solicito castae benefacta juventae.
Ergo hilaris fidensque inter plaudentia divum
Agmina, frigentes exhausti corporis artus,
Ut matura cadunt Autumni frigore primo
Poma, obitu facili et tranquilla morte reliqui.
Exceptum per inaccessas mortalibus oras
Abducunt animum laeti poenasque malorum
Distinctasque Erebi sedes, secretaque vatum
Concilia et quicquid terra caeloque stupendum
Caelicolae monstrant, repetendaque fila juventae
Abruptae, CHRISTI imperio, post funera pandunt.

Quis dolor orbatas fratre expirante sorores
Perculerit, sileo. Quis nigri funeris ordo,
Qui comitum planctus, quo clausum marmore corpus,
Praetereo, ut reducis donum memorabile vitae
Exequar et domita spoliatum morte sepulcrum.
Jam mihi feralis tumuli composta quiete
Tabida spirabant graveolentem membra mephitin,
Grataque convivis praebebat fercula corpus
Vermibus exesum, vitreis cui quicquid in undis

Nascitur, aëreo quicquid natat orbe, capaci
Quicquid alit funditque sinu ditissima tellus,
Vix satis ad stomachum est aut vanas gutturis arcti
Delicias aut insaturati gaudia ventris.
Scilicet huc rosei decor oris et inclyta formae
Gratia et intonsae flos aureus ille juventae
Deveniunt, huc Ledaei mendacia Cygni
Sideribusque pares oculi, certantia lacti
Corpora et Assyriis fucata coloribus ora.
Interea omnipotens hospes, cui pervia cuncta
Absenti (si fas absentem dicere) quando
Tertia post obitum tenebris aurora fugatis
Caerulaeum croceo conscenderat aethera curru,
Dulcia dilectae linquens Galilaeidos arva
Discipulum stipante manu Jordanis ad undas
Abruptum repetebat iter Solymaeque per agros
Bethanes (vetus hospitium) properabat ad arcem.
Utque rudes animos comitum immaturaque magno
Pectora prodigio aptaret; charissimus inquit:
Hospes torpenti resolutus membra sopore
Languet, at ignavi praesens adamantina somni
Vincula discutiam captivaque lumina solvam.
Arripiunt omen laeti certamque salutis
Concipiunt spem; Lethaei sub nomine somni
Ignari mortis signari vincla. Frementes
Laetitia fallente animos non passus inani
Exultare spei illusos dulcedine: tristi
Funere raptus (ait) vitales Lazarus auras
Liquit et exangues tumulo jam credidit artus.
Ne vero ne lamentis planctuque sepultum
Supremo celebrate viri. Revocare profundo
Immersum tumulo putrescentemque rapacis
Eruere e manibus lethi mihi certa voluntas.
Atque ideo morbo luctantem invisere et aegro
Distulimus ferre auxilium mortemque furentem
Injecta prohibere manu. Nunc omnia quando
Ingratam famae pennis diffusa per urbem,
Testibus innumeris firmata: odiumque furorque
Primorum, amissas repetet cum Lazarus auras,

Non poterit claro nebulas obtendere facto,
Nec vanis facilem illudi pervertere plebem
Figmentis. Celeremus iter verumque parentem
Prodigio dentem invidiae excutiente probemus.

Sic memorat: coeptamque viam laetissimus urget,
Jamque propinquabat tectis, cum Martha (benigni
Hospitis adventum famulis referentibus) ultro
Exilit et celeri per prata virentia gressu
Occurrit magnoque animum turbata dolore,
Ut primum fari potuit, sic ora resolvit:

O lux Isacidum! o miserae spes unica gentis!
Quae tantae te CHRISTE morae tenuere! potentem
Quis casus, quae fortunae vis aspera, nostris
Invidit precibus dextram! quod denique fractis
Post immaturi funus miserabile fratris
Auxilium laturus ades charissime rebus!
Quod si semianimi praesens succurrere amico,
Atque orbatarum potuisses dura sororum
Lamenta undantesque oculos planctusque videre:
Credo equidem, morbi victor mortisque, resumptis
Viribus aethereas etiamnum Lazarus auras
Vivacis traheret longaeva in fila senectae.
Nunc fuit.

CHRISTUS ad haec: vitae arbitrium mortisque supremum
Me penes est. Vivuntque mihi vel perdita flammis
Funera vel putri resoluta cadavera tabo.
Nec solus tumulo frater remeabit opaco
Me revocante tuus. Quondam monumenta refundent
Omnia ad imperium domini rediviva jacentum
Corpora; dispersi cineres exesaque surgent
Ossa, nec aeternae ferali cuspide mortis
Corruet extinctus, quisquis mea castra secutus
Accipiet leges meritosque indicet honores.
Verum age et afflictae dic protinus ipsa sorori
Occurrat tecum pariter fidatque vocanti.

Dixerat: et dicto citius MARIA sororis
Alloquiis excita domo prorumpit. Euntem
Turba virum, nostro qui tristes funere amicas
Jungebant lacrymas et verba medentia magnis
Planctibus aptabant, facili pietate sequuntur.
Illa ubi jam lateri propius successit amantis,
Corruit in terram pedibusque affusa magistri,
Germanae repetit questus. Percussus amaris
Fletibus ingemuit miserans mentemque serenam
Impelli curis patitur; fremituque sonoro,
(Tanquam indignatus ferali cuspide fretam
Indomita late saevire tyrannide mortem)
Flebile ait gelidi claustrum monstrate sepulcri.
Deducunt jussae ad tumulum tristemque sorores
Speluncam ostendunt. At Virgine natus, ut omnes
Plorantes circumspexit, pietate subactus,
Humectatque genas lacrymisque fluentibus ultro
Extrema exangui persolvit munera amico.
Mirantur lacrymas atque insperata magistri
Flumina discipuli; magnum lugentis amorem
Mirantur circumfusi longo ordine amici,
Felicemque vocat me pars sincerior unum,
Et tales fundi cupit ad sua funera fletus.
Atque ipsis etiam, quorum confluxerat ingens
Ad tumulum numerus, pietas haec grata videri
Leviadis, quamquam invidiae stimulante veneno
Indignarentur taciti infestique rogarent:
Quid tandem causae est, cur dulcem luminis usum
Addiderit juveni nascendi sorte negatum,
Hospitis at chari lethum praevertere CHRISTUS
Abnuerit? functumne gravi revocare sepulcro
Cogitat et surdam lacrymis corrumpere mortem?

Marmoris haec inter divelli saxea claustra
Imperat omnipotens obnitentemque sororem,
Quod tumulo clausum a quarta jam luce cadaver
Crederet ingratum jam tum diffundere odorem,
Increpitans animo elapsam spem fronte severa
Excitat, et magna proclamans voce, relicto

Imperat exanimes artus prodire sepulcro.
Elysias ingens clamor penetravit in umbras,
Et subito Aligeri raptam per viscera terrae
Abduxere animam tumuli feralis in antrum.
Non capio ipse modum; sed enim velocior alis
Fulminis elisi putres se vita per artus
Insinuans, sensum membris infudit et ora
Tabida purpureo redivivi sanguinis ostro
Imbuit; et nervos calor et concreta relaxat
Viscera et arcanas animat per dura medullas
Ossa means. Quid plura sequar? renovatus ab atro
Marmore (discipulis vincla exolventibus) hospes
Non expectatus, funesta sindone nuda
Membra tegens surgo. Attonitos de limine lustro
Attonitus, mortisque obitae vitaeque receptae
Immemor, et magni offusus caligine doni,
Posthumus ipse mihi, aethereas bis natus in auras.

Sic illibati partus miracula et omnem
Bis geniti historiam CHRISTI Bethanius heros
Omnibus intentis referens, Romana stupendis
Pectora quaerebat factis capere ante vicemque
(Si qua fata sinunt) perituro reddere amico.
Prodigiis captus judex ingentibus implet
Promissis, multoque abeuntem ad limina honore
Deducit, procerum coetu comitante; sed aurae
Irrita ventosis rapiunt promissa procellis.

LIBER SEPTIMUS.

Roriferum interea pluvio Tithonia currum
Extulerat coelo; pallenti inglorius astro
Lucifer objecta nebularum indagine clausum
Vix reserabat iter, redeuntem nulla salutat
Carminibus Phoebum volucris. Mirantur amoenis
Sylvarum agricolae insperata silentia in umbris.
Ipsa sui indecores ales Titania solis
Erubuit signare rotas, et gutture rauco
Non matutinos redivivi luminis ortus,
Sed formidantis prodit mendacia Petri.
Non tamen obscuris inhonori sideris umbris
Elusit Caipham furiis stimulantibus actum
Cynthius, invidiae cui pestis pervigil omnem
Abstulit ex oculis noctem. Nunc vincula Christum
Excussisse timet fractisque abiisse catenis.
Nunc putat innumeris vicina per oppida pennis
Evectam indomitis famam diffundere linguis
Captivi sortem, vulgique undantibus urbem
Compleri agminibus, ferroque animisque parati
Incolumem ruptis CHRISTUM dimittere vinclis.

Talia volventem famuli monuere frequentes
Confluxisse patres, curas abrumpit, in aulam

Descendens, procerum coetu assurgente, superbo
Sublimem solio sese infert atque ita fatur:

Amramidae proceres, genus alto a sanguine Levi!
Quos summo pater omnipotens manifestus Olympo
Rectores populi instituit vigilesque sacrorum,
Divinae quo legis honor, quo gloria templi
Quoque Sacerdotum reverentia, proxima divis,
Dum patrii starent ritus et jura sacrorum,
Unius infando toties calcata furore
Deciderint, vidistis et alto saepe dolore
Flevistis; patriae mecum opportuna ferentes
Auxilia incassum et lapsis solatia rebus.
Coelo aliter visum; sive explorare trahendo
Ardentes animos sive irritare volenti
Dilatas interposito velut objice flammas.
Sic licet auspicibus superis lecto agmine totam
Benjamidum Isacidae soboles undena pararet,
Ob Veneris furias armis extinguere gentem,
Bis tamen abjectis vindex exercitus armis
Ante expectatum vertit data terga triumphum.
Nos quoque siderea coeli miseratus ab arce
Calcatae gemitus pietatis avitaque jura,
Aspexit tandem Deus: et non fanda struentem
Concessit meritis hostem vincire catenis.
Non ego jam veterum poenas exposco malorum,
Juratum templi excidium violataque falsis
Sabbatha prodigiis majestatemque sacrorum
Contemptam, sceleratorum consortia, amorem
Tutelamque meretricum, derisaque passim
Scribarum decreta sacerdotesque profana
Traductos toties linguae petulantia et actum
Ambitione throni secreta in devia vulgus
Quaesitumque epulis taceo diadema dolosis.
Scilicet his, majora parans, praelusit. At ipsam
Nunc summi majestatem soliumque Tonantis,
Non scelus (ut quondam) obscuris ambagibus abdens
Invadit (Stygio mergendas gurgite voces
Lingua tremens proferre negat) coramque palamque,

Aequalem sese ipse Deo aeternique parentis
Germanam asseruit sobolem. Proh! fulmine digna
Verba, Gomorrhaeas irritatura procellas!
Et Dathanaeos excusatura furores!
Ne tamen haec quisquam fingi putet, ocyus ipsum
Fida cohors vigilum mediam producat in aulam.

Dixit: et ad nutum vigilum manus impia Christum
Indignis pressum, vinclis noctisque molestae
Exhaustum, poenis ferali e carcere traxit.
Livida verberibus squalebant ora cruentis
Intonsique decus capitis, coma gratior auro,
Sordibus et crassa foede concreta saliva
Horrebat; pugnis laceri duo sidera vultus
Obtusis (neque enim dulcis data copia somni)
Languebant radiis, ceu circumfusus opacae
Amplexu nebulae Phoebus; tamen ille virilis
Majestatis honos divinaeque inclyta mentis,
Et Caiphae et Ditis victrix, constantia durat.

Continuo adstantem voti securus JESUM
Invadit Caiphas. Quae te vesana tumentem
Impietas, quae mens tam dira miserrime tandem
Impulit, ut fabro genitus te numinis alti
Progeniem patrio demissam ex aethere jactes?
Quin age, si tanto temet dignaris honore,
Si pater est, convexa poli, qui numine torquet,
Sidereos jam pande ortus teque assere coelo.

Dixerat: atque eadem proceres uno ore fremebant.
Ollis intrepido respondens pectore CHRISTUS:

Scimus, ait, quae dudum animis sententia vestris
Fixa sedet, neque enim veri sincera cupido
Solicitos urget. Num si certissima pandam,
Aequis auribus accipiar? num fida dabuntur
Responsa aut arctis solventur brachia vinclis?
Nulla tamen mortis vis intentata, timore
Degeneri victum coget testata silendo

In dubium trahere. Iufami quem perdere letho
Insontem ardetis, summis in nubibus olim
Angelicis clausum turmis dextraque locatum
Aetherii patris et solio stellante coruscum
Cernetis meritis sontes involvere poenis.

Haec ubi dicta dedit: procerum pars optima, caeci
Immunes odii mentes intactaque corda,
Non expectatum verborum fulmen et alti
Invictam virtutem animi vultumque, vel ipsos
Artifices scelerum arcano terrore moventem,
Mirantur; magnum gaudent ingentibus actis
Respondere reum, nec degenerare stupendis
Vincula prodigiis nec dedecorare parentem.
Conjuratorum sed enim quia tendere contra
Leviadum furias obluctarique cruentis
Consiliis importuna pietate timebant:
Egregium tacito juvenem miserantur amore
Divinosque actus et fato erepta frementi
Funera volventes; et posse et velle periclum
Lethi impendentis patria vi frangere sperant.
At reliqui interea saevo (stimulante Megaera)
Dicentem fremitu invadunt; atque agmine facto
Mortem intentantes: quid opus jam testibus ultra?
Ingeminant; ipse, ipse palam stellantis Olympi
Sceptra sibi soliumque potestatemque Tonantis
Intolerabilibus, scelerum caput! arrogat ausis.

Talia jactantes falsis ad sidera tollit
Laudibus exultans Caiphas et dira furentum
Vota trucesque animos proavum virtutibus aequat;
Qui defensores patriae legumque sacrarum,
Sacrilegos (nutu caelestum animante) sub ipso
Crimine Tartareo extinctos mersere profundo.
Impatiensque morae, tanquam niger omnis ab urna
Calculus exiisset coeli terraeque parentem
Supremo, terra ad facinus coeloque tremente,
Supplicio addicit. Lata sententia, acerbo
Infrendens gemitu, quod lex Mosaea juberet

Parcenti lapidum nimbo sepelire nefando
Crimine damnatos, queis formidanda scelestas
Membratim laceris merito tormenta deceret
Extorquere animas. Agite acceptissima divis
Pectora, quos summo omnipotens spectator Olympo
Vindicibus flammis accendit, numinis ultor
Per vos ipse sui; majestatisque supremae
Ambitiosum, humilis spernentem vitrea terrae
Imperia, aërei regali in vertice montis
Exceptum solio, ingratae subducite terrae,
Ut digno redeat sublatus ad astra triumpho.
Quod quia, Romuleo non conspirante tyranno,
Isacidis complere nefas, properate, suisque
Ausonia implicitum trahite ad praetoria vinclis.

Dicenti applaudunt proceres, temploque sacrisque
Posthabitis, Latios ardent corrumpere fasces.

Talia inhumano accelerat dum percitus oestro
Sanguinis invisi Caiphas, devotus Averno
Proditor, ingenti sceleris formidine victus,
Astantumque oculos fugiens seroque pudore
Suffusus, vigilum latitat post terga, columnae
Innitens et se tandem sibi redditus odit.
Illum impacati dux illacrymabilis Orci
Praecipitem Stygiis aeternum immergere flammis
Vix perpetrato scelere exardebat; et omni
Anguigenum e turma selectum (dira minatus,
Ni merito implicitum laqueo devolvat in ima
Tartara) subdiderat lateri. Mandata tyranni
Laetus obit, sequiturque virum, noctemque per omnem
Irrequietum animum stimulis furialibus urget.
Nunc misero eximium Domini importunus amorem
Suggerit atque ingens nec jam revocabile honoris
Munus Apostolici; sceleris tum deinde nefandi
Effigiem attonito horribilem causamque, modumque
Omnia jam manifesta novisque coloribus aucta
Objicit. Inde gravem patrisque et judicis urnam
Sedulus invito obtrudit meritisque minora

Omnia flammivomi inculcat tormenta profundi.
Parte alia flecti facilis ne nota magistri
Spe veniae affusa pietas tot fluctibus actam
Componat mentem fraudesque eludere certet,
Heu nimium memori diras et verba minantis
Atque intentati repetit praesagia lethi.
Quod si victa gravi reclinet membra sopore,
Improbus horrificis sopitum territat umbris.
Et desperantem mactato fratre Cainem
Infidumque Gilonitem in sua fata vocantem
Objicit et torto stringentem guttura nodo.
Tum vero infelix pesti devotus Judas
Turbata ratione furit, scelerisque suique
Impatiens merito quaerit se extinguere letho.
Praecipue quando Caiphae ventura minatur
Fata Deus, scelerumque vices aliudque tribunal,
Conscius haec in se vibrari fulmina credit,
Et dira mentem pressus formidine, vultum
Dejicit, ac sceleris fatali horrore rigescens,
Quis finis fandi, procerum quo caeca feratur
Invidia, insontem quaenam fortuna sequatur,
Anxius expectat. Damnatum ut denique Christum
Aspicit et duris religatum brachia vinclis
Judicis Ausonii saeva ad praetoria duci,
Nec sese ut quondam, manibus jam velle tenentum
Eripere aut immaturae subducere morti:
Aestuat infelix et tanti funditus omnem
Desperat sceleris veniam. Nam quae mihi tandem
Spes misero superest? si tam festina cruoris
Intacti proceres rapiat sitis ullane justas
Criminis infandi tardet clementia poenas?
Hei mihi! damnato lux haec suprema magistro est,
Et sperem superesse? quid impendentia vecors
Fulmina et ultricem cunctando demoror urnam?
Reddite crudeles, emptum mihi reddite Christum.
En numos scelerique meo data praemia reddo.
O utinam infandi pretio quocunque daretur
Horrorem sceleris, quocunque evadere fato!
Vana queror: rapiunt avidi vota irrita venti.

O utinam abreptum cum votis me quoque iidem
Extorrem, profugum, vasti trans ultima mundi
Aequora, inaccessos homini solique recessus
Praecipitent venti! sceleris quo nulla sequatur
Conscia fama mei. Sera heu, sera ista cupido
Infelix! tunc haec animo versare decebat,
Cum mentem lucri sitis expugnabat avaram,
Cum me divina prostratum voce magister
Sub facinus, mira in melius pietate trahebat.
Haec animo volvens, stimulis his percitus, alta
Voce recedentes Caiphae de limine scribas
Insequitur damnatque nefas pulsoque pudore:

Quo trahitis justum crudeles? heu quibus ille
Damnatus furiis! quo crimine proditus! illis
Me potius me (nam merui) religate catenis.
O proceres! quamvis subitos stupuere loquentis
Ad gemitus patres, et jam scelus omne pateret,
Non tamen infandis quisquam desistere coeptis,
Sed torvo miserum vultu absterrere, gementem
Irridere, metum mordacibus addere dictis.

Quid tua, quid nobis insane piacula prodis?
Si male vendideris, sceleris te digna sequatur
Per nos poena licet; neque enim nos sanguinis empti
Conscia mens agitat, pietas quem suasit emendum.

Sic fati, Ausonii pars recta judicis aulam,
Pars (invita tamen) festo cogente, cruore
Lanigerum pacem divum magnique parentis
Scilicet emeritura animis, jam sanguine nati
Pollutis, festam properat Salomonis ad aedem.
Hos miser insequitur, gradibus surgentia scandit
Limina vestibuli in medium memorabile jactat
Infausti sceleris pretium. Projecta sacerdos,
Nescio quis populo mirante, numismata laetus
Corripit; et proceres, stulta pietate cruoris
Mercedem veriti, sacrae committere gazae
Continuo expensis, o puros criminis! agrum

A figulo coëmunt, peregrina in funera, numis.
Ferale a pretio cognomen Haceldama traxit
Emptus ager; genioque soli mirabilis, atro
Impositum tumulo sole exoriente cadaver,
Occiduis prius emergat quam Phoebus ab undis
Devorat, absumpta spolians ossa arida carne.
Et super haec magna indigenum vi corpora ab imo
Excutiens fundo, peregrina cadavera solvit,
Legitimi doctus distinguere funeris artus.

At non sperata procerum perculsus Judas
Duritia, primum hinc diris conatibus omen
Arripit et mentem lymphatus, moenia, lucem,
Omnia seque fugit. Caelo descendere fulmen
Tartareumque solo putat absiliente barathrum
In se recludi, atque omnem consurgere rerum
Naturam, nox, proditio, numi, oscula, in ipsis
Omnia sunt oculis; et conscia viscera flagris
Assiduis pulsant curisque insomnibus urgent
In furias celerique jubent occumbere fato.

Nam quid agam? primi gemitus sprevere nocentis,
Quos propter domini vitam, meque ipse scelestus
Perdidi, ab infenso quid demum judice sperem,
Si sceleris socium Caiphas projecit Judam?
Tandemne infelix quae castra reliqueris; ad quos
Transieris, cernis? quid enim tibi triste sub illo
Accidit? ah! nunquam tali, vel crimine in ipso,
Me Caiphas, quali pius hac in nocte magister
Infandum facinus peragentem accepit amore.
Ille reum dulci complexu, dulcibus ambit
Alloquiis; duri vix acto crimine patres
Indigno serum risu sprevere dolorem.
Hunc tamen, hunc Stygiis dignus me judice flammis
Leviadum potui furiis mortique cruentae
Objicere? heu quid adhuc coelum terramque gementem
Proditor incestas? gemitus quid perdis inanes?
Ignoscetne tibi nato moriente coactis
Evictus lacrymis genitor? calidoque cruore

CHRISTI exspirantis justos acuente furores,
Ad gemitus insane tuos ultricia ponet
Tela? quod in lacero livescent corpore plagae,
Quot clavi in teneros artus pendentis adacti,
Quot rosei guttae erumpentes sanguinis ostro
Virgineo terram pingent, quot flumina matris
Ex oculis current, irritamenta tot irae
Vindicis accendent flammas; totidem ora sonabunt
In poenas foecunda tuas; tot fulmina coelo,
Et terrae damnatum Erebo inferiore retrudent.

O ubi vindictae timor ille, ingrate! trahebat
Cum lucri te caecus amor? tunc fulmina et altos
Tempus erat trepidare soli cedentis hiatus.
Crudelis! quem non bene-fida silentia CHRISTI,
Non certae flexere minae, non oscula in ipso
Flagitii articulo blandaeque potentia vocis.
Scilicet hic sero sapimus Phryges! atque ubi pulsat
Ambitio argentive fames, aut si qua voluptas
Foedior his, falsaque animos dulcedine tentat;
Blandimur nobis stulti caecumque Tonantem
Fingimus et surdae Nemesi vestigia clauda
Aptamus celeresque humeris avellimus alas,
At scelere exacto, quos culpae insana libido
Abstulerat, vindicta oculos objecta recludit.
Tum nimium tremimus miseri scelerisque severum
Ultorem, poenarum avidum, lacrimisque negantem
Inflecti querimur: graviusque doloris acerbi
Et veniam desperantis sub mole gementes
Opprimimur. Veluti Siculo jactata profundo
Puppis, dum Scyllae furias et saxa latrantis
Caecaque praecipiti vitat discrimina cursu,
Faucibus oppositae demergitur hausta Charybdis.

Talibus urgentis stimulis agitatus Averni,
Ingratum vitae quamprimum abrumpere filum,
Quaerit inops animi et duros finire labores.
Quo magis incoeptum peragat, dum moenibus urbis
Subjecto temere incedens spatiatur in agro,

Ecce tibi (incautum genius Phlegethontis agebat
Affixus lateri et praedae jam certior) illam
Incidit in ficum, quae densis florida ramis,
Et nitidis Phoebi radiis impervia, quondam
Civibus acceptam fessisque agrestibus umbram
Praebuit: at nuper CHRISTO execrante superbum
Expansis truncum foliis et frugis inanem,
Umbrosis viduata comis, ceu fulmine tacta,
Aruit, ingratae praesignans funera gentis,
Quae proavum meritis et majestate sacrorum
Luxurians, operum tamen infoecunda, superni
Agricolae egregio non respondebat amori.
Ut primum hanc oculis hausit, me, me ista morantem
Increpat arbor (ait) tot frondibus orba sitique
Aeternum damnata, nec unquam habitura virorem:
Quid sperem, quid agam, quae me vindicta merentem
Oppressura, docet. Quae te, miserabilis arbor,
Perculit insontem non evitabilis ira,
Haec eadem me promeritis justissima diris
Devovet. Heu ego te meque uno crimine demens
Extinxi! laeta frondebas nobilis umbra,
Spondebas dulces maturo tempore fructus;
Foecunda radice virens validoque juventae
Robore vel seris factura nepotibus umbram.
At postquam furiis actus perfusaque nardo
Tempora vescentis domini indignatus, in urbem
Impatiens damni redii et tristissimus hospes
Insidias et saeva tuo sub tegmine struxi
Consilia: ille loci scelerisque haud inscius, una
Praeteriens, te meque, immobilis arbiter urna
Damnavit. Tibi praecipitans vindicta comarum
Abstulit omne decus vitamque a stirpe recidit;
Quid superest, nisi ut irati succisa bipenni
Agricolae, rapidos jam devolvaris in ignes?
O nimium felix! flammae cui nullus edacis
Sensus erit; cui poena brevis, quam torridus ignis
Depastam semel, ad flammas revocare nequibit.
Ast mihi nec duros letho finire dolores
Fas erit; aeternum moriar semperque superstes

Ad poenas repetar, nullum visurus acerbi
Supplicii finem, dum judicis ira manebit,
Aut Acherontaeis durabit flamma caminis.
O! nisi tam vicina viae, tamque obvia turbis
Invisam superis stares adeuntibus urbem;
(Queis facile ingrata pietate occurrere justis
Consiliis) quae jam misero mihi gratior esset,
Unde magis cuperem fatalem nectere nodum.
At quoniam votis fortuna inimica, frequensque
Obstat iter, charoque gulam mihi frangere trunco,
Non licet et meritas a te tibi solvere poenas:
Ibo, ibo et prima, quam sors aut tristis Erynnis
Quaerenti objicient, jam dudum debita solvam
Viscera jejunis suspensus ab arbore corvis.
Haec ubi dicta dedit, nemorum secreta pererrans,
Vestigat fidas studiis feralibus umbras.
Haud procul a muris solis qua fessa cadentis
Lumina, torrentesque lacus vallemque Gionis
Respicit urbs, densis sylvarum inclusa latebris
Ignavae graveolens limo jacet unda paludis.
Cujus in extremo propendet margine nullo
Frondis honore virens sterilique ingloria trunco
Arbor; funereis avibus ululaeque strygique
Hospitium praebens. Nigri quam propter Averni
Horribiles visu formae, defunctaque vita
Corpora sulphureis sub noctem lurida flammis,
Eumenidumque faces atque ora obscoena videri.
Saepe etiam umbrarum gemitus tractaeque catenae
Flagrorumque sonus pulsis ex aethere stellis
In lucem audiri. Ferales aure tumultus
Accipiens fugit infaustis tremefactus ab umbris
Tityrus et diris armenta exterrita monstris.
Huc comes errantem Stygius deduxit Judam.
Protinus Iscarides, nostris haec debita fatis
Arbor ait. Viden, ut cunctantem invitet Juda
Brachiaque expandens similem sibi squalida truncum
Poscat? ab hac pendens caelum terrasque levabo.
Sed quis in his laqueum opportunum commodet umbris
Quo peream? laqueum tanto pro crimine, tantis

Unum pro meritis laqueum numisque receptis
Reddite Pontifices. Tandemne miserrime cernis,
Quo Domini vitam caeli terraeque potentis
Vendideris pretio? o utinam mihi fata vel unum
Funibus ex illis referant, quibus ille revinctus!
Quid precibus surdas heu demens alloquor auras?
Mergendum Juda scelus est ultricibus undis,
Si laqueum fortuna negat. Sic fatus ad oram
Fatalis stagni properat mortisque propinquae
Liventes terrore oculos circum undique spargens,
Aspicit (infandi malesuadus criminis author
Attulerat furtim) extremo sub margine restim
Sentibus implicitam limosave abditam in ulva.
Arripit extemplo sterilisque ad brachia trunci
Alligat intortam, fatali guttura nodo
Impedit et torvo vertens se ad moenia vultu:

Solvimus infami meritas pro crimine poenas,
Solvimus exclamat, sceleri par siqua profano
Solvi poena potest. Ubicunque o Christe furentum
Scribarum te turba premit, verba ultima Judae,
Fors mecum simili jam pendens accipe trunco.
Debueram monitis victus parere minisque.
Debueram furias et detestabile avarae
Consilium mentis, miro devinctus amore,
Excussisse animo; facinus tamen omne peregi
Et plus quam volui, feci miser; accipe poenas,
Accipe; jam saltem justae parebimus irae.
En miser! en quo te lucri malesana cupido
Turbine praecipitem involvit? sublatus in altum
Quo ruis? astriferi supremo e vertice Olympi
Lucifer insana Solii ambitione supremi
Corruit in Stygii praeceps stagna ima profundi.
Ast ego avaritiae impellente cupidine raptus
Praecipitor. Sese ille Deo superumque superbus
Praetulit artifici; ast ego vilis apostata, caelum
O pudor! o facinus! dominumque nitentis Olympi
Paucis posthabui numis. Tune ille beati
In numerum ascriptus majestatemque senatus?

Tune ille assessor supremi judicis? eheu
Ille ego sum, qui tanti amens fastigia honoris
Contempsi; caelum, famam vitamque fidemque
Vendidi: et (o dignum damno graviore!) recepi
Foenoris in partem laqueum hunc. Hic, hic tibi Juda
Quod superest, solvet meritosque evolvet in ignes!
O utinam gravida cum me mea fingeret alvo
Mater in infaustae crudelia munera lucis,
Quocunque exanimis fato, quocunque perempta
Funere (nam meruit monstrum hoc paritura) perisset
Ante execrandi tristissima tempora partus.
Vos quoque, vos radiis stellae fatalibus ortum,
Ingeniumque meum scelerum in praerupta trahentes,
Aeternus tenebrarum horror caligine foeda
Obruat, et nulli nox expugnabilis astro.
Nunc o nunc tenebris sol interceptus opacis
Luciferos retrahat currus! nunc omnia vasti
Fundamenta soli trepident secretaque terrae
Viscera rumpantur! nunc montes montibus icti
Dissiliant lacerentque orbem, naturaque rerum
Interitu confufa uno, natalia Judae,
Productosque luat monstri intestabilis annos.

Dixit: et haerentem trunco, ne longior atrum
Consilium mora discuteret, crudelis Averni
Proturbat genius, proturbatumque superstans
Carnificum de more, vetat prensa arbore plantas
Nectere. Mox varios funem contorquet in orbes
Improbus astrictoque elidit guttura nodo.

I patriae terraeque pudor, coelique solique,
Immortale odium, barathri dignissima praeda,
Omnes sulphurei poenas luiture profundi!
Thessalus immitem cedat tibi perfidus orbem,
Aeolides saxum revolubile, Tantalus undas
Fallaces rabidamque famem irritantia poma.
In tua caeruleos certatim vulnera crines
Eumenides lacerent; saevi monstra omnia Ditis,
Umbrae omnes, odiis unum, praeque omnibus unum

Perpetuis agitent. Majus si morte perenni
Exitium, saevo inferni si carcere carcer
Saevior audiret; tu carcere dignior illo,
Dignior exitio. Diri tristissima Ditis
Antra subi; quaecunque nigri gravioribus ardent
Cocyti flammis ergastula, mergere in illis.
Interea invisum coelo terraeque cadaver
Impastae fugient volucres, effusaque corvi
Viscera et incauto si quando accedere gressu
Harpyaeve, strigesve ausint, fatalibus auris
Afflatae moriantur. Averni hic fabula vivet,
Cecropidum pestis, Sodomaei ignavia campi,
Causa necis lethique modus morituraque nunquam
Detestati ibit, crescetque infamia facti
Saecla per et gentes, quas sol per utrumque recurrens
Oceanum, fugiensque rotis despectat; eritque
Non hominis nomen, sed proditionis Judas.

Haec inter magna populi stipante caterva,
Intortis CHRISTUS religatus brachia vinclis
Et versas in terga manus, celeberrima vastae
Compita per vicosque urbis pervenit in aulam
Praesidis. Ausonium cunctantem ad limina primi
Leviadum expectant; ut venit, multa faceti
Excusant, quod Paschalis solennia festi
Introgredi Latiis penetralia sacra vetarent
Numinibus. Moris non inscius ille, benignus
Accedit votis ipsisque a postibus aulae:
Quae vos mane novo et festa sub luce revinctum
Objicere hunc juvenem Romanis fascibus urget
Causa patres? proceres certatim uno ore frementes:
Ergone nos superum regi sacrisque dicatos
Insontem vinclis arctatum, aequissime judex,
Funere damnandum immerito ad praetoria credis
Ducere? non ea vis odii, nec tanta cruoris
Spargendi sitis Amramidum praecordia torquet.
Ollis sedato respondit pectore judex:
Vos penes arbitrium vitae mortisque potestas,
In desertores legis manet ampla paternae.

Si reus est, merito sontem demittite letho.
Hic Annas fandique potens, generoque secundus
Consiliis, miscens veris mendacia fatur:

Pontifices, sanctosque Patres, clarissime praeses,
Et leges superum, et veterum consulta parentum
Funesta prohibent urna damnare nocentes,
Dum magno grati Paschalia sacra paramus
Caelicolum regi, et meritos renovamus honores.
Quis tamen Ausonio inconsulto judice quemquam
(Sit scelere ante alios quamvis immanior omnes)
Supplicio (fac posse) supremo extinguere tentet?
Ergo age, captivi mores et crimina disce.
Hic ille est superum contemptor, patriae Erynnis,
Quam miris turbat (Barathri auxiliantibus umbris)
Prodigiis; magicique infanda carminis arte.
Ignarum vulgus patriis abducere sacris
Solicitans animos, certat; quo regia tandem
Sceptra sibi, proavo tumidus Davide, capescat.
Haec meditans stupidam secreta in devia plebem
Allicit et dapibus pascit versatque suisque
Incautam studiis fingit, tum deinde tributa
Caesaribus solvenda negans, se subdolus offert
In regem saturis atque aurea saecula spondet.
Dixerat: uno eadem socii sermone fremebant.

Ut majestatis delatum accepit JESUM,
Caetera dissimulans, redit in praetoria judex,
Infixoque reum perlustrans lumine, clarum
Egregii vultus tacitus miratur honorem.
Tum sic alloquitur: tune ambitiosus avitis
Isacidum sceptris inhias? subjecit JESUS:
Haec ultro tibi verba volant, an prodiga falsi
Fama dedit? cui Romulides: hoc criminis ipsi
Primores magno intentant clamore tuumque
Omnis in exitium votis communibus ordo
Conspirat. Tu certa odii mihi semina pande.
Talibus instanti Jessides talia reddit:

Nil breve terrarum imperium fascesque superbos,
Judeae nil sceptra moror. Peritura caduci
Regna petant; orbis Caesar moderetur habenas.
Majus opus moveo; melioraque regna, fugacis
Fortunae arbitrio duraeque impervia morti,
Affecto. Proavum dextra si sceptra tenerem,
Non ego tam infidos proceres et frigida bello
Pectora et ignavas legerem sub signa cohortes,
Ut foedis domini religari colla catenis
Regiaque indignis paterentur brachia vinclis.

Magnanimam vocem et generosi pectoris ingens
Obstupuit specimen judex, mentemque loquentis,
Caecaque perpendens verborum aenigmata, nescit
Arcanum penetrare; scelus tamen omne refelli
Cernit et obscuris aliquam sermonibus addi
Exposcens lucem, subridens talibus infit:

Ergo tibi (linguae nisi me fallentis inani
Deludis strepitu) jus inviolabile regni est?

Vera refers, subicit CHRISTUS; me regius ornat
Nec periturus honos. Fas est mihi vera fateri;
Namque ideo aethereas veni mortalis in auras,
Ut blanda captas falsi dulcedine mentes
Eruerem. Veri quicunque incensus amore est,
Dicenti pronas aperit mihi credulus aures
Agnoscitque suum purgato pectore Regem.

Talia dicenti: quid, ait, sub nomine veri
Occultas? quaenam haec caeco lux abdita mundo
Et servis manifesta tuis? sic deinde locutus,
Non expectato tectis se protinus effert
Responso insontemque palam testatur. At hostes
Insano fremitu, fanda atque infanda furentes
Exclamant Judaeam omnem Solymamque venenis,
Quae patriis sparsit Galilaeae egressus ab oris,
Dulcibus afflatam studia in contraria scindi.
Oblatam arripiens judex laetissimus ansam

Importuno humeros qua jam subducere fasci
Posset et infensi justum lenire tyranni,
Quem Galilaeorum irritarat caede, furorem:
Ite, ait, et Regi vestros exponite questus,
Cui vincti causam Galilaei cedere fas est.

Haec fatus, se surripuit proceresque reliquit
Suspensos animi dedignantesque, tot artes
Unius in poenas non suffecisse nocentis,
Scilicet! at quid agant? Praeses, ceu lubricus anguis,
Elapsus manibus fugit, via nulla tenendi.
Spe tamen hac animos pascunt, vel crimine falso
Regni affectati perculsi pectora Regis
Votis accessura; leves qua nulla tyrannos
Aut gravior vexat formido aut saevior urget
Pestis in insanas nullo discrimine caedes.

At summis coeli residens in nubibus, inter
Sidereas divum turmas Sapientia, vincti
Numinis indignos oculo miserante labores
Atque suum spectabat opus. Namque ipsa cruenti
Ingenium lethi totamque ab origine scenam
Ante laborati cunabula struxerat orbis.
Ergo ubi Pilati dimissum praesidis aula
Aspicit et duris arctatum brachia nodis,
Indignata nefas, divarum e classe sororum
Evocat ipsa Fidem roseoque haec edocet ore:

En ut ad incesti protruditur atria regis
Caelituum dominus, gemini spes unica mundi!
Quantus adhuc fesso superat labor! arcta catenis
Membra gemunt et sanguineo sudore fatiscunt.
Crudelis furias noctis velataque mitto
Lumina et ingratae facinus lacrymabile dextrae.
In tenebris haec acta; palam graviora videbis
Virgo mala et superis lacrymas motura beatis.
Tu memori, tu conde animo certamina durae
Mortis et ingenuis meditanda nepotibus, omni
Sparge Fides aevo. Credetne, o virgo, futura

Posteritas, liquisse sui fastigia coeli
Aeterni Patris sobolem, de lumine lumen
Ingenito genitum; ut stulti intoleranda tyranni
Ludibria et tumidae convitia perferat aulae?
Haeccine posteritas credet? vix ipsa sorori
Credis et ambiguo dicentem lumine lustras.
Ne dubita, nam certa loquor, teque ista docentem
Felices capient animae, cupientque supernis
Accensae flammis eadem tolerare vicemque
Reddere et in tanti partem succedere amoris.
I, cumula sceleri scelus extinctoque Johanne
Parcentem contemne deum; quid verba reposcis
Impie et insano reticentem despicis ausu?
Redde Deo Vocem, reddet tibi verba! Quid haeres?
Quid spretum te stulte fremis, quod inanibus aures
Occludat votis? quid scommata foeda rependis?
Sed scelerum stant poenae, et inexorabilis instat
A tergo Nemesis; sceptris damnatus et exul
Cum Junone tua, Lugduni ad moenia vitam
Infaustam abrumpes, post natae fata procacis,
Cui vindex scelerum glacies cervice recisum
Auferet ante caput. Barathro plaudente, per undas
Ultrices cervix aget intercisa choreas.
Par tumidum Caipham socerumque ducemque scelestum
Ausonidum vindicta petet. Dilata merentes
Saevior ira premet tristique immerget Averno.
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione tyranni
Sacrilegi eludas iram commentaque patrum,
Expediam paucis. Cassum cecidisse laborem
Cum primum aspiciet, tacitam coquet improbus iram
Et majestatem contemptam ulturus, amari
In risus vertet Rex argumenta profanus
Prodigiosa affectati mendacia sceptri
Et sibi constantis generosa silentia CHRISTI
Tanquam turbati deliramenta cerebri.
Regali insultans humeros inducet amictu,
Cui jam longa dies depascentesque colorem
Abstulerint tineae. Stat scenam vertere, et alba
Veste animi ingentem nive candidioris honorem

Designare. Levi in terram delabere penna,
Et coelo invisam scelerati principis aulam
Ingrediens, veterum qua jam neglecta suppellex
Aggeritur regum, tunicam e penetralibus illam
Selige, qua quondam regum sanctissimus altos
Jessides humeros ornaverat, ante cupitos
Bethsabees thalamos, et raptum fraude maritum
Integer et nullo temeratus crimine mentem.
Hanc ego per Solymae casus eversaque regna
Chaldaeas inter flammas Grajosque furores,
Hac aptum tenus hos servavi munus in usus.
Amissam tunicae lucem lapsumque colorem
Redde Fides clarumque tua de luce decorem,
Ut, cum Romuleam CHRISTUS retrahetur in aulam,
Praesidis arcanas vestis nitidissima fibras
Tangat et intactae candorem mentis adumbrans,
Dulce per augurium Pilati pectora ducat.

Paruit alma Fides celerique per aëra penna
Carpit iter. Frons laeta Deae, sed lumina velo
Circumfusa latent; pulchrae discrimina formae
Nulla tamen patitur, sed enim formosior umbris
Ipsa suis nitet et sacra caligine lustrans
Inspectantum animos, divinis pectora flammis
Incendit. Laeva flagrantem lampada, dextra
Insignem pateram, gemmis auroque micantem,
Gestat et in patera divinae mystica mensae
Symbola. Crinali jam tum radiabat in auro
Crux stellis distincta; humeris commissa fluebat
Palla, laborato verrens vestigia limbo.
Neverat hanc Fidei vestem Sapientia, rerum
Praescia, divinaque intextum fecerat arte
Terribilem CHRISTI reditum; quando orbe sepulto
Versicolore sedens metuendus in Iride, vitas
Exquiret judex et factis praemia ponet.
Quattuor in medio stridentes aëre cogunt
Terribili clangore tubae prodire sepultos.
Festinant patulis rediviva erumpere claustris
Corpora, submersos maria admirata refundunt.

(Audivisse putes sonitum) formidine pressi
Hi tumulos frustra repetunt; hos evocat urnis
Spes secura; bonos stellantis regia coeli
Accipit; ingratos graveolenti terra dehiscens
Involvit gremio flammisque perennibus abdit.
Ut primum invisae fastigia contigit aulae,
Compressit radios et flammas lampadis atris
Inclusit nebulis; et inobservata repertam
Exposuit tunicam purasque recessit in auras.

In coelum variis Solyme pulcherrima surgit
Montibus, et tumidis impostae collibus arces
Aëriis omnem distinguunt turribus urbem.
Tres reliquis famam eripiunt et vertice celso
Et laterum immani tractu regumque superbis
Molibus; insanis vastos qui cingere gaudent
Parietibus montes et claudere in aedibus urbes.
Hic exporrecto vicinum culmine coelum
Aemulus irritat magnoque palatia jactat
Jessidae constructa Sion; illustrior illic
Moria inaequali sensim petit aethera dorso,
Et Salomonei ostentat decora inclyta Templi.
Parte alia egregiis subjectam turribus urbem
Regius illustrat collis, clarique decorem
Eximium templi splendore opibusque lacessit.
Praecipue qua se Mariamnes regia in auras
Exerit aethereas; neque enim hic uxorius ullis
Sumptibus Herodes, quo testaretur amoris
Insani flammas, desideriumque superbae
Conjugis, et veterum celebrata palatia regum
Vinceret admirando operis splendore, pepercit.
Excurrunt secto fabricatae marmore turres,
Queis Parii invideant montes; sic saxa cohaerent
Saxis, ut secto constructas marmore turres
Esse neges vivasque putes excurrere rupes.
Quid loquar, ut brevibus formosae incluserit aedis
Finibus, ingeniis ars et natura coactis,
Quicquid diversis sparsum regionibus orbi
Dividit, ipsa suo terrà ingeniosa decori.

Praerupti hic horrent colles; hic lustra ferarum
Foecunda, et nemora innumeris undantia monstris
Orbe alio advectis; hic nobilis ubere gleba
Campus et aeterno gratissima flore vireta
Educunt hilares foetus; oculosque stupentes
Luxuriae varia florentis imagine fallunt.
Perpetuam hortorum faciem dulcesque colorum
Delicias et odorisequae gratissima naris
Gaudia, quis numeris aequet? fontesque lacusque,
Qui tremulos stellarum ignes claraeque micantes
Dictynnae radios, jucundius aethere puro
Attonitis reddunt oculis? circumque supraque
Assuetae ripis intonsa cacumina sylvae
Inclinant, avidae vitreis colludere lymphis.
Daedalii medio se ostentat in aequore montis
Aula, vel invidia major vel laude; capacis
Sive operis molem pretiosaque marmora spectes,
Seu majestatem trabium, quas carior auro
Sylva dedit, seu divitias formaeque stupendas
Egregiae dotes (qua nulla illustrior artem
Extulit) et variis spirantia signa metallis,
Viventes ceras, animata coloribus ora,
Sive excellentem solii regalis honorem.
Barbarico hoc auro radians sectoque elephantum
Dente nitens, gradibus suspensum surgit eburnis,
Quos gemini ex auro claudunt hinc inde leones.
Majestatem operi ingentem regique superbo,
Bissenus fulva rutilans cervice satelles,
Terroremque reis oculis flammantibus auget.

Has celebraturus Paschalis gaudia festi
Conducto Herodes vallatus milite in aedes
Venerat, et claris, quae constans fama serebat,
Prodigiis Christi factisque incensus, avebat
Compellare virum atque aliquem spectare recenti
E tumulo reducem aut morbo vexante levatum.
Ergo ubi Romulea demissum accepit ab aula
Adventare, insperati dulcedine honoris
Perfusus, pandi portarum ingentia claustra

Imperat, et solio residens sublimis avito,
Egregium vincti vultum perlustrat, inanes
Contemnens patrum motus objectaque ridens
Crimina, captivi sortem miseratur acerbam.
Nec non et vario tempus sermone trahebat,
Multa super caecis, queis rapti luminis usum,
Multa super functis, queis vitae munus ademptum
Reddiderat, rogitans; votisque hoc omnibus urget,
Ut gratum regi facilis det munus amico,
Et rubrum e vitreis vinum producere lymphis
Optatamve aegro coram donare salutem
Annuat, aut ruptis virtutem ostendere vinclis.
Verum ubi nec precibus videt indulgere, nec ullo
Responso aut patrum furias aut regia vota
Dignari, at tacitum vanas eludere curas:
Contemptum sese ipse fremens, votique negati
Impatiens, inopem mentis proclamat; et albam
Imperat afferri tunicam stultumque tyrannum
Hac humeros veste ornari; ornatumque profanus
In solium invitat sceptrumque capessere suadet.
Applaudunt proceres, animisque volentibus omnes
Supplicii ingenium laudant; hilarique furore
Illudunt tacito, et scelerata quicquid ab aula
Impuris hausere animis, risusque salisque
In Christum exonerant certatim. Hic poplite flexo
Regi instaurato gratatur Nestoris annos,
Auriculas cerebrumque Mydae vovet; alter opimum
Pinguis agri fundum meritorum in praemia poscit;
Laetitiae in cumulum et tunicae regalis honorem
Flagitat hic fasces, hic clausos carcere solvi.

Talibus insultant, donec rex impius ultum
Se satis esse ratus; vinctum irrisumque reduci
Praesidis ad sedes jubet, et placatus amico
Officio, pacem renovato foedere firmat.
Interea miles circum regalia sparsus
Atria, ut injecti causas accepit amictus;
Sub signis coit et risum moturus, ad aulae
Limina productum ingenti clamore salutans

Arma quatit, pugnaeque ciens simulacra sub armis
Invadit; donativum pars maxima poscit,
Debita pars solvi tandem stipendia, vitem
Hic petit, hic equitum turmas, hic pocula Bacchi,
Mille exhausturus regi regnoque salutes,
Flagitat. Immoto regum Rex omnia vultu
Excipit et placida tolerat convitia mente.

Heu quibus hanc oculis scenam spectastis ab alto
Aethere coelicolae! quas exarsistis in iras,
Infandum regis facinus procerumque tuentes!
Quis stupor invasit, cum summi aeterna propago
Numinis et magni patris Sapientia CHRISTUS
Irrisus, spretus, naso suspensus adunco,
Ludibriumque aulae factus; ceu morio, amictu
Ridiculo indutus, Pilati ad tecta rediret,
Ut scopus insanae plebi praefixus, amaris
Quem populi faex, cerdones puerique procaces,
Projectaeque pudicitiae frontisque puellae
Scommatibus, sannis ac putrescentibus ovis
Et cassis peterent nucibus; quem spargere lymphis
In caput effusis, tectorum e culmine viles
Auderent famulae; quem caeca ciconia euntem
Pinseret a tergo, aut asini cunctantis acutas
Auriculas plebs producens, linguamque caninam
Exertans, ludos faceret, tremulisque cachinnis
Exciperet, nares torquens. O quisquis honoris
Et plausus avidus, gaudes popularibus auris,
Huc oculos, huc flecte tuos, hoc consule vulgi
Fallacis speculum, varium et mutabile semper
Ingenium populi est, malefida pace profundi,
Et verni levibus Zephyri inconstantior alis
Plebis amor. Nondum proles Latonia amoenum
Proh pudor! Eois bis ter caput extulit undis,
Ex quo textilibus redimiti tempora sertis,
Pallentisque oleae ramos palmasque ferentes,
Illum ipsum ingenti per prata virentia plausu
Atque triumphali Solymaea in maenia pompa
Deduxere, sacro procerum frendente senatu:

Quem modo ludibriis onerant mediámque per urbem
Indigna irrisum tunica, vinctumque profana
Improbitate petunt linguisque procacibus urunt.

LIBER OCTAVUS.

Pontius ut fama CHRISTUM praeeunte reduci
Audiit, atque omnem in ventos abiisse laborem,
Non expectato raptam discrimine mentem
Dividit huc illuc. Immunem criminis hosti
Objiciam et durae pollutus sanguine gentis
Hanc quoque contemptis superis tot caedibus addam?
Qua tamen impulsam tot fluctibus arte carinam
Subducam scopulis? plebs intractabilis illinc,
Pontifices illinc, votis communibus ingens
Extorquere nefas avidi conantur. An illis
Obvius ire parem? quid ni? vota omnia gentis
Invisae vel justa moror? saevisque timebo
Verporum obniti meque unum opponere linguis?
Expertus toties tumidae corda aspera plebis
Non timeam? nunc praecipue, cum sparsa per omne
Caesaris imperium Solymae confluxit in urbem,
Non tam Paschalis rediviva ad gaudia festi
Quam conjuratis me discerptura catervis,
Ni procerum invidiae accedam Caiphaeque furori.
Immeritum prodam? divum in me tela lacesso.
Absolvam? timeo fatalem Caesaris iram.
Unius ob vitam gentem irritasse rebellem
Arguar et magni manifestum Caesaris hostem
Eripuisse neci. Superi hinc, hinc Caesar, utrinque
Ingens causa metus; inter duo fulmina pendens,

Quod potius fugiam? sonitu graviore feruntur
Tela deum; at domini praesentior ira Tiberii est.
Caelicolis etiam, si quod regnare putemus
In caelo numen, cui rerum cura salusque
Imperii cordi est; quis gratius abnuat, unum
Objicere insontem letho, quam sospite CHRISTO
In caedes et in arma paratam accendere gentem?
Sin nullus regat astra DEUS fatoque ferantur,
Aut temere et caeco decurrant omnia casu:
Quid trepidem? aut quae me scelerum vindicta sequatur?
Ipsi Pontifices, ipsi, quos fascinat orbi
Detestata superstitio, sic sanguinis oestro
Innocui furerent, templo sacrisque relictis,
Si Nemesin scelerum vibrare ultricia tela,
Aut aliquod caelo numen regnare putarent?

Haec inter, populi fremitu celerique sonantum
Quadrupedum cursu excitus prospexit in urbem
E speculis, cubito innitens, omnemque pererrans
Luminibus tacitis procerum vulgique sequentis
Barbariem. Arctatum nodis, niveaque micantem
Veste, inter stolidae irrisus et sibila plebis,
Imperturbato CHRISTUM procedere vultu
Aspicit. Arcano caelestum lumine tactus,
Candorem impositae vestis miratur et omen.
Atque omnem superum manifesto numine credens
Rem peragi, nec opus caelo absolvente morari,
Ante fores primoque aulae sub limine saevos
Excipit his dictis proceres: frustra omnia, frustra
Leviadae tentatis; inanes perditis iras.
Insontem hunc Judex testor. Pateretur inultum
Majestatis abire reum, si vera referri
Crederet Herodes? rabido clamore loquentis
Verba intercipiunt; perfricta fronte querelas
Jam toties tritas regerunt: templique profanum
Eversorem, hostem superum patriaeque frementes
Ingeminant. Laxis currunt mendacia habenis.
Virginis interea natus, quantum acribus illi
Exuperant odiis, tanto constantior omnes

Sustinet, et magno tacitus miseratur amore.
Increpat Ausonius damnosa silentia judex
Hortaturque loqui confictaque crimina et omnem
Invidiae molem opportunis frangere verbis.
At certae potius morti se opponere CHRISTUS,
Aurea quam casso conatu perdere verba
Eligit, accensumque patrum inflammare furorem.

Ecce autem infaustae diversis partibus urbis
Excitae glomerantur in orbem millia plebis
Et circum latii praetoria judicis, uno
Agmine, densum humeris vulgus clamoribus auras
Incendit, fremituque insano praesidis aures
Obtundens, veteri gentis de more reorum
E numero, scelerum vindex quibus imminet urna,
Unum aliquem letho, vinclis et carcere solvi
Flagitat. Ausonides falsa spe captus (avaro
Ut solet oceano fluitans, quae prima natanti
Auxilia aut aestus aut sors advexerit, ultro
Naufragus arripere et fractis se credere remis):
Isacide, votis faciles accedimus, inquit,
Ecce in conspectu vultuque animoque verendus
Stat reus, insignis meritis, sparsaque per omnem
Judaeam fama illustris, quem crimine falso
Insontem invidae labes, comes addita gestis
Heroum eximiis (ceu verno nubila soli,
Montibus umbrae, igni fumus) complexa cruento
Dente petit duroque cupit demittere letho.
Parte alia obscuro Barrabas carcere clausus
Civibus infestus, pollutus sanguine, latro
Infamis, patriae et pacis communis Erynnis,
Expectat meritas ferali a stipite poenas.
Vos ergo, quos Paschalis reverentia sacri,
Niliacique ducis, caelo pugnante, tyrannis,
(Ut memorant) excussa patrum cervicibus, urget
Eximium divum munus renovare soluto
Haec sub festa reo, per me licet, auspice caelo,
Dicite, quem superi et superis gratissima solvi
E geminis optet pietas, quem funere mergi

Num placet infando vitam donare latroni?
Non equidem invideo votis felicibus. Ite,
Solvite Barrabam; neque enim sanctissima credo
Pectora Leviadum divum famulantia templo,
Queis meritos damnare nefas, queis jura sacrorum
Funeris aspectum prohibent, tam dira libido
Sanguinis intacti rapit, ut latrone soluto
Annua damnato foedent solemnia CHRISTO.

Non tamen evicit; namque omnis turba cruentis
Primorum stimulis dudum irritata, latronem
Absolvi, fixum ferali stipite CHRISTUM
Extingui poscit. Judex infanda petentis
Vocibus attonitus populi, procerumque tumultu,
Irritaque aspiciens ex omni parte perire
Consilia, ancipiti mentem discrimine raptus
Fluctuat. Haec potior tandem sententia sedit,
Solvere Barrabbam, rigidis lacerare flagellis
Indomito invisum populo. Haec via sola timenti
Tuta videbatur, domini qua Caesaris iram
Posset et urgentem affectati eludere sceptri
Invidiam et vulgi duras inflectere mentes.

Postquam caedendi data copia, quattuor omni
Carnificum e turba triste ac ignobile munus
Invasere ultro. Non illos regius oris
Egregii decor aut clarae reverentia famae,
Hac saltem tenus in speciem mitescere suasit,
Ut non injussi feralis flebile scenae
Officium arriperent, poenae, suspiria, planctus
Pascebant viles animos, queis una voluptas,
Cogere lamenta et gemitum extorquere novasque
Tormentorum artes atque instrumenta parare.
Hic tumulos violare audax vestesque sepultis
Funereas rapere et sanie stillantia membris
Lintea corruptis, coeli contemptor et Orci,
Detrahere. Ille domus penetralia spargere doctus
Hospitis occisi jugulo verubusque trementem
Figere et infandis epulandum apponere mensis

Alter inaccessas nemorum cum patre latebras
Caedibus innumeris, teneris homicida sub annis,
Polluerat, pariterque neci damnatus, ut instans
Supplicium effugeret, longaevi colla parentis
Conditione data laqueo circumdata rupit.
Quartus inhumano fundendi sanguinis oestro
Percitus, ut poenis miserorum pasceret atram
Secura feritate sitim, nomenque decusque
Carnificis pretio, monstrum ferale! redemit.

Talibus heu facinus! tortoribus alma parentis
Aetherei soboles, cui membra tenerrima nullo
Semine foeta parens casta formaverat alvo,
Traditur. Accingunt sceleri se quisque, solutosque
Intentant fasces atque instant verbere torto.
Hic sacras tremulo rapiens de corpore vestes
Virgineos nudat tot spectatoribus artus.
Quo tibi cor fixum ingemuit castissime telo?
Ut roseo frons erubuit perfusa pudore,
Cum tunica avulsa, dulci spoliatus amictu,
Ausoniae probris sannisque procacibus aulae
Expositus stares? ubi nunc ficulnus, Adami
Membra verecundi spatiosis frondibus abdens!
O ubi nunc celsi nubes aurata Taboris
Scilicet, ut ficus maletectum fronde parentem
Justitiae amisso decoret velamine, nudo,
Aethera qui stellis et terram fructibus ornat.
Corpore stat tremulus, spoliataque membra vel ipsis
Vulneribus vivoque tegi desiderat ostro.
Proh pudor! intinctae exudato sanguine vestes
Membraque, purpureo sudore rubentia, duros
Carnificum nequeunt animos mollire. Repertam
Ut ruit in praedam lupus Hircanique leonis
Irritata fames, sic viso sanguine lictor
Acrior invadit vinclisque tenacibus illas
Festinat religare manus, quae brachia pigro
Frigore concretis olim torpentia nervis
Laxavere, Machaonio quae morbida tactu
Non expectata donarunt membra salute

Queis Stygiae pestes, queis imperiosa furentis
Vis mortis praeda toties cessere relicta.

Ausoniae media stabat bipedalis in aula
Caedendis de morte reis aptata columna.
Huic super infixus ferrato circulus orbe
Accipit immissos funes, queis nuda nocentum
Corpora stringuntur tortis damnata flagellis.
Huc patris aeterni sobolem superumque parentem,
Non obluctantem et nodosis brachia strictum,
Funibus impellunt, ferroque intrusa retorquent
Vincula, ut incussis tergum pectusque pateret
Ictibus, eluso ne verbere perderet ullam
Saevitia intacto relegati corpore plagam.
Continuo ossiculis aut talis aspera lora
Carnificum quatiente manu latus omne cruentis
Verberibus scindunt. Humeri pectusque flagellis,
Nec mora nec requies, carnem lacerantibus, instat
Fluminis ingentem divini sanguinis undam
Protrudunt. Pereunt sexcentae in corpore plagae,
Vulnera vulneribus confusa sequentibus, unum
Corpore jam toto vulnus (miserabile dictu)
Continuant; sparso livescunt sanguine saxa.

O hominum divumque pater, justissime rerum
Arbiter! emeritis qui praemia mentibus omni
Virtutum merito cumulas majora, reorum
Crimina parcenti plectis mitissimus ira,
Tu, cum flammivomi residens in culmine montis
Jura dares, factis poenas et praemia ponens,
Damnatis scelerum parcens, numerumque modumque
Plagarum sanxisti; iterumque iterumque monendo,
Poena quater denos ne quando excederet ictus.
Imperiique memor lictor (velut objice torrens
Inclusus) positas metuens transcendere metas,
Sueverat extremam numero decerpere plagam.
O nimium in miseros clemens! o dulcis honoris
Vindex CHRISTE tui, contemtique ultor amoris,
Cum nos ad poenas meritis Astraea flagellis

Dextram armata vocat; sed enim cum crimina pelle
Nostra luenda tua, tunc (si fas dicere) nescit
Ira modum; tua te saevit crudelis in unum
Justitia. Atque ideo teneros lictoribus artus
Objicis Ausoniis, pietas quos nulla coercet,
Queis nulla effrenem lex addita temperat iram.
Heu pietas hominum miserans! heu parca nocentum
Justitia in poenas! qua coeli parte latebas
Ingratas fugiens terras, cum virgine natus
Judicis injusti arbitrio millena subiret
Verbera, et exhaustis uno tot corpore flagris,
Nec procerum immites animi, nec ferrea duri
Carnificis mens suppliciis mitescere posset!
Divisere nefas, alternoque ordine fessis
Caedendo sociis subeunt ad flagra recentes
Inque vicem, quae monstra! animis et viribus aucti
Hi scenam repetunt. Siculis ut saevus in antris
Cum Steropes lassa incudem cervice relinquit,
Exhausto Aeolius fratri succurrere Brontes
Apparat, atque illi nudatus membra Pyracmon
Sudanti succedit ovans, dein agmine facto
Una omnes juncto ferrum producere certant
Conatu: resonat tunsis incudibus antrum.

Deficiunt lassis vires, non deficit ardor,
Nulla licet toto pars corpore vulneris expers,
A summa cervice imae ad vestigia plantae.
Jamque iterum repetant ictus et verbera nudis
Ossibus incutiant animaeque arcana flagellent,
Ni tandem socios lictores increpet unus,
Cui nedum penitus cautes Marpesia fibras
Induerat, strictoque secet retinacula ferro.
Virginis haec inter soboles, licet undique pictum
Purpureo squalere solum jam sanguine cernat,
Et circum sparsis liventia marmora scissi
Corporis exuviis durisque incensa flagellis
Membra impacati stimulos non ferre doloris:
Non tamen in gemitus, non in suspiria vocem
Infringit, diam victrix patientia mentem

Firmat, et invictum mala concoquit omnia pectus.
O animum! o vultum, orbatas qui flectere tigres
Posset et indomitas in mores cogere lynces!
Lyncibus at lictor, foetis et tigribus orbis
Saevior, irrisum CHRISTI virtute silentis
Sese indignari contemtaque flagra dolere.
Atque ideo requiem membris liventibus aegre
Concessere, suas sociis dum quisque recensens
Collaudat plagas viresque et brachia jactat.
Mox iterum insanis alacres se hortatibus urgent
Instaurare scelus (flammas ardentibus addunt
Immistae Barathri pestes) tormentaque diris
Verberibus graviora, jocis cumulare profanis
Certatim properant. Nunc haec nunc illa cruentae
Laetitiae argumenta parant et plurima mutant,
Ingeniosa novi sceleris commenta struentes.
Atque aliquis: vidistis, ait, qua veste tyrannum
Herodes velut in patrii suffragia regni
Induit; et quamvis Caiphas sanctusque senatus
Linigerum merito sceptri contendat honore
Praestantem fraudare virum regnique capacem:
Nos tamen Herodis justis accedere votis
Purpureamque decet clamydem clarisque coronam
Baccatam gemmis patriique insignia sceptri
Reddere; dicenti applaudunt, et ludicra quisque
Continuo exquirit scenae ornamenta futurae.
Coccineam hic profert tunicam, quae nobile blattis
Hospitium quondam et tineis praebebat opimas
Depopulanda dapes, nunc vulnera hiantia panno
Degeneri consuta tegit numerosa cicatrix.
Porrigit hic miserum in sceptrum regale flabellum,
Hic olidae baculum decoratum syrmate vulpis,
Alter arundineam nodoso cortice cannam.
Haec placuit, quoniam sterili infoecunda medulla
Et fragilis, regem cerebro regnoque carentem
Signabat. Fasces alios praeferre videres
Lictorum in speciem, nexis hinc inde flagellis,
Quae roseo CHRISTI stillabant tincta cruore.
Denique jam reliquis infanda ad vota repertis,

Quaerebant dignum capiti diadema. Placebat
Pluribus aptatum e stipulis et stramine sertum.
At dirae Barathri pestes, crudelia Ditis
Monstra, vel innumeris nondum saturata flagrorum
Vulneribus, quibus irrisi sine sanguine nulli
Carnificum risus, ludibria nulla placebant —
Heu aliam Ausoniis crudelia in omnia pronis
Suggessere, Erebo dignam inventore coronam!

Fortuna dicam, an fraenantis cuncta supremi
Numinis arbitrio rem disponente, sub aulae
Limina cervicem tribulis oneratus acutis
Nescio quis, vili de plebe novissimus ibat.
Hic matutini primos ad luminis ortus
Quaesitum fragiles stipulas, quo frigus inempto
Triste foco et brumae rigidas defenderet auras,
Exierat. Jamque ingenti sub fasce laborans
Spinarum, quas inculti sub vertice montis
(Quo superum regi nato facturus acutis
Sentibus implicitam pecudem deprendit Abramus)
Legerat, angustas laetus remeabat ad aedes.
Hunc ubi carnificum saevissimus unus, in urbem
Prospiciens, vidit, subito se proripit aulae
Ad limen revocatque virum dextraque prehensum
Ad socios trahit atque haec admirantibus addens:
En, ait, ut coeptis faveat fortuna novoque
Egregium attulerit, comites, diadema tyranno.
Accessere omnes dicenti, Irumque trementem
Insano invadunt hilares clamore, gementi
Ingratis adimunt fascem; ferroque rigentes
Aptantes digitis manicas, horrentia spinis
Textilis in formam plectunt virgulta coronae.
Atque alii interea (referens horresco) cruentis
Vix bene compositum membris violenter amictum
Abripiunt; irritatis dolor acrius urit
Vulneribus, tunicae concretus sanguis apertis
Fontibus exundat, laceratae fragmina carnis
Avulsas tergo vestes avulsa sequuntur.
Purpuream hinc clamydem meliori murice tinctis

Circumdant humeris, strataque in sede locati
(In solium miseri regis vel stramine tecta
Vel viridi placuit junco vestita columna)
Vulnificis circum caput inviolabile cingunt
Vepribus et longis spinas hastilibus urgent
In teneri, heu facinus! vitalia claustra cerebri.
Mox sceptri in speciem dextrae fluvialis arundo
Ingeritur; rursumque manu sublata sedentis
In caput implicitum spinis vibratur, acerba
Altius infigens crudelis acumina serti
Purpureisque rigans liventia tempora rivis.
Tum deinde inflexo venerantes poplite regem:

Salve, ajunt, recutitorum rex inclyte, salve!
Quod felix faustumque, tibi mavortia pubes,
O regum proles, certissima reddit avita
Sceptra vel invita Verporum gente tuoque
Sanguine distinctam nectit tibi laeta coronam.
Adsis o faveasque tuis! Ut murice vivo
Purpureum diadema rubet! quae vitis amicam
Talibus inserpens ambit complexibus ulmum!
Atque alii interea tenera ora genasque silentis
Nunc pressis tundunt pugnis, nunc livida palmis
Tempora certatim pulsant; veniamque precantes
Exclamant, sese quae cuique est copia, sacrae
Haec majestati persolvere pignora amoris
Obsequiique sui; proavumque tyrannide regum
Exhaustos, vix haec jam vectigalia posse
Pendere, mox imo excussam pulmone salivam,
Foedaque pollutis jaculantur phlegmata linguis
In faciem, atque oculos illos, queis sidera sordent.
Scilicet his decuit baccata monilia gemmis,
Irrisi superum regis circumdare collo!

Heu quis ab informis primo discrimine terrae,
Heu quis ad aetherei suprema volumina mundi
Talia perpessus, passurus talia! quales
Heu aetas tulit illa viros! quo pectora ferro
Composuit! duras quo vinxit marmore fibras!

Quid tamen infelix aliorum crimina libro
Lictoresque feros, scelerum ceu purus et omni
Labe carens, carpo et vanis incuso querelis?
Heu me! funestae textum crudele coronae,
Flagrorum sulcos, geminae ludibria vestis,
Et quicquid vel passus adhuc vel stipite tristi
Passurus, plus Christe mihi, scelerumque meorum
Saevitiae debes! Duris ignavia vinclis
Te mea constringit, tumidaeque superbia mentis
Hoc te dedecorat sceptro. Inconcessa libido
Divino intorquet capiti diadema molestis
Sentibus implicitum. Tunica insatiatus habendi
Te denudat amor. Trito te murice praeceps
Induit ambitio. Pretiosi sanguinis undam
Prodigus exhaurit luxus. Furor iraque nudos
Dilacerant artus. Debes mihi, CHRISTE, meaeque
Livores hos invidiae, convitia rixis,
Phlegmata ludibriis. Irrelligiosa vagantis
Vota animi, irreverens superum reverentia flexo
Irridet te saepe genu. Mutabile ad omnem
Fortunae motum, trepidantis arundinis instar,
Propositum et vitreae levis inconstantia mentis
Altius impactis terebrat tibi tempora spinis.
Adde, quod Ausonii moribundo corpore clausum
Carnifices numen majestatemque latentem
Ignari indignis irritavere procaces
Ludibriis; ego te patrio post funera coelo
Regnantem irrisi manifestaque numina demens
Contempsi toties, calcavi jura fidemque
Juratam infidus violato foedere rupi.

O quisquis mala nostra legis, tua cerne sub illis
Crimina et ardenti lacrymis de pectore fusis,
In CHRISTI caput inque humeros et vulnera fidens
Projice virginei rivis abolenda cruoris.
O hominum pater! o mundi melioris origo,
CHRISTE, tuis unum misero de sentibus, unam
Sanguinis intacti guttam annue. Me tua ditet
Pauperies, saturata tuo me sanguine velet

Purpura. Divinos amor est accedere fontes
Egregiumque meo capiti diadema parare
Ex aliis, tua quae secuerunt tempora, spinis.
Sunt quos castrensis decus immortale coronae
Alliciat; sunt quos e quernis civica ramis
Blandius invitet; Cosiratam hic praeferet auro
Ditatam sitiens laudem; de gramine sertum
Cunctator quaerat Fabius, de virgine lauro
Quadrijugo Caesar scandens capitolia curru,
At mihi sanguineae circumdent tempora spinae.
Hoc regis diadema mei est, felicius omni
Fronde, triumphalis radiis illustrius auri.
Hoc mortem interimit, vitiorum hoc tristia frangit
Spicula, et obsessos ventis et fluctibus actos
Eripit oceano. Reparati haec civica mundi est.

Haec nos irriso non digna at debita regi
Solvimus. Ast aliis maternum exercita pectus
Fluctibus, extremum morituri cernere nati
Supplicium, extremas audire et reddere voces,
(Ni vocem vetet ire dolor) festinat amicis
Nequicquam contra suadentibus aurea virgo.
Addunt se comites chara cum matre Johannes,
Magdalis et Cleophae conjux MARIA, parentis
Virgineae soror (ut perhibent) Chusaeque marita,
Dives opum largaque manu profundere gaudens
In miseros, quas prodiga opes fortuna ministrat.
Lamentis fervescit iter, varioque tumultu
Plangentum tristes agri viduataque magno
Hospite rura gemunt. Quaerunt alimenta dolori,
Heu miserae, et saevae facinus miserabile noctis
Auditum toties iterumque iterumque fatigant.
Nunc quibus accinctus venisset proditor armis,
Quo dominum vultu amplexus, quave oscula fronte
Detestata dedit, cui dextram fervidus aurem
Abstulerit Petrus, qua diffugere trementes
Discipuli, quibus occulti latuere sub antris.
Nunc quibus invisa Caiphae crudelis in aula
Exceptus poenis per noctem; et quis fuit ille,

Qui tenerum indigno foedavit, verbere vultum?
Quis, quo sidereos oculorum obduxerit orbes
Illudens velo. Lacrymae per singula currunt
Verba, nec effraeni semel omnia nosse dolori
Sufficit. Ut sacri ventum ad confinia montis,
Et tragicae patuit noctis lugubre theatrum
Gethsemane, lacrymis omnes immisit habenas
Irrequietus amor luctusque, heu, lege teneri
Impatiens. Omnes aditus omnemque pererrant
Luminibus pedibusque locum; vestigia noctis
Omnia funestae totamque ex ordine scenam,
(Nil satis est miseris) repetunt. Hac intrat Judas;
Corruit hic blanda prostratus voce satelles;
Hic mersi somno comites jacuere fugamque
Hac rapuere vel hac. Avidae sua vulnera matres
Maeroresque bibunt gaudentque audire, quod horrent.

Tristis at interea solum illum ex omnibus ambit
Virgo locum, quo supremos in sidera natus
Effudit madidus lacrymis et sanguine questus.
Dumque oculis antrum lustrat, cessisse precauti
Saxa videt, ceraeque instar traxisse reflexi
Poplitis effigiem, roseoque imbuta colore
Gramina, sudoris certa argumenta cruenti.
Dum stupet haec: comites duris vestigia saxis
Impressisse monent, cedrinae qua vallis in undas
Protusus pedibus, cecidit. Virgo omnia mater
Mente premit memori et sanctae dans oscula terrae,
Virgineo gemitus et vota e pectore fundit.

At Zebediades vasti latera ardua montis
Intuitu fido, si quae opportuna dolori
Antra sinant, magnos sine teste effundere questus,
Vestigans, clausam ramorum prospicit umbris
Speluncam obscuro suspendere fornice montem.
Advertit gressus, et longa silentia duros
Parturiens gemitus, in verba resolvere gestit.
Jam prope limen erat, resono cum auditus ab antro
Terruit intrantem gemitus. Vestigia retro

Attonitus retulit, ceu tristem improvidus anguem
Incauto pede pressisset. Tum deinde fugato,
Quem vox intulerat non expectata, timore,
Insperati ardens gemitus deprendere causam,
Speluncae tacito repetit pede limen et altas
Arrecta auscultans intercipit aure querelas.

O quisquis lacrymis dives, foecunda dolori
Lumina habes et prona piis praecordia curis,
Mutua mendico da flumina, commoda amaras
Infausto lacrymas. Quae me satis aequora possunt
Abluere? aeternos poscunt mea vulnera fletus!
Hei mihi, quod vita timui pereunte perire!
Hei mihi, quod mortem naturae debitam amanti
Naturae domino, cum posceret ille, negavi!
Vita quid est nisi gutta brevis dulcisque, dolorum
Oceano submersa, bonumque volatile, semper
Incertae non certa necis discrimina tendens?
O florem! o folium! o somni levis instar et umbrae!
O aestum nunquam rediturum! hanc optime rerum
Arbiter, hanc vincto toties impendere amico
Pollicitus, cum captivi indignissima certam
Exigeret fortuna fidem, fideique Deoque
Ausus es et charo coram praeferre magistro?

Ingemuit castus juvenis coepitque doloris
Paene sui oblitus peregrinos pectore luctus
Imbibere; at longis vox immutata querelis,
Speluncaeque situ auscultantem elusit, et ipsa
Ultima plangentis confuso murmure verba
Interclusa avidas aures fallendo lacessunt.
Ast alius magna curarum mole fatiscens,
Nulla propinquantis vestigia legerat aure.
Ergo iterum infixum tristi sub corde dolorem
Explicat et miseris implet loca caeca querelis.

Te nimium facilem promittere, solvere vota
Difficilem! ante tubam fortis, cum classica strident,
Versa fugae turpi primus das terga tuumque

Ipsius ante oculos prodis perjurus amicum?
Hei mihi! dum Caiphae sceleratam improvidus aulam
Ingredior, coelo excludor; dum frigore pigro
Ad prunas recreare juvat torpentia membra,
Infixas animo flammas caelestis amoris
Extinxi demens. Periit malefida petenti
Tecta fides dulci toties promissa magistro.
O utinam iratis periissem mersus ab undis,
Cum maris infidi titubansque tremensque tumentes
Calcarem insueto fluctus pede! distulit iras
Unda suas, ut naufragio graviore paventem
Obrueret tellus. Boreae securus et alti,
Ancillae perii demersus voce loquacis.
O Malche! o Latiae tela irritata cohortis
Nequicquam! mene Ausoniis occumbere victum
Non potuisse armis! tot tutus ab hostibus, omni
Aeneadum turbae invictus procerumque furori,
Heu quo tormento impulsus, quo turbine fractus,
In tantae cecidi praeceps immane ruinae?
Ille ego dux ovium quondam pastorque vocatus,
Heu qualis, quove ore lupae, queis faucibus actus,
Hoc scelus admisi? me, quisquis ovilia demens
Perdere amat, teneris pastorem deligat agnis.
Ille ego, cui petrae nomen munusque magister
Addidit, ad vetulae vocem, ceu fulmine tactus,
Dissilui. Quicunque imis, quicunque revelli
A fundamentis optat, quas condidit aedes,
Me super excelsam securus construat arcem.
O vigil Eoi volucris praenuntia Phoebi,
Cujus ad occentum nemorum leo terror inhorret,
Quae mihi me tandem reddis, quae voce flagellas
Impia verba tua, vive et mea crimina et horam
Criminis aeterno resonans mihi suggere cantu.
Et siccos si quando oculos lacrimisque carentes
Aspicias, resides monitor fidissime questus
Excita et immemorem tantae memor argue noxae.

Talia lugentem juvenis jam certus amicum
Occupat amplexu et lacrimis suffusus obortis:

Heu quianam insanis, inquit, charissime! curis
Indulgere gravique animum vitamque dolore
Exhaurire juvat? fidens animosaque coelum
Spes penetrat, lacrymaeque illo de fonte refusae,
Vim superis faciunt et vivi fluminis instar
Incautae abstergunt commissa piacula mentis;
Surge age et effreni metas jam pone dolori.
Nam quis in hac non nocte reus? peccavimus omnes,
Heu timidi infidique omnes; tu fortior unus
In gladios, in tela ruis mortemque lacescis,
Nec sublata prius, quam jussus projicis arma.
Quid simile egregii comites sub vincla magistri
Praestitimus? fidei et promissi oblitus amoris
Excussa nudus per devia sindone fugi.
Ergo age, et afflictam mecum solare parentem!
Jungamus lacrymas, morienti adstemus amico.

At Petrus (nam Petrus erat) cum prodita sensit
Lamenta, obliquo indignatus lumine lustrat
Dicentem. Ut vero vultum vocemque Joannis
Agnovit, quanquam doluit deprensus, amicas
Excepit tacitus voces ac talia reddit:

O utinam abjecta pariter cum sindone vita
Hoc effugissem facinus! jactura beata
Scilicet illa mihi et votorum meta fuisset!
Mene ergo moestae comitem vis ire parenti?
Fac velle; at quibus hanc oculis, qua denique fronte
Aspiciam? quae verba mei, quae flumina lapsus
Abstergant ignominiam? suspiria nulla.
Nulli adeo gemitus, nulli mea crimina fletus
Excusare queunt, nisi qui de pectore nati,
Quem miser insano victus terrore negavi
Ipsius ante oculos, nisi qui de pectore matris
Manarint. Magnam famuli miserata ruinam
O utinam illa suos misero mihi commodet imbres!
Quam facilis veniam indigno pater ipse timori
Donaret nati victus pietate gementis!
Quam facilis sceleri veniam concederet, almae

Placatus dulci natus pietate parentis!
Quid tamen hoc sperem? quando demittere in aures
Perjuri voces merito neget. Hei mihi! nulla est
Lingua mihi, qua matris opem pacemque magistri
Exorem; nisi quae divinum perfida natum
Et dulcem toties ausa abjurare magistrum.
Oscula post Judae, mea post perjuria, fusis
Nulla fides lacrymis! queis et crocodilus et illo
Saevior indulget, cum praedam invasit Hyena.
Sed quid ego ingratis abeuntem demoror ultra
Questibus? I misero, juvenis charissime, Petro,
Virgineae virgo luctus comitare parentis,
Huic tremulae facinus linguae excusare memento!
Interea caecis plorabo absconditus antris,
Incendamque auras questu crimenque dolore
Perpetuo plangam. O nunquam mihi flumina desint,
Dum gravis ingratos animabit spiritus artus;
Ne contra, ne tende, oro, qui nocte negavi,
Audebo tentare diem? si mortuus atros
In cineres redeat dominus, plorando refundam,
Quam male surripui mendaci gutture vitam.
Sin tumulo sese ipse suo redivivus in auras
Extulerit, (sic pollicitus) mortemve minantem
Vinculaque (ut quondam) eludat, miserebitur ultro,
Credo equidem, et lacrymis veniam indulgebit amaris.

Hac vice sermonum jam prima recesserat hora,
Et Phoebi igniferos frenabat tertia currus,
Cum Zebedides frustra se tendere contra
Aspiciens, moestum moestus solatur amicum
Atque insperata abscendens novitate gementum
Matronatum animos et corda stupentia replet.
Ingemuit lapso virgo mitissima amico
Et gratas superis lacrymas miserata refudit:

O nimium pelago, nimium confise sereno
Petre, procelloso nimium turbate, tuique
Immemor, afflicto ingeminas non debita nato
Vulnera, non matri. Quid mirum, si petat hostis

Insontis Caiphas jugulum? si caeca furore
Invidiaque Sacerdotum manus omnis in unum
Conjuret natum et poenas cum sanguine poscat,
Quando haec immerito miserande rependis amico?
O nate; o Matris suprema et sola voluptas,
Nunc quoque, supremus quando dolor. O mea vita!
Quisquamne unanimes illo complexus amicos
Pectore, inhumanos quo tu complecteris hostes?
Quisquamne infenso sic est desertus ab hoste,
Unanimes ut te potuerunt linquere amici?
Tu quoque in his etiam te deseris ipse periclis;
Dumque laboranti properas succurrere mundo,
Quae te cunque petant, miseram quae vulnera matrem,
Nil refert; facilisque tui jactura meique est.
Non tamen indignor, miror magis. I, decus orbis,
Patris ad imperium damnatae crimina terrae
Sanguine merge tuo. Et mea si quid vulnera possint,
Sanguine merge meo. Tantum pietate jacentem,
Qua renovas mundum, labentem respice Petrum!
Sic ait et saevam lacrymans festinat in urbem.

Interea tot vulneribus flagrisque gementem
Aspiciens CHRISTUM judex miserandaque regni
Symbola purpuream frontem vexantia, magno
Nequicquam ingemuit turbatus pectora motu,
Quippe quot infixis horrebant tempora spinis,
Quot lacera attritis livebant membra flagellis,
Conscia tot sceleris stimuli praecordia figunt
Exercentque animum; nec se fert ipse sed ardet
Jam tandem immitis rabiem compescere gentis.

Aurea Jessei qua respicit atria templi
Ausonii domus alta ducis, procurrit in auras
Et notam Antonii cognomine tendit in arcem
Porticus, hinc illinc Phrygiis suspensa columnis
Marmorei in speciem numeroso fornice pontis.
Hanc gradibus nixus Pario de marmore sectis
Ascensu superat praeses CHRISTUMque molestis
Sentibus evinctum rorantia tempora, sceptro

Ridiculo illusum, tunicaeque suoque rubentem
Murice, spectandum educit. Miserabilis illa
Producti facies habitusque indignus amaras
Hyrcanisque Scythisque et laetis sanguine crudo
Massagetis potuit lacrymas extrudere, duris
Haec gemitus potuit scena extorquere Gelonis.
Hyrcanos Scythicosque atrox Judaea furores
Barbariemque Gelonorum rabiemque cruenti
Massagetae, stimulis furialibus excita, vicit,
Namque instans operi Alecto et lacrymabilis omnem
Eventum metuens scenae importuna sororum
Eumenidum deposcit opem, magnoque severam
Tisiphonen clamore ciens, nunc, nunc opus, inquit,
Auxilio germana tuo. Tu pectora vulgi
Primorumque novis turbare afflatibus, et queis
Sola potes faciles perge inflammate venenis!
Romuleo me linque duci. Nec distulit illa
Optatam praebere manum viresque nocendi
Addere certatim; capitis nam prodiga diri
Innumeros immansuetis e crinibus angues
Fixit in indomitae praecordia plebis, et atras
Cerberii spumas oris notasque novercis
Iratis pestes et avaras sanguinis, imis
Intorquens fibris, odiis alimenta ministrat.
Ergo flagellati cum primum vulnera CHRISTI
Aspicerent teneroque impressos vertice sentes,
Millibus e tantis vix ulli adamante revinctum
Vel subito illapsu tetigit clementia pectus.
Innatos blandae stimulos pietatis et ipsam
Expulerat naturam odii invidiaeque cruentus
Impetus. Hi, tamquam levibus comoedia soccis
Effrenem salibus risum motura daretur,
Purpuream tunicam ridere, extollere inanis
Commentum sceptri diroque applaudere serto.
Ast alii, heu nimium tragicis impulsibus acti,
Ignescunt furiis atque implacabilis oestrum
Invidiae inviso gliscunt saturare cruore.
Ut vero tunica judex hinc inde reducta
Explicuit laceros artus nudataque loris

Ossa; insperata victi exiluere frementes
Laetitia. Atque, ubi jam fibras pervaserat imas
Tartareum virus, penitusque infixa medullis
Incubuit pestis; non quantum flagra cruoris
Abstulerint, spectare juvat, sed sanguinis ultra
Effundendum aliquid vivo superesse queruntur
Sacrifici; quantoque magis potuisse fremendo
Se cernunt, tanto indomitos sitis acrior urget
Perficere incoeptum totumque explere furorem.

Ast alias judex volvens sub pectore curas
En, ait, infandis quantum clamoribus actus
Admisi scelus, insontem crudelis iniquo
Supplicio et foedis ausus lacerare flagellis!
En hominem proavum sceptris, ostroque tumentem
Scilicet! en hominem Herodi, latioque timendum
Imperio! insignem gemmis, auroque coronam
Cernitis infixam capiti? tunicaeque decorem
Purpureae, ardentes oculos torvique severam
Majestatem oris ac formidabile sceptrum?
En hominem; cui nil hominis superesse videtis!
Quisquamne insana tantum ambitione laboret,
Ut tali cupiat redimiri tempora serto!
Hoc sceptrum manibus vibrare! hoc murice pingi!
Quemquamne Isacidum regis tam dira cupido
Torqueat, ut tali cupiat parere tyranno!

Dixerat. At varii ingenium mutabile vulgi
Non expectata in melius pietate trahenti
Obstrepere infensi proceres salibusque protervis
Impetere et risu cunctantem invadere acerbo.

Quid juvat incassum post tot tormenta nocenti
Parcere? Quid serum frustra simulare dolorem?
Quod si sacrilegi effigies miserabilis altum
Solicitat curis animum, quid vota moraris?
Dede cruci miserans atque uno funere perde,
Dede cruci totamque simul pius exige mortem.
Talibus exceptum merito se conscius ipse

Ingemuit dictis judex et turbidus ira:
Vos potius tristi immeritum suffigite trunco,
Quos sitis intacti crudelis sanguinis urit.
Namque iterum repetens iterumque hoc testibus ipsis
Caelicolis, quos Ausoniis subjecta triumphis
Terra colit quosque Isacidum stirps omnis adorat,
Assero, nil meruit vitaeque hic integer astat.

At contra insanis proceres clamoribus instant.
Jamne tibi innocuus, patrios qui transfuga ritus
Evertit, qui Romanis se legibus hostem
Opposuit? quid quod magni se numinis amens
Mentitur sobolem sceptrumque affectat Olympi.

His animum judex dictis perculsus, in aulam
Convertit gressus et secum multa volutans,
Talibus adstantem sermonibus urget JESUM:

Fare agedum, qua stirpe satus, quo sanguine cretus?
Quidve struis? presso Christus silet ore. Tacentem
Ausonides culpans; nobisne rogantibus, inquit,
Verba negare audes? nescis, vitaeque necisque
Nos penes esse tuae jus omne? Hic clausa resolvit
Ora tumescentemque gravi sermone coërcet.

Arbitrium, et jus omne necis vitaeque supremo
Caelicolum regi proprium est ac subjacet uni.
Ille tibi fasces atque aequae jura securis
Credidit et merito jussit damnare nocentes
Supplicio. Quod si impellente libidine raptus
In praeceps, medium temerarius arbiter aequum
Deseris inconcessa petens et devius erras;
Arbitrii reus injusti es sub judicis urna
Aetherei, quae nec falli nec fallere novit.
Me Pater omnipotens a desertore ligari
Discipulo et tua captivum ad praetoria duci
Permisit. Qui me infelix tibi prodidit, atri
Criminis aeternas justo sub judice poenas

Persolvet. Nec te immunem spe lusus inani
Credideris poenae, violato jure, futurum.

Audiit orantem judex, penitusque medullas
Divinae pondus non exuperabile vocis
Perculit. Ergo operi metas apponere et omnes
Frangere conatus populi intractabilis ardet.

LIBER NONUS.

At non haec nullis divumque hominumque repertor
Prospiciens oculis summa miseratus ab arce
Dilectae quondam gentisque urbisque ruinam;
Aligeros, populi queis olim credita cura,
Infaustae jubet Isacidum succurrere stirpi,
Alloquiis mulcere animos, praesagia vatum
Objicere atque intentatas expromere poenas.
Continuo picturati de fornice caeli
Descendit numerosa manus populique coronae
Immisti, accingunt operi se quisque piisque
Immites monitis stimulos obtundere certant.

At superum princeps Michaël, cui militat omnis
Pennipotentum acies, quando intractabile patrum
Ingenium et nullis vulgus revocabile diris
Aspicit atque omnem comitum frustra ire laborem.
Siderea superum ex aula delabitur, ardens
Si qua via est, Latii mentem firmare tyranni,
Ne falsa laesi formidine Caesaris actus,
Succumbat saevo procerum plebisque furori.

Ausonias inter pulcherrima nympha puellas,
Nobilitate potens illibatique pudoris,
Insignis fama et morum probitate verenda,
(Julia cui nomen, Proculae cognomen) in urbe

Florebat mundi domina, quam sidere fausto
In thalami sociam, Solymae recturus habenas
Pontius accepit, magno devinctus amore.
Hanc procul in villa solatia ruris amantem
Grataque carpentem jucundi munera somni
Egregium coeli decus et pulcherrimus orbis
Signifer aetherei primi sub lumina solis
Aggreditur; placidumque salubri horrore soporem
Turbat agens, rerum species, impressa cerebro
Innumeris simulacra modis, phantasmata cellis
Indigesta suis, versatque aptatque trahitque
Artifici fingens (dictu mirabile) nutu.
Qualis Apellea variatos arte colores
In vivos hominum vultus aut ora leonum
Dividit; atque instans operi, nunc pollice docto
Fluctibus insanis pelagus, nunc moenibus urbes
Attollit pictor, nunc laetos floribus hortos
Induit, abruptis nunc horrida cautibus antra
Suspendit, vitrei nunc fontis pinguia amoenis
Pascua foecundat rivis et piscibus amnes.

Ac primum obscura tristem sub imagine cladis
Venturae faciem suspendit et anxia caecis
Exercet formidantis praecordia curis.
Namque soporifero dum languida lumina cornu
Irrorata stupent cerebri includentis opacis
Aligeri jussu, prorumpunt undique claustris
Mnemosinae in campos terrae coelique capaces
Innumerae rerum facies, hominumque ferarumque
Et volucrum in vacuos capitis detrusa recessus
Corpora, jam crasso terrenae molis amictu
Exuta. (Ut speculi vibrantis in aequore vitae
Aemula subtracta gravitate resultat imago.)
Confusas rerum species, congesta cerebro
(Ut gemini fingunt vates genitalia mundi
Informi latuisse Chao primordia) nulla
Lege inclusarum infinita examina rerum
Daedalus imperio facili discriminat Ales.

Nunc hos nunc illos vultus simulacraque fingens
Apta, soporatam objecto discrimine terret.

Namque videbat, uti viridis sub imagine ripae
Cedrus odoratis surgens in sidera ramis,
Undique diffusis optatam frondibus umbram
Sterneret hospitibus gratamque expanderet omni
Alituum generi sedem, quae carmine dulci
Hinc atque inde leves variis concentibus auras
Mulcentes, patuli laudabant hospita trunci
Brachia securosque per alta cacumina nidos.
Ecce autem agricolae tectis ex omnibus uno
Agmine conveniunt raptisque bipennibus instant
Impulsi furiis, redolentem evertere cedrum
Invitumque loci dominum clamoribus urgent
Impelluntque. Minis victus precibusque frementum
Annuit imprudens excisaque vulnere crebro
Corruit oppressitque feros eversa colonos.

Solicitam et trunci lugentem fata virumque
In se convertit praestanti corpore cygnus,
Invidiamque nivi facturis candidus alis,
Maeandri procul a ripis patriive Caystri
Ignotos circum fluvios peregrinaque stagna
Remige vel penna plaudens vel amoena canoros
Dans per colla modos et cantibus aëra mulcens.
Innumerae hinc illinc volucres, quae dulcia circum
Flumina lascivis suetae colludere pennis,
Plaudebant blanda vocis dulcedine captae,
Ipsa etiam niveas cygni spectabilis alas
Carminaque admirans, dulci percussa stupore
Procla tenebatur mentemque oculosque futuri
Nescia pascebat. Subito nam turbine coelum
Vertitur, et ventis gravidae pluviisque serenam
Eripiunt lucem nubes: praedaeque paratus
Undique praecipiti milvorum exercitus ala
Agglomerat. Pavidae fugiunt per inane volucres.
At fati securus et imperterritus, hostes
Opperiens moriturus olor manet. Agmine facto

Inclusam densa milvi cinxere corona.
Vellicat hic rostro plumas, hic lumina diro
Ungue rapit, plausis hic frontem verberat alis.
Hic collum, hi pedibus rimantur viscera aduncis.
Interea ipse suas supremo carmine plangit
Dulcius exequias praereptaque flumina cygnus.
Ingemuit Procle miserans et victa dolore
Crudeles diris, heu voti ignara, volucres
Devovet. Haud longo admirans post tempore cernit
Confluxisse ingens aquilarum in nubibus agmen
Et meritos fulvis milvos discerpere rostris.

His rerum formis suspensam et cuncta paventem
Avertit nemoris species pulcherrima, densis
Arboribus Phoebum excludens, foecunda ferarum,
Immissique canes claris latratibus auras
Incendunt cursuque feras in retia cogunt.
Compulsi teretes par insociabile, cervus
Balantumque lupus fauces ac ora cruore
Infectus, subiere plagas. Tum facta potestas
Damaetae et sociis, quem emissum retibus optent
Restitui sylvis, quem certa cuspide figi.
Dum stupet haec, videt egregium aegrescitque videndo,
Missilibus fixum telis occumbere cervum,
Tingentem guttis lacrymarum grandibus ora
Effrenique lupum cursu nemora alta petentem
Pastorum ingenti plausu fremituque secundo.
Nec longum interea tempus, cum vindice ferro
Et flammis, dominus nemoris chari aspera cervi
Fata gemens furiisque animum inflammatus et ira
Terribilis, venatorem pecorisque magistros
Insequitur diraque evertit clade merentes.

Talibus attonitam monstris certisque futurae
Stragis imaginibus perculsam lucidus Ales
Alloquio dignatus, ait: Non te irrita noctis
Ludibria et tristis fallax insania somni
Julia suspendunt vanoque horrentia vexant
Membra metu. Magni soboles manifesta Tonantis,

Thariadae decus egregium et spes unica stirpis,
Arboris excisae, cervi cygnique perempti
Triplici adumbratus sub imagine CHRISTUS, acerbis
Oppressus primorum odiis, miserabilis ipsis
Hostibus, inviti stat conjugis ante tribunal.
Hujus in exitium toto gens orbe coacta
Conjurat. Nutat judex, populique furorem
Virtutemque rei suspenso pectore librans,
Quid faciat, nescit; pudor est satiare cruore
Insontis duros animos, timet obvius ire
Infandis procerum conatibus. Hei mihi, vincent
In vitium flecti facilem, vota impia vincent!
Tu tamen ante nefas (si qua est via) consule genti,
Consule Procla viro, tibi consule, flecte labantem
Caesaris ad nomen scelerique parata nefando
Supplicia ultricemque aeterni judicis urnam
Objice securo superum solumque timenti
Caesaris arbitrium. Quod si monitusque minasque
Spernat et insano raptus terrore latronem
Solvat et infami suffigat stipite CHRISTUM:
Caesaris infensi imperio proscriptus, in omnes
Expositus Nemesis furias, incumbet in ensem
Ipse suum, miseraeque abrumpet taedia vitae.
Illi etiam, queis tantus amor suffigere trunco
Progeniem coeli humano sub corpore terras
Lustrantem, stirpemque suam et genus omne nepotum
Unius in caedem, o furias, impendere CHRISTI,
Heu quibus expendent scelus immedicabile diris!

Dixerat: utque fides tanto quaesita paratu
Altius in Proculae pectus descenderet, omnem
Incendit radiis thalamum seque ipse videndum
Obtulit, intuitu quantus qualisque videri
Mortali poterat, tenuesque abcessit in auras.
Illa autem angelici vultus percussa decora
Majestate, graves oculos attollit et ipsum
Undique vestigat, somnique oblita virique.
Mox aliam e speculis lucem clarescere cernens,
Et tacito tristem volvens sub pectore somnum,

Solvitur in lacrymas et spreto moesta cubili
Consurgens, auro illusam gemmisque micantem
Aversata stolam, dulci velut orba marito,
Funeream petit: ancillisque stupentibus omnem
Causam insperati luctus somnique minacis
Terrorem breviter pandit, quae causa tribunal
Ambiat, infausto turbans Paschalia luctu
Gaudia, quem plebs Isacidum patresque laborent
Opprimere, exposcit, cui solvere vincula quaerant.
Impatiensque morae, dum strictim singula moestae
Percurrunt famulae, lectos jubet ire ministros
Certatim atque omnem suspenso aperire marito
Conjugis afflictae noctem manifestaque divum
Ostenta, horrificos monitus. Super omnia coeli
Vindicis inculcare minas, si sanguine CHRISTI
Polluat Ausonios contempto numine fasces.
Accelerant famuli dominae mandata gradumque
Corripiunt avidi: falso fluit undique rivo
Membra per et tunicas sudor; tum creber anhelis
Spiritus ora viris et fessos concutit artus.

Praesidis interea jussu sublime tribunal
Turba ministrorum gradibus suspenderat altis,
Ante Quirinalis praetorii limina, magna
Primorum et populi undantis spectante corona,
Auratum in medio solium stratoque superbum
Murice constituunt; assessurisque minores
Hinc illinc sedes, quas pulvinaribus augent
Purpureis, tripodem a dextra, cui splendidus auro
Urceus impositus fontana plenus et ingens
Argento e solido labrum. Procul agmine longo
Accinctus gladiis miles hastamque coruscans,
Omne fori latus includit, facesque securi
Astrictos gestans lictor, clamore manuque
Summovet astantem populum, dum Pontius inter
Praecipuos procerum medius conscenderet altum
Cogi indignatus solium. Vultu ille sereno
Difficiles animi curas et pectoris aestus

Dissimulat sistique reos jubet. Illicet omnis
Lictorum properat manus et post terga revinctos
Hinc geminos fures, hinc coelo Ereboque stupente,
Barrabbam patriae pestem Christumque ruentis
Assertorem orbis, divumque hominumque parentem
Producit. Torvo incedentem lumine CHRISTUM
Sacrifici infensi signant blandoque latronem
Demulcent certamque jubent sperare salutem.
At judex, postquam clamore silentia rauco
Imposuit praeco, assurgens: en! sanguinis, inquit,
Exhausti vivo trabeatus murice, spinis
Regia contextis redimitus tempora, coram
Isacidae rex vester adest et flebile tristis
Exhibet imperii specimen. Quo tenditis ultra
Crudeles, quos semianimis miseratio regis
Nulla movet? furit immansueto percitus oestro
Scribarum patrumque globus fremituque sonoro.

Imperat Isacidis (clamant) qui gentibus unus
Imperat, augusto moderans regna omnia sceptro
Urbis et orbis amor Caesar, justissima cura
Caelicolum. Pereat quisquis se Caesare spreto
Judaeis regem obtrudit. Quonam usque moraris?
Dede cruci magicis (quod magni Caesaris aequis
Legibus edictum est) vertentem pectora verbis.
Dede cruci caeca regni ambitione trahentem
Praecipites in lustra viros dominique Tiberi
Sceptra invadentem. Quid tanti principis hostem
Imprudens damnare times? nec Caesaris iram
Defenso metuis judex Romane tyranno?

Hic sese arrepto jam tempore dira paventis
Admovit lateri Alecto, vocemque genasque
Ausonio similis cultumque humerosque Sabino.
(Quocum partiri curas, cui pandere mentem,
Arcanosque uni suetus committere sensus)
Ingeminansque metus, fidam sic fatur in aurem:

Quonam usque indomiti populi increbescere motus

Obnitendo sines? in te intractabile vertes
Pontificum plebisque odium? quae spicula vibrent,
Quae cudant tormenta, vides. Jam saxa facesque
Corripient avidi turbarum incensaque flammis
Atria diripient. Quod si Romana furentes
Arma doment tumidosque premant, quo sanguine, quantis
Cladibus haec stabit pietas temeraria? vilis
Usque adeone tibi gravis est jactura cruoris,
Ut tibi commissas in aperta pericla cohortes
Objicere haud metuas totamve impendere gentem
Unius in miseri vitam, fors digna ferentis?
Quo Caesar, quo Roma potens sanctusque Senatus
Accipient reducem vultu, quo impulsa furore,
Qua rabie Augusti appellans Judaea tribunal,
In te unum insurget, servatum Caesaris hostem,
Eversas leges violataque sacra retorquens?
Unum pro multis detur caput. Annue tandem,
Annue tot procerum votis. Satis o satis almae
Justitiae, jurique datum est, licet ille Catone
Sanctior atque ipso vel divis testibus esset
Scipiade melior. Sic demum effata, silentis
Visceribus stupidumque gelu Stygiumque papaver
Lethaei avulsum fluvii de margine furtim
Condidit, et facilem advertens, quocunque sinistri
Ominis auspicio consulta abrumpere, tristis
Augurium eventus (quo non praesentius ullum
Turbatam infregit mentem) haud ignara nocendi
Objicit attonito monstrum ferale, quod atro
Carmine terrificis obscurae noctis in umbris
Degeneres animos deserti a culmine tecti
Territat et diris vexat ululatibus aures.
Hujus in obscoenos mutavit callida vultus
Alitis horrificis raptum de crinibus anguem
Et subitis tectam plumis glaucisque minantem
Luminibus, lataque informem fronte per auras
Attollens, nulli visam descendere jussit
Ipsa sub ora viri plausisque ad tempora pennis
Obstrepere et diro cunctantem impellere plausu.
Diriguit primo aspectu gelidoque solutus

Frigore membra tremit. Vox intercepta loquentem
Deficit angustisque inclusa in faucibus haeret.
Interea Alecto caecis praecordia flagris
Pulsat agens, pavidoque omni sub verbere vultum
Caesaris infensi objiciens, curam excutit omnem
Justitiae Nemesisque metum scelerisque pudorem.
Multa tamen superos prius obtestatus, in ipsos
Criminis artifices reicit scelus omne jubetque
Interea liquidas in labrum effundier undas.
Dat manibus lymphas et tonsis candida villis
Porrigit intonsus domino mantilia ephebus.
Pontius e solio surgens, mirante corona
Isacidum, puro amne manus lavat, et modo vultu
Suspenso coelum aspiciens, modo lumine sparso
Adstantes circumspiciens, sic denique fatur:

Frangimur heu odiis! et laeva sorte coacti
Perdimus insontem. Immunem me sanguinis hujus
Hebraeo de more manus hoc flumine tingens
Testor. Vos, vos triste nefas dignumque sequatur
Supplicium. Aeternus sceleri dolor, aemula diris
Succedat vindicta odiis et surdus inanes
Plorantum gemitus et funera negligat aether.

Haec inter melior populi et patientior aequi
Pars, cui mens nondum penitus corrupta secundo
Successu scelerum, coelique Erebique timorem
Servat adhuc (veluti cineri supposta doloso
Vivacis scintilla ignis, mox fomite flammam
Admoto paritura latet), Perculsa latini
Non expectata formidine judicis, icta
Terribili augurio, poenam dirasque coacti
Criminis in procerum et saevi capita impia vulgi
Torquentes, flecti paulatim avidamque cruoris
Incusare sitim et tacitis mansuescere curis.
His sese Aligerum coelo numerosa relicto
Agmina conjungunt. Vatum hi praesagia in unum
Confluxisse monent, illi nomenque genusque,
Tempora virtutesque viri mirandaque gesta,

Jessei fidibus plectri clarisque Micheae
Fatidici dictis expirantisque Jacobi
Respondere docent; alii certissima pandunt
Crimina Chaldei vatis templique ruinam,
Excindendam urbem dispergendosque per orbem
In sceleris poenam coelo ulciscente nepotes.

At parte ex alia, genii flammantis Averni
Circumfusi, animis scelerum caligine mersis
Tartareum inspirant virus stimulantque paratos
In facinus. Proceres instant Barathroque faventes,
Arte omni insani pertentant pectora vulgi.
Sacrilegum ac hostem patriae templique cruento
Funere tollendum inculcant. Cunctantibus iram
Numinis horribilesque intentant undique diras,
In scelus accinctos certatim voce manuque
Collaudant, memoremque Deum pietatis in ipsum,
In patriam sperare monent; caecoque furore
Lymphati, dirum facinus praeferre cruento
Magnanimi Phinees ferro Moysisque Dathanum
Sacrilegum, sociosque solo tumulantis aperto,
Et Machabaeorum lauris victricibus audent.

Talia dum proceres furiatis mentibus urgent,
Jam longum permensus iter praeverterat omnes
Pernici cursu socios fidissimus unus
Judicis Ausonii famulus; nocturnaque visa
Et charae uxoris monitus manifestaque divum
Numina miranti pandit. Vix farier orsus:
Ecce alius super atque alius, turbatus anhelansque
Accurrit trepidae repetens mandata maritae
Et non temnendi praesagia dira soporis.
Ille (velut Siculo deprensus navita ponto
Scylleos inter fremitus diramque Charybdis
Oppositae rabiem, quae prima pericula vitet,
Haeret inops animi, nec spes super ulla salutis)
Fluctuat ancipiti curarum turbitus aestu
Divinos inter monitus patrumque minaces
Instantum furias et bruti murmura vulgi.

Stulte quid ad vanas populi sine viribus iras,
Caesaris aut misera raptus formidine, tanquam
Supposita puppis vexata Echeneide torpes?
O utinam spissis nebulis et tristibus umbris
Obductam infuso radiorum lumine mentem
Solveret alma fides! supra caput aurea divum.
Agmina prospiceres, infra coelo aemula castra
Heroum, obscuro quos limbus carcere claudit,
Terrigenasque animi pendere, quis exeat urna
Calculus ausonia; fremat acri turbidus ira,
Inque tuum indomiti Caesar caput omnia vertat,
Fraudibus Isacidum deceptus, tela furoris.
Destituetne sui tellus coelumque parentis
Servatorem? ipsa hinc illinc elementa patronum
Circumfusa suum propugnatura coibunt.
Te faetae lambent tigres, tibi colla leones
Marmarici sternent atque intentata securis
Cervicem fugiens, aciemque in viscera saevi
Carnificis torquens, uni tibi praemia nato
Debebit pater omnipotens? ipse arbiter orbis
Cum solio CHRISTUS flammas vibrante sedebit;
Judicis assessor tremulos cum Caesare reges
Damnabis, justis decus immortale repones.
Si nulla accendit tanti te gloria honoris,
At Nemesis praeceps absterreat ira, peremptum
Ulturae dominum et superae socia arma phalangis.
In te, si fallis spectantum vota, librantur
Omnia tela poli; tellus, mare, flammeus aether
In te conjurant. Poena omnis et omnis Averni
In tua conspirat lictor tormenta, tuumque
In caput, insontis superum rex funera nati
Immortali ardens odio, sine fine refundet.

Heu surdo canimus! rapiunt verba irrita venti.
Plus Erebi flammis, plus caeli vindicis urna
Caesaris ira potest. Caeli securus et Orci,
Hunc tremit ad scopulum. Pereat jus fasque piumque
Caesare placato. Vincat furor, occidat insons,

Caelicolae minitentur, amico Caesare non est
Scilicet! iratae Nemesi pes, fulmen Olympo.

Jamque sacerdotum Furiarumque artibus actus
In rabiem populus, studiis accedere victum
Romuliden cernens, solumque obstare pudorem,
Hunc etiam fingi credens cogique volentem
Velle, suae melius quo famae hac consulat arte,
Uno ore exclamat: vanos age mitte timores!
In nos inque omnem stirpem stirpisque futurae
Spem sceleris (si quod scelus hic) vindicta recurrat.
Horribili clamore virum vasti aetheris orbis
Intremuit; pavidae coelo cecidere volucres.
Ingemuit rerum natura excitaque tellus
Jam tum laxatis tremuli compagibus orbis
Ardebat merito vivos operire sepulcro.

O scelus! o diras! o impia vota! parentes
O nimium saevos! corda effera! verba vel ipsis
Detestanda, suo quas proles enecat ortu,
Viscera foetarum gaudens perrumpere matrum,
Nascendique viam ferali pandere morsu.
Heu cadit in quemquam rabies tam caeca nocendi,
Ut sibi utrumque amens oculorum lumen et ipsum
Lucis amoenae usum et jucundae munera vitae
Auferat, invisos eadem ut fortuna sequatur?
Haec tamen insano Isacidum collata furori
Ludus erit. Patrum votis stirps omnis in unum
Damnatur collecta nefas; perque omnia retro
Saecula, in astriferi suprema volumina mundi,
In natos trahitur sceleris vindicta paterni,
Quid tua, quid meruit gens coelo invisa soloque
Progenies miseranda, ut crimine pressa parentum
Et damnata prius quam nata, sub aethera partu
Funesto veniat! cur immortale rependis
Heu nondum genitis lethum, fugitiva priusquam
Incerti, ingrati, duri, miserabilis aevi
Munera vitalesque aperis nascentibus auras!

Mos erat Ausoniis (aevi longinqua vetustas
Reddiderat sacrum) cum decretoria tandem
Supremamque datura manum sententia causae,
Pro rostris actae, instaret, patresque rogati
Patribus auditis suffragia scripta tulissent,
Ut sese ex oculis judex subduceret, intra
Obducti latebras veli tacitusque sedensque
Omnia libraret maturo examine, demum
Tristis et illacrimans miseris, fatale cruentae
Decretum mortis tabulis incideret, alto
Incisum praeco populis clamore referret.
Hoc tandem de more, levi inconstantior aura,
Mobilior tremula Pilatus arundine, iisdem
Ore manuque, quibus toties testatus ab omni
Immunem culpa, heu facinus! latrone soluto
Haec in verba jubet suffigi stipite CHRISTUM:

Isacidum regem temerantem jura sacrorum
Thessalicoque animos turbantem carmine, JESUM
Nazarenum, *inter geminos pendere latrones*
Infami medium trunco placet. Ite, *frequentes*
Lictores, *miserisque cruces clavosque parate!*

Protinus infaustam velox se fama per urbem
Dividit et variis animos rumoribus implet,
Discors ipsa sibi. Namque hic ingentibus actis
Insignem, antiquis praestantem heroibus, atris
Circumventum odiis CHRISTUM suprema subire
Supplicia, haec meritis ingratos praemia cives
Reddere maesta refert. Aliis in partibus hostem
Numinis et patriae scelerum jam solvere dignas
Mentitur merito damnatum funere poenas.
Undique visendi studio glomerare frequentes
Matres atque viri; sacris non victima flammis
Imponenda sacerdotes templique ministros
Impedit, exanguis senibus non obstitit aetas,
Virginibusque pudor, viduis lamenta virorum
Debita funeribus fama abstulit illa, novosque

Luctibus antiquis jussit praeferre dolores.
Affectibus animi varii mixtaeque gementum
Ridentumque viam carpunt per compita turbae.
His dirum plorare nefas celeremque tonantis
Formidare manum, vulgi pars maxima saevis
Leviadum studiis insano accedere plausu.
Sunt etiam (humano furias tot corpore clausos
Esse putes) quos nulla odium saturabile poena
Sollicitat capere ante locum, propiusque sub ipsa
Brachia feralis trunci succedere, ut hosti,
Scilicet, affixo atque animam sub morte trahenti
Insultent et in os diras meditataque jactent
(Horresco referens) rabidis convitia linguis.
Ast alii, notae memores virtutis, in ipso
Prodigia occasu non inferiora peractis
Affore sperabant et non sine numine mortem.

Vix moesto comitum interea circumdata coetu
Virgo parens muros ingratae intraverat urbis,
Cum tanti non fama mali, sed certior author
Detulit Ausonii crudelem judicis urnam.
Ingemuit graviter miserans atque icta dolore,
Non tamen evicta est, nec nati oblita suique.
Namque animi praesaga, eadem secum ipsa revolvens,
Jam pridem certis praeviderat omnia signis.
Ergo iter incoeptum, frustra obnitente Joanne,
Et comitum verbis lacrymisque immota sororum
Maturat, quantum generosa modestia matrem
Accelerare sinit; turbisque immista (labantes
Ingeminat vires amor) ad praetoria tendit
Multa gemens gemitusque novos effundere quaerens.

Ut procul aspexit ferali horrentia serto
Tempora purpureaque humeros sub veste latentes,
Improviso habitu turbata, agnoscere natum
Ipsa suum dubitat deceptaque lumina credit.
Verum ubi jam propior fidis liventia cernit
Membra oculis roseoque undantem sanguine vultum:

In nato natum quaerit miseranda peritque
Inveniendo, aegrae geminus praecordia matris
Fluctus agit; charae corpus miserabile prolis,
Vulneraque invitos oculos lustrare jubebat
Imperiosus amor; crescens sine lege sub ipso
Aspectu dolor, affixos retrahebat, utroque
Huc illuc aestu genitrix impulsa, madentem
Sustulit ad superos vultum gemitusque resolvens:

Haeccine regna, inquit, tales pater alme triumphos
Spondebas, cum siderea legatus ab arce
Aeternum Gabriel regni promisit honorem?
Haec est illa tui Davidis purpura, magni
Hoc sceptrum regis, sic nos in regna reponis?
Tu quoque ab aethereo venisti nate parentis
Aeterni solio illabataque viscera matris
Bisgenitus subiisti, ut lamentabile saeclis
Omnibus indueres diadema tuisque rubentem
Vulneribus tunicam? quid te plaudentibus olim
Coelicolum per inane choris, partuque doloris
Ignaro, mundo juvat effudisse stupente?
Nunc o, nunc pario! redeunt dilata parenti
Tormenta et miseram geminato funere matrem
Saevius interimunt: quia te non aetheris auris,
Sed tumulo hic partusmoribundum educit. In unum
Hei mihi! conspirant CHRISTUM tellusque polusque,
In dominum superi, in natum pater. Hei mihi in unam
Omnia conjurant, et tu quoque nate, parentem!
Nam tibi quis tantos invito inferre dolores
Vel miserae matri, nisi te (mea vita) volente,
Auderet? cuinam pro te pia vota refundam
Aerumnosa parens? superis? patrique? profusis
Obstruxere aures precibus; tibi? scilicet orbae
Si te tot lacrymae potuissent flectere matris,
Non tali aspicerem redimitum tempora serto,
Non tunica hac tectum. Chananaeae vota benignus
Et viduae lacrymas atque orbi patris acerbos
Aspectu facilis gemitus; me, me quoque nate

(Credo equidem) fletusque meos praeque omnibus unam
Aspiceres, vel pro duris lictoribus, asprum
Qui tenero aptarunt capiti diadema, rogantem.
Pro me nate rogo, Virgo, vidua, orphana jamque
Orba futura parens; pro te rogo; surdus inanes
Has tantum sinis ire preces, haec irrita vota?
O utinam! quando ista tibi tam certa voluntas,
Tunc immaturo potius te funere raptum
Plorassem; quando immiti tot millia ferro
Abstulit Herodes toties elusus et ingens
Perdidit infantum pollutus sanguine crimen.
Quid me Niliacas juvat effugisse per urbes
Saevitiam infausti regis lamentaque matrum
Carnificumque manus, si te meque ista manebat
Tristior et nullo mors evadenda paratu?
Haec vota impatiens magni natura doloris,
Hos gemitus materna tibi praecordia fundunt.
At patris aeterni jussis contraria, menti
Obvia vota tuae vel tantis fluctibus acta
Nil moror. Ingratae facinus miserabile gentis
Altius in miserae penetrat praecordia matris.
Non ego divino lustratum sanguine mundum
Amissa abnuerim coelorum in regna reponi.
Nec mea jam vel te curari sospite posco
Vulnera, nec lacrymas sisti, quas luctus amorque
Fluminis in morem ex oculis decurrere cogunt,
Quando sic placitum patri, quando haec tibi mens est.
Hoc tantum matris lacrymis, hoc dulcis amori
Nate repende tuo et divini sanguinis undae,
Ut facilis caecae genitor fera pectora gentis
Luce nova irradiet. Tua te post funera saltem
Agnoscant crimenque suum, nec sanguinis illis
Incumbat vindicta tui, quo crimina mundi
Abluis et superas recludis gentibus arces.

Tales virgo pio volvebat pectore questus.
At saevi proceres et detestabile vulgus
Feralis voti compos, ferit aethera laetis

Vocibus; exultans Erebus plaudentia jungit
Agmina et indomitis mala gaudia mentibus afflat.
Nec mora, supplicii gravis instrumenta parantur
Certatim: enodes trunci duroque cruentos
Vexaturi artus pendentis cortice, raptim
In formam crucis aptantur. Lictoribus ipsi
Obtrudunt scribae clavos atque arma ministrant.
Scilicet haec avidos versat formido, coactum
Ne levis arbitrium mutata mente reflectat
In melius judex, populive insana furentis
Mitescat rabies, veluti cessantibus Euris
Naufraga caerulei componitur ira profundi.

Nunc age, quo nemore excisum, quo semine in auras
Eductum crucis arboreae medicabile lignum
Creverit, expediam rerumque arcana, benignis
Caelicolis ferruginei de faucibus aevi
Eruta, venturis pandam, quae copia, saeclis.
Nec sum animi dubius plures retulisse, fideque
Et vitae merito et studiis super aethera notos,
Quadruplici e sylva trabibus per mutua nexis
Artifices fabricasse crucem; si rite recordor,
Hi Pinum et Buxum numerant Oleamque Cedrumque
Ast alii Palma Buxum Pinumque Cupresso
Mutavere. Piis maneat reverentia scriptis
Debita; tam magno neque enim me dignor honore,
Egregiis ausim ut demens intendere litem
Ingeniis, quorum pronus vestigia adoro.
Quae tamen alma mihi non aversata vocantem
Calliope, Hebraeis e fontibus hausta, secundo
Suggerit afflatu inspirans, dicam; omnia dicam
Et prima breviter repetens ab origine pandam.

Post male libati discrimina tristia pomi
Flammi vomique minas gladii nemorisque beati
Exilium aeternis lacrymis maduisse nec ullas
Heu longo metas fertur posuisse dolori
Exul Adam, donec stellati e fornice mundi
Adstitit ante oculos coelesti luce refulgens

Angelus et lacrymas tergens sine lege cadentes:
En tibi felicis pignus memorabile ligni,
Quo stirpis reparanda salus, frangenda tyrannis
Luciferi et magno mors debellanda triumpho.
Dixit et excerptum vitali ex arbore semen,
Quae medium dulci paradisum dividit umbra,
Obtulit attonito superasque recessit in arces.
Ille autem longo visum post tempore granum
Accipiens, superis grates superumque parenti
Solvit et infodit terrae venerabile donum,
Signavitque locum, circumfusisque beatae
Sepibus inclusit surgentia vimina frugis.
Nec longum in medio tempus, cum numine munus
Foecundante suum, ramis felicibus ingens
Flore novo fructuque gemens Stygioque tyranno
Formidanda, leves se sustulit arbor in auras.
Ipse salutaris divino germine trunci
Gaudebat lapsas vires revocare fidemque
Arboris intuitu renovare atque aspera sortis
Exiliique mala et tristes moderarier aestus.
His dapibus Sethusque pater Sethique nepotes
Aetatem viridemque diu traxere juventam
Longaevae in canos et vivida fila senectae.
At vero ultrici cum tempestate nocentem
Obruit omnipotens terram, cum montibus ornos
Impositas quercusque polo capita alta ferentes
Sterneret indomiti vis imperiosa profundi,
Naufragii communis aquis immersa, fefellit
Semiadas serisque ignota nepotibus arbor,
Delituit multos frustra quaesita per annos.
Donec (si qua fides veterum monumenta sequenti)
Thuriferae regina Sabae, Salomonis ab aula
In patriam reditura, Deo illustrante, latentem
Frugiferas inter Libani vernantis alumnas
Prodidit et vera obscuris ambagibus abdens,
Hoc inquit, trunco (nec me vana omnia fallunt)
Jessaeorum aliquis claro de sanguine regum,
Rex ipse et patrii decus et spes unica sceptri,
Suspensus, dignam meliori funere vitam

Effundet. Rex fatidicae perterritus oestro
Reginae, excisam Libani de vertice tolli
Immergique jubet stagni pluvialis in undas,
Quo consecratas templo coeloque bidentes
Sacrifici purgant. (Priscis Bethsaida stagnum
Dicitur Hebraeis, piscina probatica Graiis)
Ex illo medicis stagnum venerabile lymphis
Arcebat membris febres et quisquis in undas
Primus ab Aligeri motu se immerserat, omni
Protinus excussa morborum peste redibat
Incolumis, ceu vere novo, cum lubricus anguis
Exuviis positis, maculis insignis et auro
Effulget trifidaeque coruscat spicula linguae.
Verum ubi primaeva nascentis origine mundi
Expectata dies, currum rapientibus horis,
Acta propinquabat, mortem eversura Stygemque,
Ecce tibi superum manibus, superumque parentis
Imperio, media intempestae noctis in umbra,
Extrahitur stagno truncus; templique ministro
Nescio cui (nomenque viri stirpemque vetustas
Obruit), in praedam cessit; qui percitus oestro
Invidiae stimulisque odii liventibus actus,
Exitium Christi immaturaque fata vel ipso
Acrior urgebat Caipha. Nihil ille latentis
Conscius in ligno virtutis, at unde quibusve
Advectum manibus stupet; illibataque cernens
Robora et in varios usus aptanda, revolvi
In sua tecta jubet. Sed enim dum perdere Christum
Stipite suffixum procerum furor impius ardet.
Impatiensque morae quaerit clavosque crucemque,
Non expectata cunctantis judicis urna,
Obtulit hunc avidis invisi in funera truncum.
Applausere omnes cursuque ad limina tendunt, —
Nam vicina domus, qui sese operasque locarant
Artifices instantque operi gratumque laborem
Enixi accelerant. Et jam surgebat in auras
Ter quinos crux alta pedes nodosaque in octo
Brachia protendens; onus insuperabile, cujus

Sive illam Alcides humeris ceu coelifer Atlas
Tolleret, immani gemerent sub pondere vires.

Jusserat et tabulam judex idiomate Graio,
Hebraeo Latioque inscriptam stipite summo
Affigi, quo causa necis manifesta genusque
Et patria et nomen populis spectantibus essent.
Non tamen Ausonio mens haec sine numine divum
Incidit, arbitrii quamquam inscius ille superni
Ambiguis tituli verbis lymphata frementum
Corda patrum et rabidos populi perstrinxerit aestus.
Nam pater omnipotens mentemque animumque Latini
Impulit inspirans tacite, ut morientis honorem
Testatum clara verborum luce tribusque
Expressum linguis terrarum agnosceret orbis
Et laeto caneret per saecla sequentia plausu,
Quod *Judaeorum Rex Nazarenus* JESUS
Damnatum effuso renovasset sanguine mundum.
At proceres indignati obliquamque tabellae
Invidiam et dubias manifesto in crimine voces
Scilicet, insanis clamoribus undique circum-
Fusi obtestantur, positis ambagibus ipsam
Supplicii inscribat causam. Negat ille simulque
Abripuit sese ex oculis, miseratus acerbum
Insontis funus detestatusque cruentam
Saevitiam invisae gentis, odia aspera patrum.

Ergo ubi inhumanis respondent caetera votis,
Purpuream Christo tunicam stimulante Megaera
Abripiunt notaque indutum veste latronum
(Cresceret ut saevae geminata infamia mortis)
Ire jubent medium et laceros supponere trunco
Infelici humeros. Rauco lituique tubaeque
Perstringunt clamore aures, peditumque cohortes
Atque equitum turmae instructae fulgentibus armis
A dextra laevaque reos longo ordine claudunt.
Proximus a tergo sequitur vestigia lictor.
Ipse etiam Caiphas proceresque hinc inde superbis
Sublimes in equis subeunt, morientis acerbos

Spectaturi obitus, irrisurique supremos
Exanguis gemitus; fidique satellitis instar,
Quemque tenebrosi genius comitatur Averni
Fraena tenens Stygiisque jubas serpentibus ornans.
Dux Acheronticolas portis bipatentibus ultro
Ire jubet Pluto nigroque e carcere turmas
Anguigenum effundit graveolentis monstra profundi.
Obsedere vias genii densaque corona
Infecere diem et vinci sua crimina gaudent.
Certatim tamen, heu nimium in malesuadà paratos
Consilia, impellunt facinus celerare, gementem
Ingentis sub mole trabis protrudere, amaris
Defessum excipere et tacitum turbare loquelis.
Ille autem, egregia superans pietate profanos
Illudentum ausus, onus illaetabile tergo
Sustinet et socios inter prodire latrones
Nititur; exhaustis sed enim jam viribus impar
Incerto titubare gradu et quandoque sinistrum
Inclinare latus quandoque oppressus iniqua
Mole crucis, dextra cadere et (quis talia fando
Temperet a lacrymis) duris allidere saxis
Ora luto faedata. Cruenta in tempora spinae
Altius impressae penetrant, fluit undique fesso
Corpore prorumpens commisto sanguine sudor.
Nescius interea poenis mitescere lictor
Invalidum clamore, minis et verbere crebro
Increpat et magnos acuit feritate dolores.
At procerum furiata cohors, crudelior ipsis
Carnificum fibris, tristi sub mole gementi
Insultant, risuque ardent incessere amaro
Succumbentem oneri. Coeline decemplicis orbes
Supposita firmare manu nutuque potenti
Eoum, occiduumque potes suspendere mundum,
Nate Deo, Impositique cadis sub pondere ligni?
Redde vicem trunco gratus, nec ferre recusa
Christe crucem; mox illa tuo haud ingrata labori
Te feret et fesso supponet brachia tergo.

Terque quaterque solo consumptis viribus aeger

Procubuit; lapsum toties patresque ferique
Carnifices patrum exemplum risere sequentes.
Ne tamen injusto toties sub fasce cadentem
Improvisa cruci eriperet mors, undique quaerunt,
Ecquis onus, prece vel pretio invitatus, in altum
Ferre velit montem munusque infame subire.
Talia volventes animis, nullumque Latini
Sanguinis Isacidae nullum de stirpe, vel ipsa
Morte intentata, funestum attollere truncum
Velle, suburbano venientem rure Simonem
Aspiciunt; valido solidae cui robore vires,
Integer ac aevi sanguis patiensque laborum
Corpus erat. Cyrenaeis hic natus arenis,
Coelestem Tyriam fulvisque leonibus actos
Irridens Cybeles currus, patriamque Deosque
Liquerat et Solymae vicinos vomere campos
Frangebat, gemino natorum pignore felix.
Hunc (procerum verbis moniti) clamore manuque
Carnifices subita invadunt ac multa stupentem
Feralem deferre trabem, precibusque minisque
Permistis urgent. Negat ille et saepe recusat
Triste ministerium; cum protinus aethere ab alto
Numinis imperio missus celer astitit ales,
Omnia Alexandro similis; falsumque parentem
Inspirans meliorem animum supponere trunco
Cervicemque humerosque monet; dignissima spondet
Praemia et aeternum ventura in saecula nomen.
Dum nati occursu subito turbatus inhorret,
Quem procul a muris in villa liquit, et unde
Haec juveni agresti surgat fiducia quaerit;
In coelum paribus revolans se sustulit alis
Angelus et claro vestigia lumine signat.
Ergo onus impositum facilis laetusque capessit
Attollitque humeris vitamque decusque nepotum.

Virginis at soboles subducto stipite, fesso
Ut respirandi tandem concessa potestas,
Undique diffuso perlustrat compita vultu,
Si quem discipulum videat, fratremve Jacobum,

Matthaeum Thomamve, gementisve ora Thadaei,
Solum in conspectu duodeno ex agmine cernit
Plorantem Domini fata immatura Joannem
Et matronarum lacrymas hinc inde sequentum.
O stupor! ille animus nulli superabilis oestro
Carnificum, mens illa patrum (ceu saxea rupes
Oppugnata omni pelagi coelique tumultu)
Tot furiis immota, cor impenetrabile telis
Mortis et inferni et linguis gravioribus atra
Cuspide serpentum Nesseique igne veneni,
Ingemuere piis lacrymis. Tot verbera nullum
Extorsere aegro gemitum, surdusque silensque
Mille insultantum crispanti nare cachinnos
Scommataque excepit; vicit patientia, quicquid
Impietas ausa est; pietatem vincere matrum
Non potuit. Fallor; neque enim patientia victa est,
Sed facilis vinci pietas et nescia amantum
Aut votis aures aut verba negare dolori.

Ne vero, ne me duri in certamen euntem
Funeris his miserae lacrymis onerate parentes!
Vos potius, vos flete infelicesque nepotes.
Namque dies infausta aderit, quam semper amaris
Incessent diris matres foecundaque saevo
Viscera tundentes planctu, felicia dicent
Flammea, felices taedas, quas nulla secuta est
Vindictam sceleris proles luitura paterni.
O miserae! immundo foedatos pulvere crines
Luridaque infixis lacerabunt unguibus ora.
Praecipitis scopulos avulsaque viscera montis
In sua devolvi capita et telluris opacae
Optabunt barathro condi. Mors ferrea duros
Ridebit gemitus optataque tela recondet.
His lacrymas servate malis, haec tempora flete,
Nam viridem tanto ramum si corripit ignis,
Arida quo tandem rapiat virgulta furore?

Haec ubi dicta, alio lacrymarum flumine mersam
Incidit in matrem seseque agnovit in illa;

Quis gemitus matris, quis nati ponat amorem?
Quis gemitus nati, quis matris ponat amorem,
Dum sese aspiciunt, nova matri vulnera natus,
Et nato facit infelix nova vulnera mater.
Namque suos virgo genitrix oblita dolores
In nato perit. Ille suos oblitus, amaro
Ingemuit graviter miserans genetricis et orbae
Saucius occursu. Non sic specularia vultus
Trajiciunt opposta suos, non impete tanto,
Cum se formosi mirantur amantque, per ipsos
Transcurrens oculos amor in praecordia, flammas
Auget et alterno confixos vulnere perdit.
Quam vellet nati pietas procul esse parentem!
Quam cuperet genitrix nati poenasque necemque
Perpeti et infami supponere brachia trunco!
Quis tristi scenae geminos miseratus amantes
Siparium obduxit? medium quis numine divum
Sese interponens, solis lunaeque labores
Eclipsinque illam impediit? vos dicite divi,
Et vidistis enim Aligeri et memorare potestis.

Non procul Aeratae ferali a limine portae,
Judicii cui cognomen longinqua vetustas
Addiderat (namque hic olim damnare nocentes
Isacidae, hic dubias judex cognoscere causas,
Dum staret Solyme, et regni fortuna maneret)
Claris orta atavis Berenice habitabat, avorum
Illustrem claris famam virtutibus ornans.
Addit ut insertus fulvo carbunculus auro
Vibranti fulgore decus. CHRISTI illa docentis
Sacra sequi, miro ardebat vestigia amore,
Et fidas praebere piis hortatibus aures.
Ergo ubi damnatum produci fama stupenti
Detulit, ingenti mentem turbata dolore,
Sepsit se tectis lacrymisque indulsit habenas.
Ut vero clamore virum et clamore tubarum
Excita, e speculis injusto pondere saevi
Stipitis oppressum prorepere vidit et ora
Virginis in nato natique in virgine fixa;

Non expectato casu percussa, per ipsam
(Addit amor vires) vulgi innumerabilis undam
Perrumpens mediam se injecit. Tempora cernens
Hinc illinc falsis circum manantia rivis,
Obtulit illacrymans fesso sudarium, ut atro
Pulvere et immisto maculatum sanguine vultum
Tergeret. Abstersit: vivumque reliquit in illo
Divini vultus concreto sanguine, turpi
Pulvere foedati et redimiti sentibus instar.
Et super haec dulci cernens horrore trementem:

Chara mihi meritique tui monumenta meique
Accipe amoris, ait, nullo superabile munus
Aetatis vitio, nulla violabile flamma,
Dum mea gens omnis memori sub pectore condet
Vulnera et ingentem mirabitur orbis amorem.
Te pariter laudesque tuas gens omnis Eoi
Occiduique orbis merito celebrabit honore.

LIBER DECIMUS.

Urbis ad occiduum Solymae latus arduus alto
Vertice subjectas despectat Golgotha turres.
Mons coeli medius terraeque, cacumine mundum
Dividit in partes (proavis si credimus) aequas.
Hic hominum genitor, vitiatae stirpis origo,
Exangues artus et cassum lumine corpus
Componi tumulo jussit, non inscius, illo
Monte triumphandam divino sanguine mortem,
Quo stirpis debellatae mors ipsa trophaeum
Fixerat. Hic superum manifesto numine tristem
Thariades aram posuit, dextraque repressa
Coelitus, invento sub vepribus ariete, coelo
Fecit et incolumem matri reduxit Isacum.
At vero Ausoniis dominantibus inclyta quondam
Gloria deperiit; Latiorum Golgotha vili
Carnificum officio cessit tetrisque nocentum
Damnatus tumulis, tristi subjecta mephiti
Gramina corrumpit spirantesque inficit auras.

Hic locus ex omni terrarum parte duelli
In scenam magni lectus; cui nulla praeivit
A prima mundi nascentis origine, nulla,
Orbis ad extremum flamma superante laborem,
Succedet similis pugna, hunc victricibus aptum
Insidiis, opifex rerum Sapientia, montem

Praetulit. Orcigenis circumvallata tyrannis
Mors campum ingreditur, moribundae tegmine carnis
Vulneribusque latens concurrit vita, superbo
Victorique diu sese hosti opponit inermem,
Morte sua ut mortem perimat. Mors inscia fraudis
Vincendo perit et propriis se conficit armis.

Omnipotens summo spectat sublimis Olympo
Pugnantem genitor natum certusque futuri,
Jam tum victori clari decora alta triumphi
Apparat. Alituum coelestum in nubibus omnis
Turma sedet spisso nebularum condita amictu.
Laetitiae medius vultus mediusque doloris,
Nunc iram tristi, nunc laeto lumine pacem
Dividit. At procul hinc Limbi squalentis opaca
Antra recluduntur sanctorumque agmina patrum
Eventum belli exspectant et magna sub alto
Gaudia (quae clari spes jam vicina triumphi,
Votorumque parit certissima) corde prementes,
Ingentem vultu produnt miserante dolorem,
Quin etiam (Ausonius quas circumplectitur orbis)
Omnibus excitae terris, omni aequore gentes,
Undique conveniunt manifesto numine tractae,
Scilicet ut tanti nunquam peritura triumphi
Fama vel invitum obrueret tot testibus orbem.

Huc simul ac durum vix longo tempore mensus
Virgine natus iter, tandem pervenit, anhelansque
Aegra reclinavit subjecto gramine membra,
Continuo veteri gentis de more parata
Firmandis in poenam animis lethique propinqui
Fallendum horrorem dulci spumantia Baccho
Pocula praelibans tremulis latronibus offert
Lictor, odoratique jubet generosa Lyaei
Blandior assueto, dona exhaurire. Falernum
Parcior oblatum Dysmas libavit, inane
Scilicet a vino miseris solamen, in ipso
Affore supremae cernens discrimine pugnae,
Qua formidando scelerum mors pondere pressam

Evellens animam; frangi flectique negantem
Sontibus intentat contempti numinis urnam.
At comes infelix scelerum mortisque, nec Orci
Nec superum metuens, dulci se proluit amens
Nectare, submersa cupiens ratione molestos
Eumenidum stimulos saevamque eludere mortem.
Jamque ubi latronum vires animique refecti,
Viribus exhaustum lictor crudelis JESUM
Aggrediens, non ora mero recreare sitimque
Pellere, non blando sermone levare dolores
Apparat, at pacem divini pectoris ardet
Invictamque Erebo stimulante, lacescere mentem.
Ac primum inflexo procumbens poplite, risum
Moturus sese excusat veniamque precatur,
Quod primum obtulerit sociis latronibus haustum.
Non hoc in tanti contemptum principis actum,
Si qua fides veri, sed enim properasse scelestis
Et merita cruce damnatis nebulonibus, unum
Vulgaris musti cyathum, dignissima rege
Isacidum immeriti in solamen funeris, omni
Arte paraturum nunc pocula. Talia fatus
Avertit sese vinumque scelestus amara
Corrumpit myrrha et commisto felle saporem
Asperat. Acceptum summo tenus attigit ore,
Libatumque, animo vultuque immotus, JESUS
Reddidit instantis signans mysteria lethi,
Cujus amarorem, quamvis gustare probroso
Annuit affixus trunco, exhaurire negavit.
Tam facili e tumulo rediturus in aethera nutu,
Fellea quam facili rejecit pocula dextra.

At tribus haec inter scrobibus sub vertice montis
Effossis, totidem divisas protinus aequo
Carnifices intervallo, terebrisque foratas
Defixere cruces; admotis denique scalis
Invadunt magno CHRISTUM clamore, trahuntque
Non obluctantem enixi, concretaque plagis
Vestimenta manu violenta avellere certant.
At capiti infixum tenero diadema relinquunt.

Scilicet ut duro pulvinar triste cubili
Congrueret, ne supplicio pars ulla deesset.
Non tamen abrepto recrudescentia amictu
Vulnera, non laceros hiberni frigoris horror
Perstringens artus, vexataque tempora adactis
In cerebrum spinis, tantum tibi CHRISTE doloris
Accumulant, quantum avulsis vel livida membra
Vestibus, ante oculos vulgi spectanda relinqui,
Casta verecundi ingemuit natura pudoris.

Hei mihi, Atlantaea infandorum mole laborum
Oppressus succumbo; negat jam exhausta malorum
Perpetua serie, feralis tristia ligni
Vulnera et extremos CHRISTI tentare dolores,
Calliope. Quicquid calamo manus aegra laborat,
Undantes delent lacrymae; jam florida tristi
Surripiunt se verba et in haec desueta vocari
Argumenta, latent. Quisquis morientis amore
Incensus moesti chartas percurrere vatis
Et meritos saevae gemitus exsolvere morti
Ardescis, ne verba pios cogentia fletus
Ne quaeras, ubi verba dolor secludit, et ultro
Sese erupturas lacrymas facundia sistit.
Aeternum, immensum, sanctum, immutabile verbum
Aspice, quod brevibus membranae Virginis oris
Inclusum, crucis in tabula sublime refigunt
Carnifices ferreis adamantina pectora! clavis.
Aspice porrectam ut crudeli cuspide dextram
Perforet insultans lictor, vi mallei adactum
Transeat, ut carnem ferrum laceretque cruento
Mucrone, ut det fossa locum longeque recedat
Interrupta cutis, fractique hinc inde resultent
Articuli et divulsa suis compagibus ossa.

Protinus arreptam simili feritate sinistram
Sed poena graviore manum figuntque premuntque
Crudeles, nam perfossae post vulnera dextrae
Brachia divisis (dictu miserabile) nervis
Aptatum clavo fugiunt contracta foramen.

Ergo omni laevam feralis lictor opum vi
Protrahit et clavo bis, ter, connixus acuto
Transadigit, fixae irritans data vulnera dextrae.
Horrisonis stridens circum gemit ictibus ingens
Mons, resonant moestae concusso vertice sylvae.
Et sonitum procul accipiens, evicta dolore
Concidit infelix mater; calor ossa relinquens,
Vix tandem exangues rediit diffusus in artus.
At vero teneros, heu ferrea pectora! pergunt
Impulsis per utrumque pedes configere clavis.
Mox superimpositum capiti nomenque genusque
Atque affectati funesta calumnia sceptri.
Tum gemini a dextra fixi laevaque nocentes,
At media excelso crux vertice despicit ambos,
Et caeco imponens populo, traducit Jesum,
Ut scelerum egregium artificem regemque latronum
Atque hic carnifices perfecto crimine scissas
Quatuor in partes aequo discrimine vestes
Ipsius ante oculos risu salibusque protervis,
Ut debellati spolia exuviasque tyranni,
Ostentant populo rapiuntque. Heu undique tristis
Trunci ignominiam Christique augere dolores
Solliciti! at tunicam, quam charo laeta laborum
Ipsa suis manibus nato contexuit olim
Virgo parens et crescenti concrescere in annos
Temporis immunem vidit stupuitque viriles,
Quod lucrum cupidis speratum scissa negaret,
Fortunae potius placuit committere, ut illi
Cederet in lucri cumulum illibata, secunda
Cui jus annueret, productis sortibus, urna.

Spectabat fixum populus mortisque cruentae
Infelicem ignominiam, et clarissima quondam
Prodigia ancipiti collata examine librans,
Nunc hac nunc illac curis rapientibus errat.
Hi saevam Amosidae serram sparsumque cerebro
Pontificis magni et commisto sanguine templum
Baptistaeque necem repetunt indignaque vatum
Funera, quos populi rabies, regumque tyrannis

Impia sacrilego insontes violaverat ausu.
Hos inter CHRISTUM numerant, paribusque cruenti
Oppressum Caiphae furiis pendere queruntur.
Sunt, qui Coelicolis invisum, vindice coelo
Damnatum, irrisae meritas in stipite legis
Et populi censent illusi solvere poenas;
Suffixi tamen exitium miserantur acerbum
Difficilesque obitus gemitu lacrymisve sequuntur.
Ast alii heu facinus petulantis spicula linguae
Certatim in miserum stringunt intinctaque felle
Gorgoniisque vibrant spumantia tela venenis.
Vah miser, opprobrium generis patriaeque, sacrarum
Eversor legum! nunc, nunc saltem, auspice Averno,
Thessalicis age Jessaei decora inclyta templi
Carminibus prosterne solo destructaque, magni
Promissi memor, Atracio rursum erige cantu!

Talibus insultant, atque insultantibus ipsi
Applaudunt proceres, moribundumque acrius urunt.

O ubi nunc vis illa, graves expellere morbos
Obstrictisque potens manes revocare sepulchris?
O ubi nunc pater ille Deus? quid vulnera nati
Dissimulat durumque infami in stipite lethum?
CHRISTE Dei soboles tot decantata Prophetis,
Eripe te his invicte malis truncoque relicto
Divinum testare genus, clarumque volentes
Numen et a patrio missum credemus Olympo!

Talibus Isacidum furiis exarsit in iras
Coelituum munus omnis et auxiliaria bella
Ultricesque acies, sceleris novitate coacta,
Molitur. Dux iratas Astraea phalanges
Antevolans, summi praeceps penetralia coeli
Scandit et ardentes oculos justoque furore
Terribiles volvens, ora indignantia solvit.

Terrigenum infandam rabiem, quonam usque feremus,
O Genitor periere olim jus fasque piumque

Nunc etiam natura. En ut liventia nati
Membra tui mediaque oculos in morte natantes
Proh scelus! irrident, quos victima sanguine fuso
Lustrat et aeterna moriens a morte reducit.
Esto, olim nimia victus pietate, nefandas
Virgineo terrae furias abolere cruore
Annueris vetitique nefas miserabile pomi
Solvere, ferali suffixo in stipite nato:
Num tamen hos procerum risus, atque impia vulgi
Scommata sacrilegi Judex tolerare, vel illa
Jam jam expirantis genitor ludibria nati
Dissimulare potes?
Quid superest, nisi ut immemores mortisque tuique
(Quos nemo tamen irridet) convitia jungant
Insultentque Deo suspensi hinc inde latrones?
Ultor Elisaei pueros immitibus ursis
Objicis, irato Thesbitae fulmina cudis
Et spretum nati pateris morientis amorem?
Hei mihi, quod meritis damnatus fluctibus orbis
Non potuit mergi! coeli secura marisque
Arca natat vastoque sinu tutissima claudit
Reliquias hominum, quorum de stirpe nepotum
Improba progenies ingrataque cresceret, ipsum
Affixura cruci, fixum irrisura salutis
Authorem. Vulgi indomiti feralia vota
Audisti genitor; quantoque ardore frementes
Divini in sese poenas gens tota cruoris
Et nondum genitos devolverit impia natos?
Sanguine si tanto pomi redimenda cupido est,
Sanguine quo tanti redimetur sanguinis urna?

Finierat justas diva iracunda querelas
Atque omnes uno consensu, uno ore favebant
Coelicolae. Haec inter tristi Clementia vultu
Gratior, et lacrymis oculos suffusa, parentis
Aetherei complexa pedes procumbit, acerbo
Victa dolore animum, quando placuisse querentem
Aspicit. Atque ideo iratae nihil ipsa sorori,
Nil superis, primae quos intractabilis irae

Impetus abstulerat, nil laeso callida patri
Opposuit, nisi pendentes sine lege capillos,
Supremis similes gemitus potioraque verbis
Flumina et incensum citius flexura Tonantem.
Postquam aliquid lacrymis sese evicisse profusis
Sensit et afflictae gemitus et lumina matris,
In coelum suspensa, suis accedere votis
Cunctantemque patrem, placido sic pectore coepit:

Si nimium audacis generi succurrere Adami
Mens eadem tibi, sancte pater, quae semper et ante
Fatalis pomi crimen mundique ruinam,
Quid seris vindictam acuit germana querelis,
Cum jam virgineo lustratur sanguine tellus?
Triste quidem durumque nefas omnique (fatendum est)
Supplicio gravius caeci, ingratique rependunt
Tot Christi meritis; sed enim insuperabilis omni
Et scelerum numero et furiarum pondere, nati
Pectore regnat amor. Si mundi crimina dextram
Ultricem exposcant, nati cruor obstat amorque
Criminibus major; scelera obruet ille suoque
Fulminis extinguet flammas amor obvius igne.
Quid tamen obnitor? superat si justa sororis
Ira, quid infami suffixus in arbore pendet
Omnipotens? quae causa necis? descendat ab illo
Ipse sui vindex trunco dilataque frustra
Sceptra poli repetat, si res nunc fulmine agenda est.

Audierat moestam genitor propiorque neganti
Vultus erat. Durae scelus intolerabile gentis
Augebat nati praesens morientis imago
Subdebatque faces, patrioque alimenta furori.
Sensit Dius amor librari fulmina et ingens
Exitium terris supremaque tela parati:
Continuo rapidis delapsus ab aethere pennis,
Quantus erat, totum exanguis se pectore CHRISTI
Condidit atque omni rapuit praecordia flamma.
Ille autem immenso liquefactus ab hospite et igne
Immortali ardens: o parce furentibus, inquit,

Parce Pater! veniam ignaris scelerumque meique,
Da votis evicte meis gemituque; profusi
Sanguinis haec merces, lacrymarum haec meta mearum est.
Vix ea fatus erat, cum voti certa, paterna
Excussit fulmen victrix Clementia dextra.
Ipse etiam omnipotens nati pietate liquescens,
Tempora composuit, majestatique serenae
Ingeminans posito radiosque decusque furore,
Talibus attonitos domini expirantis amore
Alloquitur superos. Supremi regia coeli
Machinaque aetherei siluit pulcherrima mundi;
Conticuit tellus, venti posuere, quieti
Substitit unda freti, turbatus inhorruit Orcus.

Has egone ut lacrymas, hos chari sanguinis imbres,
Supremas nati voces et vota repellam?
Quae scelerum facies, quae insanae crimina gentis,
His aurem occludant precibus? rata vota tulisti
Nate, meae vires, mea magna potentia, solus,
Nate! patris laesi qui tela ultricia frangis
Morte tua. Meruere tui, meruere labores,
Plus etiam, quam vota petunt. Jam vincor et iram
Pono libens. Vetiti scelus immedicabile pomi
Occidat, et fallax lethalis spuma veneni
Tartareum premat in fauces revoluta draconem.
Vicisti mea progenies. Quicunque stupendis
Prodigiis tractus, quae jam exspirantis honori
Terra polusque parant, saevos damnaverit ausus:
Morte tua veniam accipiet. Qui numina spernet,
Nate, tua et tanto ingratus pugnabit amori:
Sanguinis irrisi dignas, quas impius ultro
In caput ipse suum, natos serosque nepotes
Devolvit, poenas aeterna morte, superstes
Ipse sibi, subeat. Satis huc, satis usque rebellis
Cervicem populi, duraeque immite novercae
Ingenium, Chami sobolem et germana Caini
Pignora sustinui, mitramque stolamque novique
Jus regale sacerdotii coelumque capessat
Progenies melior. Charae succedite gentes,

Vos ego vos pater aeterno complectar amore.
Dixerat omnipotens. Positis Astraea querelis
Victrici plaudens dedit oscula laeta sorori.
Gratantur superi: faustis nova foedera votis
Aurea pax vinclisque suis Concordia firmat.

Prima laborati quando fundamina mundi
Disposuit, medio lucentis in aequore coeli,
Artifici templum struxit Sapientia dextra.
Templum augustum, ingens, non aeris mole superbum
Flaventisve trahens auri de luce decorem,
Non Pariis fultum aut Phrygiis insigne columnis,
Sed Labyrintheo perplexis ordine ramis
Arborum, in aethereis quas sol suus educat hortis.
Aeterno virides stellantum flore comarum.
Sic ramos ramis intexerat illa, patentis
Ut nemoris speciem induerent templique latentis.
Pellucente pavimentum distinxerat auro,
Quod vitreis interserpens cristallinus undis
Scindebat fluvius, magni de sede parentis
Emanans; quo flammivomas animare sagittas
Mille pharetrati, coeli gens aurea, amores
Assueti, dignas divino munere mentes,
Quando jubet genitor coelestibus urere flammis
Defessosque animos dulci renovare beatae
Ambrosiae gustu. Variis circumque supraque
Arboribus vernant ripae; quas amnis amoenis
Foecundat rivis pomisque perennibus ornat,
Inque orbem redeunt fruges mensesque coronant
Poma renata suos. At gloria frondibus ingens
Additur, oppressas vitiorum pondere mentes
Appositae renovant, impuri spicula amoris
Educunt rapidumque extinguunt Cypridis ignem.

In medio ramos annosaque brachia tollit
Immortale virens victrici germine palma,
Et damnis foecunda suis et vulnere dives;
Namque uno avulso, ramus non deficit alter
Aureus, et simili fulget nova virga metallo.

Innumerae pendent ex omni parte coronae,
(Queis gravida Eois regum diademata gemmis
Compositae sordent) foliisque sub omnibus haerent
Unius radicis opes, non addita ramis
Gloria, sed pariter crescens in sidera, ab uno
Fonte fluens et sole bibens et stirpe virescens.
Purpureis pars illa rosis rubet; illa nitentes
Explicat; has gemino videas confundere amoeno
Attonitos oculos, violis haec pallet, at illa
Auricomo rutilans foliorum spirat honore.
Sunt, quibus omne genus flores (mirabile dictu)
Conciliant pretium; nec odor turbatur odore,
Nec fallunt oculos, nec mixti damna decoris
Ulla timent; auget numerus, non tollit honorem.
Cuique suum fulget decus invitatque beatas
Victorum mentes, coeli quibus annuet arcem
Omnipotens meritaeque addicet praemia palmae.
Ipsae etiam frondes, interspirantibus auris,
Nunc in devexas facili sinuamine terras
Curvantur, nunc sublatae super aethera rident
Affectantum ausus; nunc ramos serta relinquunt
Illa, vel illa suos externaque vimina quaerunt.
Et quamquam inscriptae victorum nomina frondes,
Sertaque designent, apices tamen alta micantes
Nox tegit et vario alternantes ordine mutat,
Implectitque; ipsos etiam suspendere gaudens
Coelicolas, sed quemque suo Sapientia rursus
Ordine distinguens, maturo tempore pandet,
Quae quibus obtingent post vitae fata coronae.

Interiore domo gens coeli alata diurno
Nocturnoque instans operi sudabat et omni
Arte adamanteam cudebat nixa catenam,
Vasta secuturi involventem tempora mundi.
Hic rutilum fundit flammis torrentibus aurum,
Hic liquidis plumbi rivis, hic aere refuso,
Pars ferro undanti, pars argento igne soluto,
Pars mixtis certatim implent stridentia labra.
Jamque operosa cohors, procerum indignata procacem

Saevitiam, infaustum e plumbo ferroque rigenti
Producebat opus. Morbis feralibus, atris
Prodigiis bellique furoribus annulus omnis
Horrebat; rapidi fatales fulminis alae.
Venti naufragiis gravidi crinisque Cometae
Exitiale rubens et non innoxia flamma
Aestiferi canis in feralis pondera plumbi
Intorquenda ibant; cum diva Pronaea, sororum
Agminibus stipata, jubet funesta resolvi
Vincula materiaeque oritura in saecula fundi
Nobilioris opus. Parent, stagnantiaque auro
Vasa et spumantes argento et aere lebetes
Festinant. Superant argenti pondera et auri,
Deteriorem aeris ac ferri fusilis undam.
Circumstant hortatrices laeto agmine divae
Permulcentque animos cantu. Pax alma salusque,
Aurea libertas, cornu foecunda beato
Copia, formosae Charites, operantibus addunt
Auxilium sociasque manus roremque perennis
Ambrosiae affundunt operi propriosque colores.

His demum exactis, turrim, quae vertice celso
Ardua siderei despectat culmina templi,
Ascensu superant; armamentaria coeli
Vindicis appellant superi.
Hinc, fortunato cum formidabilis horto
Expulit ingratum facili cum conjuge Adamum,
Ignivomum sumpsit gladium, portisque sub ipsis
Pervigil, opposito genius mucrone fugatos
Arcet ab ingressu misera cum stirpe parentes.
Hic pluviis gravidae claves servantur abyssi
In poenas scelerum, aërii quibus ostia coeli
Ultrici patefacta manu nimbosque hyemesque
Effudere catenatas; quando altior orbem
Obruit exciti vis conjurata profundi,
Hic jacet indomitis aries, qui cornibus imi
Fundamenta soli quatit, impulsuque trementes
Sternit humi mutos et montes funditus altis
Sedibus evulsos ignota in gramina torquet.

Illic victricis tela immortalia turmae
Et clypei pendent, queis contudit impia Ditis
Agmina bellator Michaël et pulsa supernis
Arcibus aeternos Erebi detrusit in ignes.
Parte alia primae pendebat flebile culpae
Chirographum, et juxta reserando clavis Olympo
Ante orbis lapsi cladem fabrefacta; sed aevi
Atque hominum vitiis neglectam aerugo premebat.
Verum ubi siderea clamor morientis in arce
Auditus, pacem coelo terrisque reduxit,
Chirographum infaustum victrix Clementia dextra
Corripiens, rapidis descendit ab aethere pennis
Affixitque cruci Christique in sanguine tinxit,
Continuo aeternae scriptum lacrymabile mortis
Solvitur et septemgemini disrupta sigilli
Vincula dissiliunt. Chorus interea omnis Olympi
Occlusas superum portas, facto agmine, pandunt.
Mox geminas coeli claves, aerugine tersa,
Arripit alma Fides; atque irrevocabile Petro
Et patrum patribus munus laetissima servat,
Quos fidei haeredes et sedis, praesule felix
Roma Petro, Christique sacris imbutus in omne,
Quod superest aevi spatium, venerabitur orbis.

Jamque pharetrati vitali in flumine amores
Tela novant versantque suis fera corda sagittis.
Praecipue rapido confixus viscera telo
Exarsit, dextra suspensus ab arbore latro;
Hunc omni a turba selectum cuspide certa
Fixit amor, castis penetrans praecordia flammis.
Nunc age, qua sancti coelestia vulnera amoris
Promeruit claramque necem, dicam, auspice coelo,
Dicam equidem, nec te tacitum mea musa relinquet,
Cui primum radiis coeli majoribus aucto
Aurea vulnificis redimitum tempora spinis,
Funestaeque trabi suffixum agnoscere regem
Terrigenum superumque datum est. Non te horrida trunci
Decepit facies, nec mors indigna fefellit.

Cum saevi gladios facinusque immane tyranni
Niliacas fugeret per noctem abreptus in oras
Intactae charis CHRISTUS genitricis in ulnis,
Fama est, praerupta stabulantes rupe latrones,
Dum spoliis inhiant, senis observasse Josephi
Errantem et viridi pascentem in gramine asellum.
Continuo non speratae dulcedine praedae
Allecti, per opaca ruunt antroque relicto
Explorant vigili nemorum secreta labore.
Idem omnes simul ardor agit, nec longa fefellit
Spes avidos. Patulae cernunt sub tegmine quercus
Procubuisse senem et juxta residere decoro
Insignem vultu tenera cum prole puellam.
Invadunt pavidos. Nec frustra obnititur ille
Innumeris unus; senioque et viribus impar
Armorumque rudis; gemitu tantum aspera tristi
Fata stupet tacitoque implorat numina questu.
Virgo parens sponso pariter natoque dolores
Impendit captiva suos, puerumque madenti
Aspiciens vultu, patri matrique tibique
Porrige, ait, facilem mea magna potentia dextram.
Continuo divinum oculis afflavit honorem,
Et suspirantis delibans oscula matris;
Hunc ipsum dextro suffixum stipite, dulci
Sidereae frontis majestatisque serenae
Percussum terrore rapit. Miratur amoeni
Imperium vultus et cor penetrantia blandi
Tela supercilii nec dulcem sustinet iram.
Humanum negat esse decus, quod pectora vinclis
Indomita arcanis religat, victusque potentis
Illecebris oculi, puerum genitricis ab ulnis
Abstrahit arridentem avidisque amplexibus ambit.
Ardet amans capiturque tenendo ac oscula crebra
Infanti ingeminans (neque enim abnuit): accipe, dixit,
Accipe diva parens natum festinaque opaci
Hospitium nemoris malefidaque lustra relinque!
Ipse ego te fido per devia tramite ducam,
Sin renuis talemque ducem indignata recusas,
Carpe viam secura, meorum nulla latronum

Impediet te, diva! manus, tantum, alma, memento,
Si quisquam comitum occurrat, proferre Dymantis
Infausti nomen; socios haec tessera flectet.
Quid tamen haec frustra moneo, discrimina quando
Cuncta tuus vincet, qui me sibi subdidit infans?
Tu quoque qui charae ludis genitricis in ulnis
Et teneris puerum membris vultuque, sed alta
Majestate Deum praefers, miserere Dymantis,
Et quando veterum involvet me poena malorum,
Officii memor, oro, tuo succurre latroni!

Non aversatus tam candida vota, cruento
Agnovit pendens, pendentem in stipite, CHRISTUS
Atque insperata divini luminis aura
Afflavit mentem; afflatus deprendit in ipso
Semianimis vultus pallore oculisque retusis
Majestatem illam, in puero quam senserat olim.
Oblitusque sui, causam morientis et omnem
Supplicii infamis faciem scrutatur, acerbi
Ut ferat ingenium lethi duramque coronae
Flagrorumque ignominiam. Quo pectore amaram
Excipiat procerum rabiem, quo scommata vultu.
Constantem placidumque videt; miserantis, amantis
Vota, quibus saevis veniam pius hostibus orat,
Audit et admirans rapitur, raptusque liquescit
Insignis pietate animi, pendentis honore,
Spe veniae, desiderio morientis, amore
Parcentis; pulchrumque mori succurrit, eodem
Quo vitae mortisque author dignatus obire
Tempore, supplicio raptum; felicia censet
Crimina, felicem opportuni funeris horam.

Haec secum memorans, socii malesana latronis
Murmura et in media conceptum morte furorem
Accipit. Ille omnem procerum plebisque coronam
Effusa effrenis stomachi petulantia, in unum
Aspiciens conjuratos saevire; nec ullam
Viperea in CHRISTUM solvi sine cuspide linguam,
Sive aliquem spretae decerpere mortis honorem,

Seu longi facilem, properato funere, metam
Supplicii optabat, spe in praeceps actus inani:

Fer sociis, exclamat, opem latronibus, atque his
Eripe nos rex magne malis, si tanta potestas,
Si tibi de coelo pater et coelestis origo est.

Non tulit indignos comitis miserabilis ausus
Insanumque Dymas dictis stimulantibus urgens,
Increpat: o nimium factorum oblite tuorum,
Ultorisque Dei mortisque in limine stantis!
Tune etiam, o demens, tot telis undique fixum
Incessis? quid si mortem inculpatus obires,
An scelerum te damnato insultare deceret?
Et reus insontem mordaci voce lacescis?

Erubuit miser, his socii sermonibus ictus,
Impiaque insanae pressit convitia linguae.
Non tamen agnovit facinus nec credere quivit
Patre Deo genitum, quem infami stipite cernit
Suffixum tot ludibriis impune lacesci.
Aut veniam aut certam posse indulgere roganti,
Quam negat ipse sibi moribundo afferre, salutem.
Ergo ubi nil actum Dysmas persensit, at illi
Obriguisse fibras et non tractabile pectus,
Tristis et ex imo suspiria pectore ducens,
Supplicibus facilem votis affatur Jesum:

Sis memor indigni, superum rex magne, latronis,
Cum regno potiere tuo. Nec plura: benignis
Nam pius aloquiis orantem excepit Jesus:

Hac mecum sub luce mei decora inclyta regni,
Crede mihi, ingentis pars non temnenda triumphi
Accipies; nec te pietas tam clara fidesque
Irrita, nec mea deludent promissa merentem.

Ter felix latro! cui crux infamis honorem
Conciliat, cui praeda Deus coelumque rapina.

Tu primus vitis palmes coelestis, et uvae
In cruce calcatae felix pincerna, rigati
Sanguinis intacti pluvia flos primulus orbis,
Semianimis praeco, morientis martyr Jesu,
Primitiae mundi asserti, memorabile mortis
Atque Erebi victi spolium, parcentis Olympi
Vel desperatis pignus venerabile noxis.

At vero ut Domini mortem Natura propinquam
Sensit, inhumanos tandem excussura furores
Indomitis populi fibris, dignasque parenti
Exequias factura suo, sese ipsa suasque
Contempsit leges, rege expirante perire
Affectans, coelum ingenti terramque tumultu
Miscet et insano confundit cuncta dolori.
Ac primum egregios moerens discindit amictus,
Divitias exosa suas et Daedala pallae
Ornamenta, rubens quam cocci stamen et albens
Byssus Amycleo belle intertexta Hyacintho,
Tinctaque Sidoniis variabat purpura ahenis.
Emicat in cocco coeli ad confinia torrens
Ignis et auricomis accendit sidera flammis.
Proximus Oebali lascivit in orbe Hyacinthi
Aër et pictis volucrum diffinditur alis.
Figitur in bysso tellus varioque decore
Hic tumet in montes, hic coelum turribus ambit,
Hic cadit in valles et pellucentibus undis
Ebria, dat flores hortis, dat gramina pratis,
Et sylvis umbras et fruges parturit arvis.
Oceanus viridi indignantem purpura inundans
Fluctibus includit, teretes per litora gemmas
Spargit et hospitibus sternit vada falsa carinis.
Tranquillis placidi ludunt delphines in undis
Squamigerique greges sinuantia carbasa praedae
Expositi spectant inimicaque retia temnunt.
Hoc pater omnipotens primi sub tempora mundi
Naturam ornatu induerat limbumque corusca
Luce metallorum pictum distinxerat omni
Quattuor aetatum vultu. Natura parenti

Non ingrata suo, exanimis sub funere CHRISTI
Victa gravi rupit donum admirabile luctu
Et capiti impressum diadema, decemplicis orbis
Aeternos referens gyros animataque stellis
Atria projecit; meteorumque ungue feracem
Canitiem lacerans atque atro livida peplo
Membra tegens largis humectat fletibus ora.

Ut primum invisi perrupit viscera montis,
(Huc namque ex omni terrarum parte cruenti
Spectatura modum lethi successerat) udos
In coelum tollens oculos, videt ire sub undas
Hesperias pleno glomeratam lumine Phoeben.
Ut vidit, magna fugientem voce secuta est.
Quid fugis, incassum tua vulnera, virgo, dolorem,
Si cupis ingentem monstrare, revertere Phoebe;
Cui jubar infelix properas nocturnaque in orbem
Sidera, roriferis per inane reducere bigis?
Christus obit, tua vita perit, tuus hei mihi! Apollo
Occidit. Ipsa meos a te Natura reposco
Occumbens radios; poscit Germanus et Author
Naturae expirans. Tot deposcentibus ultro
Redde, laboranti succurre miserrima mundo,
Et meritos Domino morienti impende dolores!

Dixit: et Aligerum subita vi impulsa, jugales
Flexit et attonito Phoebe redit obvia Soli.
Occiduasque rotas jam praetergressa, gementi
Se fratri mediam opponens terraeque cruentis
Unguibus ora secat. Coelum rubet omne colore
Purpureo, et sparso livescunt sanguine nubes.
Obruitur spissae nebulis caliginis orbis
Desperatque diem rediturum, altoque stupore
Percussi, aeternas populi timuere tenebras.
Turbantur subitis properatae noctis opacis,
Quae virides late sylvas atque aspera dumis
Rura creatricemque colunt animalia terram,
Quaeque secant vitreas pinnis radentibus undas,
Quaeque per aëreas pennis pernicibus auras

Alta petunt. Imo conduntur in aequore pisces,
Et pavidae obscuris nemorum clauduntur in antris,
Non ausae prodire ferae, subitaque sepultum
Nocte diem rabidamque famem praedamque negatam
Insanis plangunt per inhospita lustra querelis.
Illae autem, densis quas immatura tenebris
Nox procul a stabulis errantes opprimit, umbris
Prospectum ex oculis omnem rapientibus, haerent
Ambiguae, quae prima petant, quo deinde ferantur,
Ignaraeque viae, dum nota cubilia lustrant,
Praecipiti ignotas cursu rapiuntur in urbes
Pignoraque horrendo mugitu amissa requirunt.
Suspensae medio volucres sese aëre librant
Et charis miserae selecta cacumina nidis
Vestigant frustra quaesitaque pabula curvis
Excutiunt rostris. Opera interrupta gementum
Artificum pendent. Pressis ad dulcia natis
Ubera, solicitae matres pallentque stupentque
Et trepido huc illuc fugiunt per opaca tumultu.
At quibus ingenium et veri labor improbus, ortus
Surgentis Phoebi atque obitus cursusque viasque
Astrorum et varios Solis Lunaeque labores
Nosse dedit (qualis doctae Dionysius urbis
Egregium decus) horribiles sine lege tenebras
Cernentes, tantique modum spatiumque morasque
Prodigii, obstupuere animis, mundoque supremam
Advenisse diem vel mundi obiisse parentem,
Agnovere. Erebi pestes et tristis Averni
Saeva manus terris expulsa, inamoena profundi
Antra tremens repetit; tanquam compage soluta
Extremos orbis rueret damnatus in ignes.
Ipsi etiam Caiphae et sociis, quos impulit atrum
In facinus sacri sitis impacata cruoris,
Conscia mens arcana gravi praecordia morsu
Pertentans, gelido perstringit frigore membra
Et rabidas tremula occludit formidine fauces.

At vero infandis numeroque carentibus, uno
Agmine in affixum vique incumbentibus omni,

Exhaustus poenis, ceu flos succisus aratro,
Languescit moriens CHRISTUS. Jam serpit in artus
Exangues lethi properantis praevius horror;
Ora cruor pallorque genas corrumpit, hebescunt
Immersi lacrymis oculi, nec sustinet ultra
Nutantis pondus capitis miserabile cervix,
Brachiaque et gemina perfossae cuspide plantae,
Corporis ingenti incumbentis mole laborant.
Crux humeros nodosa terit, tum frigidus atro
Sanguine commixtus per membra rigentia sudor
Defluit, invictumque malis cor, mille dolorum
Ictibus impulsum, mille inter vulnera nullam,
Qua mors irrumpat, qua vita oppressa recedat,
Miratur patuisse viam. Praesentia matris,
Dedecus infamis trunci, violata malignis
Fama probris, fuga Discipulum gentique reposta
Supplicia et super ingrati pars maxima mundi,
Contemptura redemptoris morientis amorem,
Accumulant ipso graviores funere curas.
Subtrahit interea genitor tot fluctibus acto
Proh dolor! arcanos divini nectaris haustus,
Et nulla Aligerum solatia, nulla beatae
Gaudia mentis in exhaustum se effundere corpus,
Atque incredibiles patitur lenire dolores.
Scilicet ut quando faciles in devia flecti
Effuso moerore animos premit ira parentis,
Et dulces meriti in cumulum suspendit amoeni
Aetheris illecebras, omnem superare ferendo
Discamus vitae sortem coelique probantis
Ferre manum, nec turbatis spes fida faventis
Numinis indigno titubet concussa timore.
Ipse etiam (ne Romulidum vulgique corona
Spectantum consummata virtute ferentis
Difficilis lethi tormenta gravemque laborem
Decepti, nihil hos animum tetigisse dolores
Coelestem assererent:) magno clamore parentis
Aetherei ingeminans nomen lacrymisque profusis
Ora rigans tales effudit pectore questus.

Quid natum infami morientem tu quoque trunco
Deseris alme parens? ridet malesana querentem
Turba ac Hebraea ludens in voce, quid (inquit)
Eliam extremo moriens clamore fatigat?
Ergone flammanti vectus per inane quadriga
Infausto miserum pereuntem stipite vates
Avellens secum aethereas abducet in auras?

Haec quoque tranquilla, qua pertulit omnia, mente
Excipit et tacito secum sub pectore versat,
Ecquid adhuc sacri divino carmine vates
Praedixere, quod effectum sub funere reddat.
Caetera jam perfecta videt solumque deesse,
Quod finem poenis et vatibus addat, acetum.
Continuo (namque arentes sitis aspera fauces
Jam dudum exhausto tot plagis corpore vexans
Acrior extremo vitae sub limite saevit)
Morte graves oculos aegre reclusit et uno
Expressit verbo sicci tormenta palati.

Quis tibi virgo parens spectanti talia sensus?
Quasve dabas lacrymas, cum nudus et omnium egenus
Fons vitae, rerumque sator, qui flumina duri
E venis silicis proavis sitientibus olim
Excussit miserans, qui te poscente falerni
Induit in florem vitreis e fontibus haustas
Hospitis ad mensam lymphas, jam posceret haustum
Fontani laticis moriens? ah! siste ruentes,
Siste tamen lacrymas, sitienti afferre levamen
Effusae nequeunt, possunt augere dolorem.
O ubi nunc puri dulcissima flumina lactis,
Uberibus quae saepe tuis expressa, liquenti
Nectare plorantis pueri pressere querelas!
Heu quibus hinc oculis, quibus inde miserrima lustras!
Quis tandem ex omni populo, quem paverat ipse
Defessum appositis deserta per arida mensis,
Quaesitam gratus morienti porrigat undam!
Vix tandem bibula correptum spongia acetum,
Nescio quis, summa suspendit arundine et ori

Admovet. Ingratae suprema haec munera gentis
Non dedignatus, deductis faucibus hausit.
Scilicet ut facinus, quo terram prima palati
Polluit ingluvies, vetitae dulcedine falsa
Arboris irritata, ipsa sub morte piaret.
Exin orbatae demisso lumine amaras
Virginis aspiciens lacrymas et pallida miris
Ora modis similesque suis in matre dolores,
Ingemuit graviter miserans; cumque omnia pridem
Hostibus ipse suis bona divisisset, amoris
Extremum eximii pignus moribundus amanti
Dilectum matri juvenem legavit. Acerbo
Debita at heu nimium solatia curta dolori!
Non ingrata tamen, seu donum sive datorem
Muneris inspicias sive acceptantis amorem.
Mox charum (egregii memorabile pignus amoris!)
Discipulum jubet in nati succedere nomen
Solarique orbam officiis et amore parentem.
Hic demum exacto susceptae munere vitae,
Qua licuit spinis caput impedientibus, aegros
In coelum attollens oculos suspexit et alto
Cum gemitu extrema genitorem voce salutat. —

Si mihi, si nondum penitus detersa profuso
Sanguine primaevae labes tristissima culpae
Occiderit, tuaque in miseram justissima stirpem
Victa meis nondum poenis decesserit ira:
Quicquid ad haec fieri, genitor, tua sancta voluntas
Perferrique cupit, decerne, libensque volensque
Exequar. Innumeris potius me mortibus ultro
Objiciam, exactos iterumque iterumque labores
Imperio parens, relegam, quam prodita Adami
Peccantis soboles, me destituente, perenni
Morte luat vetiti crimen miserabile pomi.
Sed tua jam perfecta mihi, pater optime, jussa!
Sanctorumque fides vatum, vitaeque necisque
Decursu firmata meae; mysteria legis
Abdita Moseae nostro patefacta cruore,
Ad metam properant. Te sustentante cruentas

Hactenus infamis poenas et vulnera trunci
Pertulimus. Vocem hic letho stringente repressit
Caeteraque arcano tacitus sub pectore clausit.
Mox quo se vitae dominum mortisque probaret,
Clamorem ingentem tollens, quo territa tellus
Intremuit, trepidi nutarunt moenia Ditis.

Insontem hanc animam, pater, accipe, dixit et una
Submisit caput. Hoc tonitru mors ipsa negatam
Quaerebat perculsa fugam; cecidere trementis
Tela elapsa manu seque eversura, cruentum
Intorsit jaculum; sed ferrum Dius eunti
Fregit Amor telo occurrens promptisque pharetra
Ipse sua flammis praefixum in pectore CHRISTI
Condidit exultans. Hac demum cuspide victus,
Exanimes artus devicta morte reliquit.

LIBER UNDECIMUS.

Protinus astriferae reseratis postibus aulae,
Coelicolas omnes hominum divumque repertor
Omnibus excitos terris, omni aethere, nutu
Omnipotente vocat. Superi pernicibus alis
Conveniunt rabidosque poli septemplicis orbes
Emensi, aeternum ter sancto carmine numen
Concelebrant, magnum Christi victoris honorem
Ingenti resonant stellata per atria plausu.
Tum solio clarum flammas vibrante parentem
Ordinibus ter ternae acies hinc inde novenis
Circumstant. Sedet in medio, cunctosque capaci
Amplexu claudit; supremis altior, imis
Inferior nullique tamen subjectus; at omnes
Majestate premit, tranquillo lumine mulcet,
Ambrosia pascit, nutu regit, urit amore.
Atque his alloquitur post alta silentia verbis:

Quod mecum omnipotens soboles, quod utrique coaevus,
Et communis Amor decrevimus, ante creati
Aetheris immensam molem, gratissima nati
Aeterni pietas nulloque absterrita mortis
Indignae, infamis, saevae, constantia telo
Reddidit effectum. Quae mecum cuncta potenti
Eruit e nihilo quondam Sapientia nutu,
Omnia, primaevae vitiata libidine noxae,

Rursus in amissum moriens revocavit honorem.
Vae tibi! vae coeli terraeque superbia, pestis,
Exitium commune hominum superumque, veneno
Quae nimium blando nitidi tot sidera Olympi,
Tot terrae decora inficiens, data foedera rumpis,
Praecipitas animos, evertere funditus ardes
Structa meis manibus gemini fastigia mundi.
Audebis tanto infelix te opponere amori!
Audebis crucis eximio damnata triumpho,
Erigere invisum post haec exempla tumorem,
Atque iterum excussas hoc funere tollere cristas?
Disce novas, jam disce vias. Non itur ad astra
Pavonum pennis ceratove arte dolosa
Remigio alarum. Ruit ambitiosus ab alto
Lucifer aetherei dejectus culmine mundi
Inconcessa petens. Oriturum e virgine CHRISTUM
Aeterno res humanas, coelumque solumque,
Recturum imperio vidit fastuque maligno
Turgidus, invidit. Paradisi cultor Adamus,
Conjugis incautae illecebris impulsus, inani
Tartareus facilem quam spe lactaverat anguis,
Dum jussis parere negat, terraeque suique
Excidit imperio et vitae immortalis honore.
Sic adeo mentes inclusas corpore et atri
Corporis expertes invisa superbia mersit.
Hic omnem prima stirpem in radice latentem
Inficiens; illic numerosa palatia, raptis
Ex omni superum turma tot millibus, ipso
Cum duce depopulans. Hanc instaurare ruinam,
Spiritui aeterno placuit natoque mihique
Et specimen saeclis aperire sequentibus ingens
Justitiae scelerum ultricis, parcentis amoris,
Justitiae, in tumidos aulae coelestis alumnos,
Qui nullo in dirum facinus stimulante, caduci
Corporis immunes indignantesque subesse,
In dominum insano conjuravere tumultu.
Scilicet ut qui jam nunquam in meliora trahendi
Corruerant, nullo lapsus miserante, perirent.
At vero ingrati crimen miserabile Adami

Corporis obscuri claustrum Stygiique draconis
Extenuat dolus, et flecti in meliora paratus
Auspicibus divis, animus, clementis amicam
Judicis exposcit tanto in discrimine dextram,
Praeterea unius ob facinus ferale perenni
Supplicio totam damnari ab origine stirpem
Aeterni pietas, quamquam irritata, parentis
Haudquaquam patitur. Ditis tum deinde retundi
Cuncta evertentis vires animosque decebat,
Ne coelo domiti, terra vicisse, superbi
Jactarent sese genii, nullamque relinqui
Terrigenis in regna viam coelestia, salva
Justitia, clausis primaevo crimine portis.
His motus, patrio natum demittere Olympo
Constitui et teneris majestatem abdere membris,
Ut terrae expositus furiis atque hostis Averni
Insidiis, casta divini sanguinis unda
Lustraret terras culpamque aboleret, et illo
Stipite suspensus, victrici morte, furentem
Luciferum obrueret propriisque everteret armis.
Nam nisi majestas membris divina lateret,
Non scelus elueret, justam non frangeret iram
Numinis irrisi, pietas morientis amorque
Impar. Humano nisi se sapientia patris
Corpore clausisset, non vinceret illa superbum,
Quae Stygis insidiis victa est natura, tyrannum.

Omnipotens ergo natus, mea magna voluptas,
Bis genitus, de Patre Deo, de Virgine Matre,
Majestate hominum dominus, pietate Redemptor,
Corporis amplexu frater, nece victima, pastor
Eloquio, speculum exemplo pretiumque cruore,
Commissum perfecit opus. Quem condidit, orbem
Restituit lapsum. Quem sexta luce creavit,
Sexta aetate hominem moriens reparavit et alto
Compositus somno placida jam pace quiescit.
Ille quidem lapsum potuit sine sanguine mundum
Instaurare et primaevae dissolvere culpae
Vincula et obstructas coeli recludere portas;

16*

Sed magnum potius moriendo pandere amorem
Exemplisque datis virtutis in ardua mentes
Cogere praeceptisque animos accendere visum est
Difficilemque viam obicibus perfringere ruptis.

Haec fatus, toto Michaëlis ex agmine divum
In medium vocat et dictis haec insuper addit:
Magne Ales, dux sidereae fortissime turmae,
Quem debellati sublimem gloria Ditis
Extulit ante alios palmae victricis honore,
Cernis ut Isacidum superis ingrata propago,
(Cui te Tartareas contra viresque dolosque
Propugnatorem dedimus) te meque profano
Reppulerit lymphata odio; Christoque perempto
Caesaris Ausonii sceptris subjecerit urbem
Progeniemque omnem Latio malesana furori;
Quare age et indomitae curam mecum abjice gentis.
Verte solo templum et nati post funus inanes
Sacrorum ritus rupto velamine, templi
Quod medii oppositum claudit, penetralia pande.
Agnoscat populus, veteris mysteria legis
Morte Dei vacuata novumque in sanguine Christi
Perpetuo duraturum succedere foedus,
Cui circumfusae solis per utrumque cubile
Accedent gentes animisque volentibus omnes
Accipient leges Servatoremque perenni
Victima adorabunt, templis arisque dicatis
Aeterno meritas celebrabunt carmine laudes.
His ego ductorem Michaël te gentibus addam,
Has mecum aeterno tutabere vinctus amore
Et praedatoris raptas e faucibus Orci,
Sublimes rutili tolles in moenia coeli.
Interea tecum comites assume beati
Agminis Aligeros et tantae debita morti
Funera et exequias extincto numine dignas
Concussu celebra terrarum funditus orbe.
Sentiat artificem terra expirasse, gementes
Exanimem plangant populi gentesque per omnes
Concute solicito mortalia corda dolore.

Haec ubi dicta, sacris domini se exercitus ingens
Coelicolum imperiis celeri accinxere paratu.
Inclytus angelici Michaël dux ordinis omne
Ad nutum disponit opus; sua munia cuique
Dividit. Hos varias terrarum ablegat in oras,
His recludendos tumulos committit, at illos
Exequiis domini jubet et genitricis adesse
Planctibus orbatae, comitumque hos claustra locumque
Nobilis excubiis circum vallare sepulchri.
Ipse autem assumptis templi custodibus, alto
Aethere descendens, invisa sub atria tendit.

Eximium Salomonis opus, quod ab igne superbi
Victoris terrae aequatum, pius auspice Cyro
Zorobabel, regum proles genitorque, refecit,
Quodque Antipatrides regali in sidera sumptu
Extulit Herodes, mundo admirante beati
Divitias, molem, formam et fastigia templi,
Quattuor in partes distinguitur, atria bina
Aurea marmoreae cingunt penetralia molis.
Exterius, cui fas gentes insistere, portae
Quattuor Isthmiaco stridentes aere recludunt.
Haec matutinae reduces Thaumantidos axes,
Haec fessi spectat nocturna cubilia Phoebi,
Illa pruinosas Boreae stridentis ad alas
Panditur, imbriferis extrema opponitur Austris.
Altior at reliquis frontis Speciosa superbae
Eois adversa rotis ostentat honorem.
Hanc super, expansis (ceu jam gestiret in auras
Effugere et celeri nubes superare volatu)
Umbrabat limen volucris Jovis aurea pennis.
Sed pia sacrilegi plebs impietate tyranni
Irritata, furens animis, facto agmine, scalis
Appositis, validis aggressa securibus ultro
Invisum perfregit opus. Suffulta columnis
Marmoreis Cedrinisque nitens laquearibus ingens
Porticus, inclusum complectitur undique templum,
Nobiliumque omni lapidum substrata colore,
Spectantum vario visus fulgore lacescit.

Vestibulum interius triplici lapidum ordine surgens,
Et vario fulgens includit marmore murus.
Quem Salomonis opes famamque extinguere caeca
Ambitione ardens, fulvo circumdedit auro
Prodigus Herodes omnique ex parte superbis
Auxit porticibus. Phrygiarum has sustinet ingens
Ordo columnarum tabulataque cedrina dextra
Artifici laevata tegunt, et marmore stratum
Multicolore pavimentum perstringit amoeno
Attonitos splendore oculos. Hic regibus altum
Ante aram solium statuit Jesseius heros,
Et geminam a dextra fixit laevaque columnam,
Aurea queis summum accendebant lilia culmen,
Et capita in speciem torti pendentia retis,
Versicoloribus ornabant turgentia granis
Punica mala. Quibus Polycleti Juno Venusque
Utraque Praxitelis Phidiaeque toreumata cedant.
In medio sacris cumulata animalibus ara,
Aere rigens, vigilem servat noctesque diesque,
(Excubias coeli aeternas) in cratibus ignem.
Ad laevam bis sex labrum cervice gementes
Imposita sub mole, operoso ex aere juvenci
Suspendunt, cujus facturi sacra refusis
Linigeri tingunt plantas et brachia lymphis.
Ad latus oppositum templi stat ahenea concha,
Daedalia caelata manu gremioque capaci
Perspicuas claudens undas, queis sacra, priusquam
Imponat flammis, purgat armenta sacerdos.

Tertia (quam castis solum penetrare licebat
Amramidae natis) sedes, quae sancta vocari
Promeruit, quaeque auratis ditissima valvis,
Strata fuit tabulis Enodi ex abiete sectis,
Quas super affixi occultabat ductilis auri
Lamina. Laevato surgentes marmore muros
Jessides tabulis cedrinis obduxit et illas
Vis immensa auri pretioso tegmine vestit.
Hanc templi partem decorat thymiamatis ara
Aurea, quam castus Pancheo thure sacerdos

Atque Arabum nimbis primi sub lumina solis
Occiduique adolet. Laevum immortale lucernae
Perpetuo flagrantis opus latus occupat, et fons
Largifluis foecundus aquis, dextrum aurea mensa
Et limbo et duplici circum redimita corona.
Hujus ab extremo penetralis pariete, mirae
Artis opus velum nullique imitabile pendens
Intima spectari prohibet sacraria, picto
Marmore, cedro, auro rutilanti ornata. Decorem
Aurea siderei mentitur fabrica coeli;
Nam varias Cherubim facies et Veris odoras
Luxuriantis opes simulat gemmasque nitentes
Et virides palmae ramos animataque coeli
Artificis ductu vivisque coloribus ora.
Pervia Pontifici haec uni penetralia, quando
Effrenis populi lustrat delicta quotannis,
Oblato vituli in cineres prius igne redacti
Sanguine et emisso sylvarum in devia capro.
Ante Sedeciae fatum et miserabile templi
Excidium hic stabat Mosaei foederis Arca,
Divinae legis tabulas virgamque sub una
Nocte, insperatis foliis et floribus auctam
Et nivis in morem labentis ab aethere Mannae
Vas servans; gemini hanc defixis vultibus in se
Et passis Cherubini umbrabant desuper alis.

Aligerum huc princeps summo delapsus Olympo
Cum sociis, nitidi textum admirabile veli,
Quod tenui bysso coccoque ostroque cruento
Caeruleoque micans hyacintho, ardentibus aptum
Sideribus coelum, terras ac caerula ponti,
Et liquidi flammas ignis referebat et omni
Intextum specie florum Cherubimque videntum
Lumina et ingenti rapiebat corda stupore.
Per medium a summo scindens disrupit ad imum.
Quin etiam fertur niveis argentea pennis
Ex adytis ante ora virum fugisse columba.
Praeterea auditae voces per inane migrantum

Coelicolûm, quibus infensi templique ruinam
Excidiumque urbis venturaque fata cauebant.

Haec inter terra insolito concussa tremore,
Coelestum impellente manu, radicibus imis
Solvitur, horribilique gemens per opaca tumultu,
Hespereo, Eooque inclusas litore gentes
Territat, ingenti confundens omnia motu.
Impulsae trepidant turres, et tecta fragore
Terribili convulsa ruunt, suspensaque vasto
Moenia cum sonitu praeruptae in viscera terrae
Praecipitant unaque domos civesque ruina
Oppressos tumulant. Facies diversa malorum,
Sed metus unus erat lucem venisse supremam,
Omnia quae terrae e gremio producta, peracto
Naturae cursu in primam revoluta parentem
Non exoranda fatorum lege vocaret.
Hic tantum tremere et pavidos innoxia tellus
Mugitu terrere; hic vasto Tartara hiatu
Pandere vicinosque capacibus absorbere
Faucibus in Barathrum campos; hic cedere opaci
In vacua antra soli et manes descendere ad imos.
Parte alia dubia, an caderet, peregrinave sedes
Ignotas peteret, rursum subsedit; et ipsum,
Parcenti quem mota manu relliquerat, ultro
Insedit firmata locum. Sed turbine magno,
Diversa regione, imis e sedibus acta,
Horrendum dictu, externos jaculatur in agros
Impositas dorso turres et tecta per auras,
Cum populis superos frustra implorantibus, alto
Aut montis figit subjecti in culmine, prona
Aut circumfusae detrudit in aequora vallis.
Quid loquar, ut celebres et magni nominis amnes
Subductis in operta soli penetralia rivis
Arenti terraemotus damnaverit alveo?
Utque erumpentes diverso in gramine venas
Fontium et altrices fluviorum exciverit undas?
Usque adeo impulsae magni vis horrida motus
Mutavit terrae faciem, ut devexa refusis

Molibus in montes attolleret altaque, raptis
Montibus, in pronas premeret fastigia valles;
Nunc improvisos fluviorum in gurgite ludens
Cycladas erigeret; nunc vulsum a sedibus imis
Oppressis mare ruricolis jacularet in agros
Et campos jam velivolos; nunc clauderet imo
Gurgite spumanti refluos a littore fluctus;
Deceptas nudis phocas et caetera arenis
Destituens refugi monstra interclusa profundi.
Tunc etiam insano violentior Aetna furore,
Sulphurea igni vomo fundens e vertice saxa,
Et rapidos cinerum subjecta per aequora nimbos
Torsit agens, tonitru coelum terramque fatigans.
Nec minor ardenti rabies ac ira Vesuvo
Aut Lypari, Aeoliis quae saevior una caminis,
Tunc etiam Lyciae flamma eluctata Chymerae
Exundans, atro subjectos turbine campos
Et Patarae ignivomo nutantia moenia victrix
Vortice corripuit. Nihil illi Phoebus Apollo
Profuit aut Hecates reverentia stulta triformis.

Quo gemitu abruptae sonitum Campania dives
Cajetae obstupuit? fortisque Etruria magno
Cum scissa ingemerent Alvernia saxa fragore?
Qua vi, feralis quo turbine Golgatha fesso
Vertice dissiluit; quando funesta latronis
Sacrilegi crux, immani trepidantis hiatu
Terrae interjecto, victrici a stipite CHRISTI
Aligerum ultrici dextra divulsa recessit?
Ipsa etiam absorbente solo tumulata periisset
Causa mali tanti Solymae, sed sanguine nati
Et precibus victus genitor justissima tela
Distulit et spatium indulsit requiemque furori.
Attamen impulsi trepidantia culmina templi
Nutavere diu, atque ipso sub limine portae
Decidit ingenti pars non temnenda ruina,
Aetheris irati signum, lateque per agros
Nuda patrum effractis jacuerunt ossa sepulchris.
Talibus ostentis perculsus inhorruit orbis,

Confusaeque hominum mentes matresque virique,
Incertumque animi vulgus, regesque ducesque,
Ipsi etiam, quos nulla hominum divumque potestas
Indomitos pridem potuit fraenare, tyranni
Attoniti tremere et tensis ad sidera palmis
Coelicolum pacem calidis deposcere votis.
Hos inopes animi, lymphato pectore nunc hac
Nunc illac fugere atque iterum cogente timore
Ire, redire, sui immemores casusque, videres.
Illi indignantes dubiae formidinis aestu
Suspendi impavidos animos, praevertere fata
Et certa incertum perrumpere morte timorem
Ardescunt; alii nimio terrore subacti,
Examines linquente animo cecidere, malique
Immunes subiti periere horrore pericli.

Quin etiam occulto pietatis verbere tactas
Ingemuisse ferunt utroque a littore gentes
Totque inter saevi positas discrimina motus,
Ignotum exanimis funus luxisse parentis.
Nec mirum; quando, quorum clamoribus actus
In facinus judex, tanto se crimine nolens
Implicuit, jam mutati, crudelia vota,
Crudeles plangunt voces veniamque precantur
Suppliciter tristes et tunsi pectora palmis.
Ausonii stant attoniti, primusque stupendis
Prodigiis animum tactus centurio, et alta
Voce expirantis CHRISTI coelique faventis
Luce nova arcanos animi penetrante recessus,
Non expectata infamis miracula trunci
Expendit tacitus secumque ita corde volutat:

Nonne vides, ut surda gemant elementa cruentum
Insontis funus? quo tandem numine bruta,
Quo didicit tellus CHRISTO moriente moveri?
Cur dolet exanimem vulgus, quem fata morantem,
Fraudantem tumulos, infandis percita curis
Prodidit affixitque cruci? num mille gementem
Vulneribus mors ausa sequi? num spicula victrix

Torsit et insultans! magno clamore vocata
Officiosa venit. Victor sua funera CHRISTUS
Disposuit; fixit leges tempusque modumque
Supplicio ipse suo. Feralis vulnere trunci
Sponte tulit; quid enim potuere tot arma frementum
Romulidum, verbo facilis quos perculit uno
Allisitque solo exangues? hic numinis haustu
Uberiore madens raptusque liquentibus ignis
Aetherei flammis; salve, inquit, vera parentis
Aeterni soboles, patrii qui regia coeli
Sceptra tenes geminique orbis moderaris habenas,
Qui moriens terram tenebris involvis opacis
Luminaque obscuris coelestia mentibus addis.
O rerum caput insano pro corpore caesum!
O mundi Judex, mundo damnate nocenti;
Occidis o terrae lumen coelique, retusis
Morte tua ut renoves torpentia lumina stellis.
Ut charitum rorem et divini nectaris imbres
Palmitibus dones, vitis foecunda putaris.

At Mater, non jam Mater, quo fulmine tacta est!
Quos traxit gemitus! quo post tot vulnera sensu
Supremam hanc plagam et decumanam pertulit undam!
Heu quoties abeuntem animam revocavit in artus
Momentoque uno mortem miseranda recepit
Excussitque iterum! non sic properata Josiae
Funera, cum primae caderet sub flore juventae,
Divinus flevit cygneo carmine vates.
Non sic ingemuit conjux Phineia rapti
Fata viri, soceri lapsum partusque dolores
Infausti et captam Mosaei foederis arcam.
Illae, illae matres; saevi quas ira tyranni
Orbavit raptis uno tot crimine natis,
Cum suus in miseras flueret cruor, oraque tingens
Pallida, purpureo corrumperet imbre dolorem;
Ad tua nil faciunt lamenta. O si quis ab alto
Aligerum de gente tuos, moestissima, luctus
Pangeret, angelicis digna argumenta camoenis!
Si placuit docti velum subtile Timantis,

Quo (postquam Argolicae crudeles virginis aras
Et patrui vultum et procerum posuisset) amaros
Attoniti gemitus et non imitabile patris
Subduxit vulnus subductumque altius imis
Sensibus impressit; si natura ipsa dolori,
Quem Christo exanimi impendit, Christique parenti
Non aliam potuit melioremve addere lucem,
Quam spissae velum caliginis et mihi tristes
Virginis orbatae planctus Musisque negatos
Affectus tacito fas est involvere luctu.

Ergo ubi continuit, miseras quodcunque parentes
Effutire, atro praereptis funerĕ natis,
Effraenis dolor et pietas temeraria cogit,
Sic Arematthiden affata est virgo Josephum:

Exactum est ingens, nato moriente, parentis
Aetherei arcanum Sacramentumque, tot olim
Carminibus vatum obscuris, ab origine rerum
Implicitum et caecis Mosaea in lege figuris.
Accipe nunc nostri monumentum et pignus amoris
Virtutisque tuae, miserae pia vota parentis;
Namque tibi nati corpus tumulandaque membra
Cedo libens. Tu pelle metum veniamque sepulchri
Posce nihil dubitans; facilis dabit omnia Judex.

Dixerat: ille oculos generosa in virgine fixus:
Quas tibi, quas, inquit, nato persolvere grates
Aggrediar, tanti in sortem praelatus honoris?
Nam neque feralis trunci miserabile fatum,
Nec fama indignis procerum lacerata furentum
Et populi ingrati probris, gesta inclyta CHRISTI
Et magnum nostro excussit de pectore amorem.
Vincunt indomitam clarae miracula mortis
Invidiam et lacero clausum sub corpore numen,
Dum moritur, coelum, tellus, natura fatetur.
Non haec humanis opibus, non viribus arcto
Corporis obscuri conclusis carcere, monstra
Proveniunt; Deus illa, Deus sub corporis umbra

Exanimis tectus peragit; teque, optima virgo,
Incolumem invictamque haec inter vulnera servat.
Est mihi ad infausti vestigia montis, amoenis
Consitus areolis hortus, quo saepe laborum
Fessus, odoriferis curas radiosque sub umbris
Fallere consuevi. In medio, non immemor horae
Fatalis, solido excisum de marmore claustrum
Composui, quod depositis post funera membris
E terra natos genitrici redderet artus.
Fas mihi sit, nullo pollutum funere marmor
Virgineis chari membris donare magistri.
Quicquid honos tumuli poscit, quae copia, promptus
Impendam; Assyriae vivacia munera myrrhae
Et dites Aloës cumulabo prodigus imbres.

Interea procerum votis (quos lurida Phoebi
Squalentis facies trepidos revocarat in urbem)
Pontius accedens, ne saevis pendula truncis
Corpora Paschalis foedarent gaudia sacri,
Jusserat, effractis spirantum cruribus, atrum
Supplicium et duros finiri morte dolores.
Paruit imperio miles gemitusque latronum
Luctantesque animas repetito verbere solvit.
Dumque eadem CHRISTO sublatis vulnera telis
Intentant, livescentis tristissima vultus
Effigies, horrens crinis diductaque labra,
Indicium mortis clarum fecere; nec ossa
Exanimis nati violari passus, inanem
Saevitiam genitor tacita vi pectora terrens
Compressit. Verum ut properae certissima mortis
Argumenta palam populo spectante manerent
Mendacisque avidis famae rumoribus omnem
Tolleret, intactis pendentis cruribus, ansam,
Nescio quis toto connitens robore dextrum
In latus exanimis feralem condidit hastam.
Purpureus lato sequitur de vulnere sanguis
Et non speratae fons vitreus emicat undae,
Egregium aeterni monumentum et pignus amoris.

Jamque Aremathides concesso munere laetus
Rettulerat gressum, supremaque dona sepulchri
Prodigus effuso in pretium collegerat auro,
Et sacri interpres juris Nicodemus, amico
Obvius ac simili incensus pietatis amore,
Centum Aloës libras et odorae in funera myrrhae
Contulit et famulos animis rebusque paratos
Nil metuens, operi adjunxit. Vix omnis ab agris
Vicinae in muros populus decesserat urbis,
Crastina maturans solenni fercula mensae,
Cum propere admotas famuli sub stipite scalas
Constituunt, quibus ascensis Nicodemus ab uno
Adnixus latere atque alia de parte Josephus
Infixos manibus clavos traxere foratis
E pedibus geminos lacrymas ad singula fundens
Verbera parthenius juvenis detrudit et ambos
Magdalis in gremium multa exorantis, acerbi
Argumentum ingens incrementumque doloris,
Deposuit. Corpus CHRISTI miserabile, amicis
Auxilio tristi subeuntibus, ipse parentis
Detulit in miserae gremium genibusque volutus
Et lacrymis rigat et lateri defixus inhaeret.
Nunc fixo saevae perlustrat lumine plagam
Cuspidis effossoque patens in pectore vulnus:
Nunc majus tristi sub corde revolvit amoris
Immensi vulnus, durosque miserrimus imo
Corde trahit gemitus. Quales moribundus in ipso
Limine fatorum, cum jam praecordia victrix
Mors ferit, et jaculo vita expugnata recedit.

Ut vero exanimes artus moestissima virgo
Excepit gremio, luctus, pietatis, amoris
Certamen miserandum oppressam uno agmine matrem
Diripuit. Crebris vocem singultibus omnesque
Affectus animi premit et miserabile corpus
Perpetuis iterumque iterumque amplexibus ambit.
Ac velut ille colorati praedo aëris in se
Attrahit oppositos variata pelle colores:
Sic virgo infelix, faciemque modumque doloris

Alterno mutans aestu, nunc oscula figit,
Nunc abrumpit, et innumeris, heu, saucia curis,
Sublatis oculis liventia sentibus ora
Horrentesque genas, clavorum vulnera et altum
Perfossi lateris vulnus totumque cadaver
Intuitu sparso lustrat; nunc percita amoris
Vi subita, amplexus repetit labrisque cruentas
Impressis numerat plagas; quotque oscula figit,
Tot lacrymis aperit fontes, tot verba dolori.
Hei mihi! cui nati triste et lacrymabile fatum
Conquerar orba parens? patri? sed funeris auctor.
Coelicolis? sed enim laeti tua vulnera spectant,
Optatamque diu mortem plaudentibus alis
Laudant eque meo cumulant sibi gaudia luctu.
Terrigenis? rident hostes, turbantur amici,
Flent comites tantumque suos adjungere possunt
Lugenti gemitus, nequeunt afferre levamen.
Ipsa meas soli referam mihi moesta querelas,
Quando meo par esse queat jam nemo dolori.
Vos puri fontes, vos vitrea flumina, quorum
Felici toties vectus circum aequora cymba,
Immeritis laturus opem auxiliumque volabat,
Et vos intonsi montes collesque docentis
Ambrosiis rapti eloquiis, sylvaeque beatae,
Quarum infoecundis tot millia pavit in umbris,
Quando avidis manducandum sub faucibus ipsa
In desperatam crevit seges arida messem;
Hanc saltem orbatae (si non indebita amore
Exanimis peto dona) vicem jam reddite matri
Et gemitus resonate meos tristemque perempti
Hospitis interitum nostrosque refundite quaestus.
O mors, quae saevo rerum pulcherrima telo
Demetis ante diem, mea tu mihi gaudia duro,
Sive annos numerem seu probra et vulnera, letho
Eripis, et coeli praedo terraeque, beata
Ditasti praeda Limbi squalentis opaca.
Invideo vobis Limbi felicia et Astris
Aemula claustra; mihi meus, heu, sol occidit et vos
Luminis aeterni radiis fulgentibus ornat.

Vos superum chorus aetherea statione relicta
Incolit et festo plausu choreisque coronat
Immemor, heu, matris desertae et virginis orbae.
Quid superos hominesque tuae tamen arguo mortis?
Tu mortis tibi causa tuae, tu nate doloris
Causa mei; mors ipsa tibi parere coacta est.
Unde hic mortis amor? quae sancta insania amori
Ingenti sociata, rei quo pignora Adami
Prosequeris, te huc traxit (amantis parce dolori,
Si metas nescit)? Nimium de patre tulisti
Atque infelici nihil, heu, de matre, nisi illam
Perdere quam posses, quam velles perdere vitam.
O mea sors reliquis ignota parentibus! illae
In lucis spem longaevae sua pignora fundunt;
Ast ego in exitium certum immaturaque fata
Te peperi; neque enim voluisses, hei mihi, nasci,
Ni tibi certa mori sententia, nate, stetisset.
Herodis frustra invidiam procerumque timebam;
Tu mihi, tu metuendus eras, corpusque, quod ipsa
Nascenti mortale dedi. Tum pectoris ingens
Inspiciens vulnus, divisique intima cordis:

O ego ter felix, inquit, nimiumque beata!
Si mea si tantum penetrasset viscera, nate,
Illa tuum secuit quae ferro lancea pectus
Et comitem tibi felices misisset ad umbras.
Peccasti infelix, peccasti lancea! nati
Exanimis dum membra secas parcisque parenti.
Saevius heu! miseram parcenti cuspide perdis,
Dum me trajecti penetrans per viscera nati
Transfigis tantoque negas in vulnere mortem.
O nate! o charae luctus genetricis amorque!
Quid tua, quid placuit comitem me ad vulnera jungi,
Quid poenas gemitusque tuos clavosque crucemque
Dividis, optataeque negas consortia mortis?

Tales virgo pio repetebat pectore questus.
At circumfusas alia in lamenta sodales
Urget amor, fraeni impatiens, percussaque duris

Antra sonant late subjectaque rura querelis:
Magdalis ante omnes, insano rapta dolore,
Incendit comitum mentes cultumque furenti
Dilacerans dextra, avulsis cum crinibus amens
Projicit; infixisque genas liventiaque ora
Unguibus infestat. Rapido nunc turbine densas
Solvitur in lacrymas (subito ceu fulmine scissis
Nubibus erumpunt imbres); nunc percita saevis
Indomiti luctus stimulis abrumpere lucem
Ingratam quaerit, tela opportuna furori
Furtivis lustrans oculis. Nunc lumine corpus
Exanimum fixo penetrat, luctusque suique
Immemor, attonitae similis, quem morte peremptum
Aspicit et tot vulneribus circum undique fixum,
Vix credit potuisse mori. Mox crine per armos
Sparso terribilis (velut orbatissima matrum
Ipsa sui funus supremum et vulnera nati
Plangeret) effreni proceres plebemque dolore
Ausoniosque omnes Erebi flammantibus antris
Devovet. Insanis tandem lassata querelis,
Mitior ad chari vestigia nota magistri
Procumbit, sacrosque pedes amplexa, cruorem
Crinibus abstergens, lacrymas pro sanguine reddit.
Dein manuum lustrans plagas laterisque patentes
Effossi latebras: crudelia vulnera, clamat
Crudeles clavi! crudelis lancea clavi
Crudeles magis, an crudelis lancea! (vivos
Hi lacerant artus, cor dividit illa perempti)!
Lancea crudelis, crudeles vos quoque clavi!
Quisquamve hunc vidit vultum tuave auribus hausit
Verba, vel hanc tacito formam sub pectore fixit,
Cui subito incensum pectus non arsit amore
Captivaeque haesere aures oculique stupentes?
Et potuit tamen infesto te ferrea telo
Mors rapere, illustris medio sub limite vitae?
Scilicet illa oculis et pectore et auribus una
In mea damna caret, nulla pietate movetur,
Non capitur forma, eloquio mansuescere nescit.
Hanc tamen, hanc quondam vicisti, Christe, tribusque

Monstri immansueti diris e faucibus ipsa
Attonita raptis, captam dimittere praedam
Jussisti. Heu! iterum, quamvis ter victa, resurgit,
Et te (quis credat) victrix pereunte triumphat.
O utinam pars ipsa tui, mors dira, triumphi
Extinctum sequerer fato quocunque magistrum!
Quid tamen heu! stultis mortem vesana querelis
Sollicito frustra votique indigna? quod opto,
Cur non ipsa manu, quando dolor urget amorque,
Exequor, abrumpens invisae taedia lucis?

Haec memorans, sparsis divino sanguine clavis
Oscula dat versaque ad pectus cuspide, tristes
Corde trahens imo gemitus, optata dolori
Tela meo magnoque, inquit, gratissima amori!
Quam mihi dulce foret fibras mucronibus istis
Ingrataeque moras animae perrumpere et illo
Exanimis Domini (si fas) miscere cruore
Sanguinis infixo salientem e pectore rivum.
Sed vetat hoc superum miseris heu dura voluntas,
Et meus hoc facinus (cui non parere vel ipsa
Invisa gravius vita est) damnaret Jesus.
Parendum est sanctis, queis subsunt omnia, jussis.
Pro te vel vivam, cui pro me dulce perire
Christe fuit, longaque animam sub morte gementem
Protraham in exosae tristissima fata senectae.
At miserae requiem nec lux nec amica sopori
Nox indulgebit. Per lucem ad chara sepulchri
Claustra sedens, lacrymis spargam venerabile marmor;
Per noctem vigili sitiens alimenta dolori,
Nunc memori repetam sub pectore, quicquid ab ipsis
Nascentis cunis ad acerbi vulnera lethi
Adversi incubuit; nitidi nunc aurea coeli
Sidera suspiciens, quoties sub caerula ponti
Occiduos astrorum ignes se mergere cernam,
Occasum funusque tuum durosque labores
In mentem revocans, cujus sub lumine pridem,
Heu nimium felix, vitamque animamque trahebam;
Perpetuis terram pariter coelumque querelis

Indefessa premam nec somno lumina claudam
Ante, importunis quam fessus planctibus aether
Vel tibi me reddat vel te mihi.

Hac vice lugentum pulso nox humida Phoebo
Ingenti coelum terramque obduxerat umbra.
Et fors immemores festi tumulique suique,
Quam longa est, omnem traherent per talia noctem.
Sed prudens rerum oblitas Nicodemus amantes
Admonuit paene invitus jam funeris horam
Elabi, et mater, tandem expugnata, nitenti
Obduxit faciem velo, cumque omnia peplo
Vulnera tersisset divinique ipsa cruoris
Relliquias magna venerans pietate tulisset,
Oscula deterso ingeminans suprema, Josepho
Tradidit in tumulum corpus. Celer ille receptos
Cum sociis calidis perfundens imbribus artus
Abluit atque aloës nimbis myrrhaeque fragrantis,
Et liquidis Arabum non parcus odoribus ungit
Suppositaque tegens involvit sindone corpus.
His demum exactis, flexa cervice, rigentis
Supponit plantis humeros sacrumque Joanni,
Sanguinis et vinclis et claro victus amore,
Concessit capitis pondus. Nicodemus amicis
It comes, et paribus studiis sed viribus impar
Succedens oneri, vicini ad claustra sepulchri
Cum sociis funus defert. Pars terga ferentum
(Non ausi sanctum manibus contingere corpus)
Pone sequi; pars maerentes anteire manuque
Funereas de more faces praeferre. Supernis
Regis ad exequias coelestum exercitus ingens
Sedibus elapsus Domini victoris honori
Dura triumphatae celebrat certamina mortis,
Dum moesti Heroes funus venerabile aperto
Componunt tumulo, famulisque juvantibus, ingens
Adnixi saxum advolvunt ante ora sepulcri.
Parte alia pollinctores clavosque crucemque
Caeteraque invisae trabis instrumenta, refossa
Cuncta simul terra obruerant de more, sub ima

Valle, cadaveribus quae circum oppleta nocentum,
Damnatis vitae finem sedemque sepulchri
Exanimis praebet. Neque enim communibus illos
Inferri tumulis, majorum jura sinebant.

At vero infelix clauso jam marmore mater,
Omnibus exactis, comitum cingente caterva,
Accessit gratesque piis Heroibus alto
Cum gemitu solvens, charo dedit oscula saxo
Inflexis genibus dixitque novissima verba:

Dulces exuviae! redituri dulcia nati
Pignora, jam cunctis perfuncta laboribus! artus
Securi mortis, tumuli tabisque, valete!
Vos ego vos tumulo clausos heu orba relinquo,
Quos etiam vivos rapuit Crux dura. Voluntas,
Nate, tua orbatae discessum extremaque matris
Oscula maturat. Brevis est mora, teque videbo
Atque alia infigam redivivis oscula membris.
Hei mihi! quam longa est brevis haec mora? quando videbo
Te reducem et dulci redivivum amplectar amore?
O mihi nunc raptim lacrymis perfuse, querelas
Invida nox gemitusque atris intercipit umbris!
At cum depositi membra immortalia nati
Restitues, dulces saepe accepture parentis
Securae gemitus dulcemque gementis amorem,
Vive precor tumule; aeterna per saecula fama
Pyramidum moles regumque operosa sepulchra
Exupera et vasti miracula despice mundi.
O fortunatum nimium te! si bona posses
Ipse tua et meriti causam cognoscere honoris!
Hoc ego te solo supero. Tu matris honorem,
Tu claros aequas titulos. O Virgo parensque
Numinis! e cujus gremio, sine labe beati
Marmoris, aeternae mens in nova gaudia vitae
Nascetur CHRISTUS; qui me pariente recepit
Heu brevem! et haec etiam crescentem in funera vitam

Haec ubi conquesta est, lamentaque tristia noctem

Praecipiti videt incumbentem abrumpere curru,
Surgit et attonitos redituri vivida amicos
Spe nati mulcens, virtuti praemia tantae
Digna vovet, memorem facti per saecula famam
Spondet et aeternos CHRISTO regnante triumphos.
Mox consanguinei, cui commendata, Joannis
Accedens lateri, ingratam contendit in urbem.
Consequitur soror infelix et certa redire
Magdalis, ut primum per festa infesta licebit.
Quisque suum maturat iter portisque sub ipsis
Divisi, proprias tendunt, qua semita, in aedes.

LIBER DUODECIMUS.

Nunc age, Tartareas sedes, inamabile regnum
Luciferi, audaci tempus perstringere penna,
Victricemque animam CHRISTI claramque sub ima
Tellure egregii seriem reserare triumphi.
Auspiciis haec, CHRISTE, tuis fideique serenis
Afflati radiis tentamus; adesse vocanti
Te vati spes fida monet facilesque daturum
Successus et plena suos in carbasa ventos.

Oceani subter fluctus et vasta profundi
Stagna, metalliferae subter pallentia terrae
Antra, infelices auri argentique latebras,
Est locus inferni celebris cognomine, opacis
Aeternum squalens tenebris atque invius omni
Astrorum telo et Phoebeae lampadis igni,
Tristitiae fletusque domus. Suspiria, planctus
Stridorque et rabies et terribiles ululatus
Hic sedem posuere suam. Procul exulat omnis
Laetitia, exclusae Charites risusque jocique
Blandaque vocalis citharae plectrique loquacis
Carmina mulcentisque quies gratissima somni.
Et tamen (heu! quae tanta animos dementia vertit!)
Carceris immanis spatium, latissima claustra,
Hospitibus sunt arcta suis numeroque laborant.
Quippe adamantaeis rupes Magnesia saxis

Corda trahens blandis in flammea claustra catenis,
Undique circumfusa, nigri latus omne Barathri
Circuit amplectens; nisi qua spiracula duris
Cautibus interjecta, viam erumpentibus Orco
Anguigenum turmis aut infelicibus umbris,
Corpore defunctis, aditus ac limina pandunt.
E quibus haec rapidas jaculantur in aethera flammas
(Qualis sulphureis exundans Aetna favillis),
Ast alia ingratam supera ad convexa Mephitim
Exhalant late et vitales faucibus auras
Pestiferis foede inficiunt; ut tristis Averni
Pennigeris invisa palus graveolensque vorago.

Vestibulum ante ipsum et primis in faucibus Orci,
Innumerae scelerum facies, inimicaque divis
Consilia et foedis circum volitantia pennis
Somnia, lascivique simul stabulantur amores.
Omnibus ex humeris pharetrae Stygiisque sagittae
Armatae flammis pendent, et lethifer arcus
Cornibus inflexis. Variae circumque supraque
Agglomerant pestes, superasque erumpere in auras
Terrarum exitio quaerunt; queis vindice coelo
Niliaci campos et inhospita regna tyranni
Infestare datum; queis saevior omnibus una
Inguinis insultat pestis, quam Marte tumescens
Effudit lasciva Venus. Spectra horrida, flammae,
Per noctem falso incautos splendore trahentes
In brevia, in Syrtes, in naufraga saxa Capharei,
Fatiferis angues spumis flammisque superbi.
Quid memorem Assyriae pennas vultumque Leaenae?
Persaeive nigros villos et robora monstri,
Cui ferruginei triplici stant ordine dentes?
Quid Pardum, invictis insignem viribus, Urso
Quattuor insultantem alis totidemque tremendum
Vultibus? aut Latii simulacrum immane furoris,
Ferrea bis quino cristatum tempora cornu?
Quae, septemgemina scelerum vallata Phalange,
Monstra venenatis meretrix Babilonia traxit

Ditis in obsequium illecebris jussitque Deorum
Impia votivis imponere numina templis.

Quattuor haec mundi custodia caeca sepulti
Scinditur in partes; quarum deterrima, in ima
Informis terrae vergens penetralia, punit
Aeterno manes damnatos funere, nulla
Quos olim ad superos pietas, nulla aetheris alti
Relligio tetigit scelerumque excussit amorem.
Adjacet huic dextrumque latus lustralibus antrum
Occupat exundans flammis, queis, vindice coelo,
Afflatas veterum concreta labe malorum
Exercet mentes et duro examine sordes
Excoquit. Ad laevam miseros inamoena coërcet
Infantes Limbi sedes, quos saeva parentum
Culpa, per infaustam vitiato semine stirpem
Decurrens, regnis longe coelestibus arcet.
Altior his regio gemino cognomine nota,
Felices animas, vetiti queis tristia pomi
Per tot ducta patres primaevi ab origine mundi,
Nondum divino CHRISTI lustrata cruore,
Quantumvis vitae integris, virtutis alumnis,
Claudebant rutili portas contagia coeli.
Gratia nulla loco, jejuni ingloria claustri
Area non blando florum variata decore
Luxuriat, non irriguis distinguit arenas
Fontibus. Auricomi radiis impervia solis,
Antra situ informi squalent et luce maligna
Suspendunt oculos, qualem sub lumine primo
Aurorae aut prima sub nocte crepuscula spargunt.
Magna tamen castis solatia mentibus addunt
Alma fides, spes aeternae certissima lucis,
Pax nullis temerata malis et conscia virtus.
Nunc vitae ad superos actae discrimina secum
Volvere et exhaustos dulce est meminisse labores.
Nunc juvat egregios divini luminis haustus,
Fatidicos coeli radios concessaque vivis
Coelituum memori sub mente revolvere dona.
Sed nihil in tantum blanda dulcedine claustri

Taedia sordentis fallit mulcetque silentum
Pectora, ut aeternae spes jam matura salutis.
Ergo ubi stellanti Gabriël demissus ab arce
Votorum metas assertorisque propinquum
Detulit adventum, laeto Paeane triumphi
Optati accelerant pompam magnoque paratu
In sua certatim distinguunt signa cohortes.
Primitiae divum, nascentis sidera mundi,
Seminaque electae stirpis prima agmina cogunt.
Omnibus intonsi capitis pulcherrima vestit
Canities lates humeros; argentea mento
In pectus producta senilis barba decorem
Majestatis alit. Non tristibus obsita rugis
Tempora, non aevi vitio languentia torpent
Lumina, sed vivo vibrantique igne severos
Exhilarant vultus.

Agmen agit princeps Sethus, qui funere fratris
Abruptam superum stirpem gentemque piorum
Restituit terris. Patri justissimus Enos
Adstat, avo Cainan natusque huic prole superbus
Egregia Jared, rutilo quam lapsus Olympo
Angelus amissis paradisi reddidit hortis.
Subsequitur longae palma Mathusala vitae.
Nobilis et nati felix pietate Lamechus,
Tempora navali fulgent cui cincta corona,
Quam furtim inserpens gemmantibus impedit uvis
Vitis, et innumeris variata coloribus Iris
Impendens, trepido renovat data foedera mundo.
Huic atavi plaudunt, natorum hunc turba coronat.
Quos patriae pietatis amor cognataque coelo
Nobilitat virtus; Semusque Japhedque piique
Semiadae. Atque illis (ceu sidera vertice pulsans
Cedrus odorato subjectas despicit umbras)
Altior, atque humeris et toto vertice supra est
Thariades, superum proles genitorque, beata
Cui circumfusis lambuntur tempora stellis.
Filius hunc juxta, divum justissima cura,
Fatidicusque nepos, duodena prole Jacobus

Exultans, miro devinctus amore Josephum
Fratribus ostentat, gravidis cui laurus aristis
Intermista ornat geminato tempora serto,
Insignesque humeros regali purpura cultu
Picturata ambit. Sol, Phoebe, intextaque in auro
Supplicibus juvenem venerantur sidera flammis.
Claudit honoratum patrum laetissimus agmen
Leviades. Cujus superis gratissima proles
Amramides vatum classem foecundaque veri
Pectora disponit. Radiorum luce corusca
Frons micat, obtusos comitum fulgore vibranti
Perstrictura oculos, ni spissi tegmine veli
(Ceu nebulis inclusa dies) obducta lateret.
Proximus huic, animi specimen constantis Jobus,
Stirpis Idumeae decus ac Hussitidis orae
Imperio clarus, spe non fallente reposcit
Compositos tumulo renovari corporis artus.
Jessides lauro crines umbrante Nathanus
Praesagos repetit cantus. Longaevus Ahias
Nunc etiam scisso sequitur male tectus amictu.
Tu quoque dulcisono vatum sanctissime plectro
Permulces animos, Semeia, cui comes haeret
Mendaci vates deceptus ab hospite, cujus
Aruit ad nutum ingrati manus impia regis.
At quo te metro indomitis Elisaee tyrannis
Formidate canam? sterili tu dulce parentis
Das Sunamiti nomen surreptaque fato
Pignora restituis. Te vatum turba minorum
Miratur gaudetque tuo de lumine fessos
Instaurare animos hebetesque accendere flammas.

Parte alia, pura Levitas veste nitentes,
Pontificesque vocat claro tuba ductilis aere.
Uno omnes habitu ornati mitraque refulgent.
Altior at cunctis aevoque et honore triumphans,
Melchisedech, rex idem hominum coelique Sacerdos;
Vina manu Cereremque gerit, clarissima sacri
Symbola, quod castas superum libamus ad aras.
Post hunc et gemmis Aaron insignis et aureo

Purpureae fulgore stolae virgaque tumenti,
Floribus et foliis una sub nocte renatis,
Agmina Leviadum cogit; cui proximus adstat
Filius et refluas undas depostaque fundo
Saxa canit stratamque tubis clangentibus urbem.
Te quoque pontifices inter regesque sacrorum
Armipotens Phinee virtus animosa tuamque
Progeniem retulit. Non te, sanctissime regum,
Dictator Samuel, nec te memorande silebo
Joiada, templi columen sceptrique, novercae
Qui puerum furiis ereptum in regna reponis.
Quis te, quando istaec data copia, magne sacerdos,
Indictum transire sinat, qui diruta flammis
Chaldaeis patrii renovasti culmina templi?
Aut te Levitas inter doctissime, sacrae
Qui calamo revocas amissa volumina legis?
Tu quoque Pontifices inter virtute fideque,
Oniade, fulges: ut matutinus ab alto
Lucifer aut plenae facies argentea lunae
Siracidesque, tuo lateri vicinus, amoeno
Carmine laudatos attollit in aethera patres.

Purpuream divum turmam, qui sanguine palmam
Martyrii peperere suo, producit Abelus,
Quem rudis obtuso primum mors stipite stravit,
Crimine fraterno miseri scelus ulta parentis.
Puniceas tellus effusi sanguinis unda
Parturiit foecunda rosas, queis mista pudoris
Virginei intactum candorem argentea signant
Lilia et insigni distinguunt tempora serto.
Hanc etiam injusto trajectus pectora ferro
Achimelech laurum meruit (quo tota cadente
Stirps pariter scelere et gladio demessa Doegi
Carnificis periit); meruit proavita Nabothus
Praedia Sidoniae furiis et fraude tyrannae
Contemptis, vitae anteferens. Illustrior ornat
Purpura Joiadae natum, quem perfidus ipsam
Obruit ante aram lapidum saevo imbre tyrannus.
Et vos, eximii vatum, vos laurea mortis

Sanguinolenta ornat geminoque attollit honore,
Pastor Amos, quem trajecto per tempora vecte
Stravit Amasias, quique indignantis Achabi
Imperio, vinclis et caeco carcere pressus,
Ante diem tristes Erebi descendis ad umbras.
Te quoque sacrorum vatum decus et decus aulae,
Amoside, quem crudelis stridente Manasses
Divisit medium serra, lapidumque cruento
Helciaden nimbo oppressum, indignaque peremptum
Morte Semiramiae vatem sub moenibus urbis
Clara triumphalis decorant insignia palmae.
Tene etiam hos inter numerem, justissime castae
Susannae vindex, cui praedae incensus amore
Impatiensque famis, sicca leo fauce pepercit?
Te numero comitesque tuos, quos torridus ignis
Corporibus parcens, flammis coelestibus egit
Numinis in laudes. At te quo carmine dicam,
Sancte senex, patrii assertor fortissime ritus?
Quo duce magnanimae proles septena parentis
Antiochi sprevit rabiem victoque tyranno
Aeternum meruit crudeli morte triumphum.
Felices infantum animas maturaque coelo
Germina Zacharias passis amplectitur ulnis.
Quem comes assequitur natus, suprema Joannes
Gloria Mosaeae legis veterumque sacrorum,
Primaevusque novae flos enascentis ut idem:
Hesperus in coelo fugientia sidera claudit,
Et matutinos praecurrit Lucifer ortus.

Proximus Heroum locus est; quos inclyta bello
Dextera et armorum virtus animosa coronat.
Qui gratas superis leges fixere rudesque
Imperio facili populos et legibus aequis
Fraenavere, patres patriae, quique aurea coeli
Jura, sacerdotum monitus regumque verenda
Jussa, olim inflexa proni cervice tulerunt.
Naviades agmen ducit regesque subactos
Ipsumque occiduo fugientem ex aethere Phoebum
Terribilis fulvo clypei suspendit in orbe.

Alter ab hoc Jephonides, cui cruda senectus
Audacis servat vires animosque juventae.
Tertius Othoniel, patriae tutela gementis
Victorisque Syri spoliis insignis opimis.
Addit se comitem, dextra laevaque timendus
Occultique sciens et aperti Martis, Aodus.
Te quoque, sexcentos non illa in vulnera trito
Vomere qui sternis, proavum fortissime Sangar,
Heroas inter numero; tibi proximus adstat
Nephtalides coelo Barach pugnante triumphans.
At Gedeon, regum terror terrorque Deorum,
Electam superis victricia in arma cohortem
Ducit ovans. Lana in clypei septemplice coelo
Imbriferis rigat hic arentia gramina bigis
Nec rigat expositae sitientia vellera lanae.
Hic rigat expositae sitientia vellera lanae.
Nec rigat imbriferis arentia gramina bigis.
Hos pater infelix at felicissimus ultor
Insequitur Jephte. Nunc te fortissime, Samson,
Expediam, cui mella leo post fata ministrat,
Oranti cui fundit aquas, quae straverat hostes
Innumeros, asini victrix maxilla, pharetra
Saevior Herculea, Hectoreo crudelior ense.
Tu clausas ferro portas perrumpis et ipsas
Fers humeris nec sentis onus! tu viribus auctus
Conjugis egregiae post fraudem oculosque refossos,
Barbaricis fultam trabibus Pariisque columnis,
Dejicis innitens renovatis crinibus aulam.
Elimelech, regum proavus, felicia Ruthae
Conjugia et claros gaudet numerare nepotes;
Obedumque Isamque senem natumque, beatis
Coelicolis charum, qui sceptra nepotibus unus
Non interrupto meruit transmittere cursu.
Egregius pietate armisque insignis, amico
Occurrit Jonathas aeternoque ardet amore,
Euryali Nisique super figmenta levesque
Pirithoi audacis flammas et mutua Thesei
Vulnera. Dilecto circumdat brachia collo
Jessides, aequansque pium jam tutus amorem.

Eximiam ostentat stirpem sceptrique beatos
Haeredes: Josaphatum armis, virtute fideque
Insignem, Joathan, populo coeloque probatum,
Ezechiam, saevo patri natoque profano
Dissimilem (cui sidereas pugnasse phalangas
Certa fides, cui reflexis famulatus habenis
Cynthius, in decimam vestigia rettulit umbram),
Defletumque pio divini carmine vatis
Josian, Pharii importuno turbine belli
Ereptum terris, quo non praestantior alter
Inclyta Jessaei tenuit fastigia regni.

Non ego te Heroum Tobia excludere coetu
Nephtalide natumve tuum temerarius ausim,
Quosque ardens animi virtus, mens integra vitae,
Incorrupta fides, superum dignatur honore,
Quamvis externa genus a radice trahentes.
Hos inter Naaman (velut ignes plena minores
Luna premit) fidei merito celebrandus et audax
Numinis ignoti testis, quem turbidus ira
Assyrium dux obsessae sub moenibus urbis
Arboris ad truncum vinctum, transire coëgit
Isacidum in partes. Quis te, crudelis Amani
Exitio natum Judaeorumque saluti,
Mardochaee, sinat tacitum sine laude relinqui?
Quis satis egregium properatis laudibus aequet
Regis Achemenii pincernam, diruta ferro
Moenia qui Solymae renovat? teque inclyte fama
Et praestans animi juvenis, tot regibus orte,
Tot regum genitor, patriis quo reddita tandem
Thariadum gens extorris duce et auspice terris,
Prima resurgentis posuit fundamina templi.
Magnanimus Mathathias, quot pignora, belli
Fulmina tot laetus numerat; quos altior omnes
Victricis fidei innumeris Martisque triumphis
Insignis, superat Machabaeus, ab aethere missa
Tela vibrans, conjuratis ad classica divis.
Quid memorem Jonathan, galea mitraque decorum?
Quid generi infanda deceptum fraude Simonem

Fallaces epulas inter periisse? ducumque
Nomina et illustres Machabaeae stirpis alumnos?
Clara quibus Joachim venturi signa nepotis
Attulit exultans, et natum certior author
Longaevus cecinit Simeon juvenemque stupendis
Prodigiis jam tum clarum florere; Josephus,
Quem patrem Deus appellat, quem virgo maritum.

Ultimus illustres Heroidas explicat ordo.
Praevia formosas conjux Abramia neptes
Ducit ovans, sterilisque stupet post taedia lecti,
Pignora tot tristi non expectata senectae
Accessisse. Socrum formaeque animique Rebecca
Dotibus aequiparat, quae non sine numine divum
Transtulit in charum natalia jura Jacobum.
Hanc geminae includunt neptes, illa inclyta vultu,
Illa uteri felix numerosa prole tumentis
Legiferi hinc vatis conjux materque, tenellum
Quae puerum inclusum fiscella, ad fluminis oram
Exposuit juncos inter cannasque pallustres,
Laeta dolis graditur. Magnae vestigia matris
Major nata subit, quae virginitatis honore,
Carmine fatidico ac insigni nomine, matris
Virginis eximios titulos nomenque decusque
Clarius expressit. Huic Jephtes inclyta proles
It comes et chari temeraria vota parentis
Praereptosque annos et tristia sacra pudore
Incolumi excusat. Quis te Moabitidis orae
Egregium decus, eluso quae rege fenestra
Demissum lapsos per funem callida servas
Exploratores? fortunatamque nepotum
Isacidum sceptris Rutham? vatisque ducisque
Illustrem titulis Deboram? Noëmamque decoro
Insignem vultu meritisque, aequare canendo
Audeat? et castae decus immortale Susannae
Juditthaeque virilem animum, Mavortia gesta
Sanguineasque manus? cui tanta potentia fandi,
Persaeo ut claram solio patriaeque parentem
Edissam paribus numeris et laude sequatur?

Aut socias inter fulgentem heroidas Annam,
Virgineae matris partu gravidamque senilis
Ultra uteri sortem, coeli indulgentiâ, Elisam.

At pater humanae cum conjuge stirpis Adamus,
Fortunatorum classes numerumque nepotum
Aspiciens, magno curarum fluctuat aestu.
Nunc juvat ereptos Stygio numerare tyranno,
Nunc rapido mersos lugere Acheronte paterni
Criminis infausto depressos pondere natos.
Hinc formidandam contempti numinis iram,
Ast illinc magnum Domini miserantis amorem
Metitur. Partem superat pars naufraga tuto
Expositam portu securaque gaudia turbat.

Haec secum tacito volventem pectore, claris
Irrumpens radiis per opacae viscera terrae,
Perculit aethereae superum lux aemula luci.
Stellantis subito jubaris fulgore tenebrae
Funditus oppressae pereunt; incultaque Limbi
Atria diffusis radiant accensa beati
Sideris illecebris. Curae gemitusque, potenti
Luminis amplexu fibras penetrante, repulsi
Aeternum fugiunt. Nullo temeranda dolore
Gaudia pertentant animos liquidoque voluptas
Imbuit incumbens securas nectare mentes.
Attonitis primo divini luminis ictu
Aligerum plausus festivaque gaudia, dulci
Carmine pangentum magni decora alta triumphi,
Laetitiam ingeminant. Sed enim quo flumine dulcis
Ambrosiae, quove oceano submersa, quibusve
Deliciis liquefacta patrum praecordia? quando
Agminis aetherei ductor, certissima patris
Aeterni soboles, devicta morte triumphans,
Et per oliviferi descendens viscera montis,
Constitit ante oculos, divina luce beatos
Illustrans animos, cujus vi cominus ipsum
Numinis aeterni vultum, lumenque decusque,
Delicias et opes majestatemque perenni

Intuitu penetrare datur.
Hiberno veluti ponto jactatus, hiulci
Fulminis expositus telis aut syrtibus haerens,
Praedonumque vagis tantum non praeda carinis
Nauta, ubi defunctus coeli pelagique periclis,
Insperata subit securis ostia velis,
Auspicibus meritos superis persolvit honores
Laetus et effusis in portum civibus omnes
Enumerat coelique minas pelagique tumultus:
Haud aliter, post tot rerum discrimina, post tot
Corporis illecebras et conjurantis Averni
Insidias, atque arma catenatosque labores
Vix tandem exhaustos patriae sub limine primo,
Felices animae gemitus lacrymasque metumque,
Omniaque ancipitis transacta pericula vitae
Oblitae et tristes tenebras et squalida Limbi
Claustra, triumphanti laudes et debita CHRISTO
Carmina certatim pangunt mortisque Stygisque
Victorem, Dominum, regem authoremque salutis
Laudibus effusis cumulant. Dulci ebria corda
Laetitia, infando aeternum flagrantia amore
Pectora, nunc junctis praeconia vocibus una
Concelebrant; nunc diviso certamine grates
Pro se quisque refert collataque munera in ipsum
Donorum fontem grata pietate refundit.

Crudeli interea collisi vulnere cruris,
Eluctantem animam multo cum sanguine Dysmas
Effundens, ipso extremae sub limite vitae
Promissi memorem, certa spe nixus, JESUM
Supremo gemitu moriens inclamat. Amici
Audiit exanimis victor pia vota jubetque
Aligerum celerare ducem fractoque solutam
Corpore in Elysios animam deducere campos.
Continuo celeri sublatus in aëra penna,
Jam jam expiranti pulcherrimus adstitit ales,
Elapsamque animam excipiens, frendentibus Orci
Attonitisque satellitibus, per proxima montis
(Quem debellati victoria Ditis et unda

Sanguinis exanimis saliens e pectore Christi
Nobilitant) magno penetralia scissa tremore
Infernas repetit sedes; blandoque paventem
Amplexu mulcens, puerilis carceris umbras
Sidereis per opaca natans illuminat alis.
Mirantur pueri improvisae lucis honorem
Et fixo intuitu lustrant oculisque sequuntur,
Dum spectare datur. Postquam vestigia clarae
Nulla fugae superant, pariter sitis ipsa videndi
Cessit, et hic dulci fallacis imagine somni
Ludimur immersi plumis; sed blanda sopore
Excidit abrupto delusi insania sensus.
Aureus at pennis actus velocibus ales,
Frendentis patulis excussam faucibus Orci
Victori regi praedam laetissimus offert.
Ille triumphati spoliis laetatus opimis
Primitiisque Erebi, mentem latronis amoeni
Luminis aspectu mulcet, dulcique stupentem
Amplexu stringens, divis mirantibus, ultro
Non expectatis in coelum laudibus effert.

Hic ille est, qui discipulis fugientibus, orbe
Insultante, crucis confixum stipite numen
Agnovit meritoque palam celebravit honore.
Innocui famam vindex defendit opemque
Supplicibus petiit moribundo a judice votis.
Haec referens fontem divinae lucis et omnes
Victricisque animae majestatisque beatae
Delicias et opes aperit dextraque prehendens:

Accipe, ait, meritisque tuis aequata meisque
Praemia promissis et palmae insignis honore,
Martyribus te junge meis. Quacunque triumphi
Fama mei, quacunque crucis victoria penna
Discurret per utroque sitas sub cardine gentes
Orbis in occasum: haec eadem te penna tuamque
Laude fidem claramque feret per saecula mortem.

Ille autem hinc caecae numerosa piacula vitae

In seram producta necem poenasque, repostas
Tot scelerum furiis, memori sub mente revolvens
Et casum infausti comitis tormentaque nullam
Aeternos requiem finemve habitura per annos,
Atque illinc durae affusos sub limine mortis
Immerito fidei radios, CHRISTO auspice, labem
Abstersisse omnem penitus, seroque dolori
Tanta insperato cum foenore praemia solvi:
Aligerum divumque choros laetissimus omnes
Orat, ut ingenti Domini indulgentis amori
Aeternas pariter grates laudesque rependant.

Quae tibi, quae tanto gratus praeconia amori
CHRISTE canam? quando aetherei clarissima mundi
Sidera et assertae divino sanguine stirpis
In laudes effusa tuas vis omnis, et omni
Effundenda aevo, semper decedet honori
Victa tuo! Tua te, tua magna potentia laudet,
O opifex rerum! Tua te sapientia dignis
Carminibus celebret mundi melioris origo!
Te tuus, astrifero qui te deduxit Olympo
Affixitque cruci, quo me de stipite in astra
Eveheres, extollat amor. Mihi munera lucis
Aeternae collata immortalisque juventae
Gloria non tanto rapiunt praecordia sensu
Laetitiae, quia terque quaterque beatus, in omne,
Quod superest, aevi spatium sine fine futurus:
Sed quia te, mea sola salus, te laude perenni
Prosequar aeternoque ardens amplectar amore.

Protinus ad clausos alio sub carcere manes,
Queis hebeti quondam concretas corpore pestes
Ultricis nondum eluerant examina flammae,
Carpit iter gemina victor stipante corona.
Hinc exaudiri voces gemitusque piorum,
Sese incusantum et neglectae tempora vitae.
Hinc exaudiri sinuosa volumina flammae
Undantis rapidoque immersas sulphure mentes
Torquentis. Triplici connixae adamante catenae

Horrendum strident; non inferiora barathri
Tartarei poenis vexant tormenta, dolorum
Non minor hic cumulus, nisi quod lugentibus absit
Desperans meliora furor. Spes certa salutis
Restringit furias ignis, promissaque regni
Gloria coelestis poenas mitescere cogit.
Praecipue quando aetheriis e sedibus adsunt
Aligeri tutelares monstrantque parentum
Natorumque preces, ardentia vota piosque,
Quos defunctorum memores effundere amici
Certatim properant sumptus, ut vindicis iram
Supplicibus superent donis placidamque sepultis
Concilient pecudum votivo sanguine pacem.

Felices nimium, quibus haec sub tempora mortem
Contigit oppetere! et CHRISTO moriente, malorum
Ante diem, duraturas evadere poenas.
Namque ubi coelituum turmis comitatus ovantum
Adstitit, infandos dulci miseratus amore
Ardentum gemitus, trepidi fugere sub Orcum
Anguigenae, excussi pavidis tortoribus unci
Flagraque et ignivomo stridentes aere catenae.
Jam scelerum vindex flammis parcentibus ignis
Attonitos lambit manes, positoque furore
Innocuus Domini assurgit venientis honori
Et depasta diu vivaci viscera morsu
Deserit, evulsis mitescens dentibus anguis.
Nam si quae veteris remanent vestigia culpae,
Vindicibus nondum flammis excocta, cruoris
Divini meritis sortem miseratus acerbam
Diluit abstersaque nitentes labe, beatis
Attollit victor radiis, se ut quisque bonorum
Reddiderat meritis operum fideique capacem
Luminis aeterni et donis coelestibus aptum.

At parte ex alia tenebrosi ductor Averni,
Jam magis atque magis tristis discrimina sceptri
Excidiumque pavens, Erebi fumantia claustra
Vorticibus circum rapidis triplicique furentum

Flammarum vallo et ferri compagibus ambit,
Quod vis nulla virum, non ipsi exscindere dextra
Coelicolae possint, et toto robore regni
Opposito, ignivomas armis telisque cohortes
Instruit atque animos stimulis immanibus urget.

Jamque adeo tenebrosa acies, composta severi
Ordinis in leges vexillaque nigra, coibant,
Quaeque suis distincta draconibus. Omnibus iidem
Ductores turbis praeeunt, quorum aethere in alto
Consiliis ductuque olim, stellantibus orbis
Siderei campis, superum expugnare phalangas
Aggressi. Medio dux agmine Lucifer omnes
Terribili squalore premit flammasque ministrat.

At vero, ut Phoebi ad radios surgentis opaca
Nox picturato stellantis fornice coeli
Pulsa fugit, somnusque gravis tristesque tenebrae
Caecaque lucifugae repetunt deserta volucres:
Sic ferrugineae pestes, tumidi agmina Ditis,
Infractis cecidere animis conversaque turpi
Terga fugae nudant, quando victricia pandi
Aspiciunt vexilla crucis mortemque, catenis
Implicitam, fractis protrudi in tartara telis.
Continuo ad nutum victoris flamma tremendum
Stridens Tartareas refugo petit igne cavernas:
Ferrati postes et ahenea claustra profundi
Aeternoque graves cecidere adamante columnae.
Apparet Stygii feralis carceris horror
Sulphureisque lacus flammis glacieque rigenti
Terribiles. Medio regnans in frigore flamma
Nec glaciem solvit, nec dissociabilis arctus
Frigoris amplexus rapidi vim temperat ignis.
Proh stupor! exangues sine corpore et ossibus umbras
Ignis edit, nunquam moriens, quia pabula semper
Invenit aeterno non decessura calori.
Judicis infensi flamma irritata furore,
Acrior in miseros saevit veterumque malorum
Infixas penitus pestes abolendaque nunquam

Crimina supplicio finem indignante coërcet.
Incensae flammis animae (miserabile dictu)
Praecipiti gelidas lapsu volvuntur in undas.
Heu frustra! neque enim requiem immiserabilis ullam
Unda parit, nec saevi ardorem mitigat ignis.
Sed subito concreta gelu praecordia stringens
Saevius excruciat miseros infestaque cogit
Rursus Avernalis tentare incendia flammae.
O glaciem! o ignes! o formidabile regnum
Mortis inexpletae! o flammis discordibus undam
Concordem in poenas! tetro quid olentia stagna
Sulphure, quid liquidi torrentia flumina ferri
Aut rapidos aeris rivos aut fellea dicam
Pocula? queis Lernaea palus et nota novercis
Gramina Nessaeique haud certet flamma veneni.
Hyppoliti currus et Bessi saevior arbor
Persarumque Scaphae nocturnaque taeda Neronis,
Sisyphius labor insanique Ixionis orbis,
Foecundum Titii jecur in nova pabula crescens,
Tantalei latices foedaeque rapacibus uncis
Harpyiae, Inarime fumanti imposta typhoeo,
Heu nihil ad poenas Erebi, quas tristibus antris
Damnati expendunt! vatum mendacia vincit
Orcus, et heu! verò minus est, quodcunque videtur
Excessisse fidem. Crescunt in saecula poenae,
Perque omnes serpunt, facto velut agmine, vires.
Terribiles visu formae, deformia Averni
Monstra reluctantes insano horrore fatigant.
Nec miseris fas est, oculos deflectere et atras
Effigies insultantum simulacraque tetra
Anguigenum effugere aut diris ululatibus aures
Obstruere. Interea graveolentem effundit odorem
Sulphureo Styx igne flagrans talique Mephiti
Punit odorisequae stultissima gaudia naris,
Qualem nec stabulum Augiae, ter mille laborans
Stercoribus jumentorum, nec corpora spirant
Lumine cassa, licet tumulo fraudata supremo
Membra, sub aestivo jubeat putrescere sole
Victor et extremos crudelis deneget ignes.

Quid loquar, ut mensas, dapibus vinoque gementes,
Deliciasque gulae insaturabilis et grave pondus
Pinguis aquaticuli, deliramenta cerebri
Erroresque pedum, caput expugnante falernò,
Impacata fames serpens per viscera plectat,
Atque infanda sitis. Nec aquae vel turbidae in omne
Unica gutta aevum furibundae incendia linguae,
Nec cereris, putidis corrosae a muribus, unum
Crustum importuni rabiem tormentaque ventris
Imminuet. Teneros qui Serum mollibus artus
Velleribus quondam fultus plumisque rosisque,
Vix potuit somnum invitare immersus, in omne
Ut sese latus invertat (ceu vermis avaris
Undique formicis admorsus, victa dolore
Mille trahit retrahitque modis et mille per orbes
Membra rotat) nulla fruitur nullaque fruetur
Aeternum requie.
Quid referam innumeris jecur immortale cerastis
Perstringi aeternum furtivisque anguibus imas
Perrodi fibras nullamque ad vulnera mortem
Affore? perpetuo morientibus illa negatur,
Qua semper moriuntur; adest in tormina semper,
Semper abest finemque malis imponere nescit.
Morsibus his, his serpentum mens saucia linguis
Intuitu memori, nolens volvitque videtque
Mortalis vitae bona, quae periisse corusci
Fulminis aut vernis Zephyri velocius alis
Ingemit, et mala, quae Stygiis damnata cavernis
Jam patitur quaeque his omne accessura per aevum.
Ut vel suppliciis miseram involventibus aulae
Coelestis pacem fortunatamque quietem
Coelituum expendat, seroque incensa dolore,
Non profecturis lacrymis sese ipsa suamque
Stultitiam plangat; quae divum gaudia pridem
Spreverit, insano mundi fugientis amore
Victa Dioneisque ardens praecordia telis.

Non ego, si centum resonent mihi vocibus ora
Aut omnes scelerum furias percurrere certem,

Aut poenas furiarum omnes numerare reosque,
Quos Acheronteo clausos in carcere, victor
Coelitibus spectare dedit; quo dulcia lucis
Munera sidereae, diris crudelis Averni
Suppliciis collata, nova dulcedine mentes
Spectantum imbuerent, veluti geminata voluptas
Littore jam tuto positos perfundit, in alta
Caerula dum torquent oculos inimicaque saevis
Ventorum insidiis deprensa ac obruta ponto
Carbasa prospiciunt descendentesque carinas.
Ipse autem victor (neque enim dignatur adire,
Nec decuit) rutilo coelestum ex agmine lectos
Aligeros jubet invisas penetrare latebras
Tartareumque ducem et domiti saevissima monstra
Ditis inextricabilibus religare catenis.
Imperio laeti parent mediosque per ignes
Securi, per sulphurei fumantia claustri
Stagna viam celerant indignantemque tyrannum
Corripiunt, mirante Erebo, sociosque frementes,
Compedibus circum implicitos, flammantis in imum
Praecipitant barathri fundum, quos CHRISTUS amaris
Increpat insultans dictis. Tremit omnis opaci
Carceris ad vocem moles, vultuque minaci
Perstricta, ignivomi gemuerunt antra profundi.

Ite, ite et coeli sceptris inhiate, supremi
Affectate decus solii, quos victa subegit
Me duce gens hominum. Quo nunc, quo fulmine adacti,
Quo tonitru fracti Stygios recidistis in ignes?
Eia agedum, tumidae dux formidande catervae,
Terrarum coelique lues, qui me quoque templis
Excluso, impuris regnas impostor in aris!
Rursus in arma tuas, rursus compelle phalangas,
Si tibi regnandi nondum ambitiosa cupido
Excidit. An tumidum coeli terraeque tyrannum
Non pudet infami trunco debere perennis
Dedecus opprobrii atque imo Phlegetonte reclusum
Terga dare? indignis religari brachia vinclis
Orbis in occasum? sed ne fortissime jactes,

Numinis oppositi victum te viribus, arte
Deceptum, extremi rursum sub tempora mundi
Aëreas scandes vinclis exutus in auras.
Verte omnes te te in facies, arma omnia Averni
Contrahe et indomitis furias accende tyrannis:
Te tamen ante annos pueri, te in flore juventae
Ridebunt tenerae minitantem extrema puellae;
Sacrilegasque aras simulacraque muta, redacta
In cineres, casta fortes pietate crucisque
Auspiciis, levibus spargent ludibria ventis.

Et vos, o miseri, quibus haec teterrima mortis
Regna olim placuere, quibus laetissima divum
Vita brevis merces visa est indigna laboris,
Nulla immortali pietas a morte reducet.
Sprevistis vivi monitus, sprevistis amorem
Aetheris; ingrati donis, torsistis in ipsum
Authorem non hos vitae data munera in usus.
Nunc vestros superi gemitus lamentaque spernunt
Et surda aeternas ridebunt aure querelas
Tuque adeo insano sceptri fugientis amore
Ebrie, contemptor superum regnique perennis,
Qui me non proavum repetentem jura meorum,
Sed regni coelestis opes, aeterna daturum
Sceptra, per infantum tot funera discerptorum
Perdere solicitus, Bethlemia rura profusis
Sanguinis intacti rivis corrumpis, inani
Saevitia fruere aeternum. Miser, aspice quanto
Hos mea felices pietas evexit honore.
En ego, cui falsa pietatis imagine tectum
Callidus exitium struxisti, en cominus adsum,
En tandem rediere Magi Regemque repertum
(Quodque cupis) caesum referunt; gratare reversis
Regalemque hostis pueri securus in aulam
Regredere. En laeti circumstant undique scribae
Applauduntque tuis, Regum sanctissime, coeptis,
Quique tuo victi nascentem extinguere amore
Aggressi, quosque in juvenem reverentia legis
Mosaeae tanto furibundos impulit oestro,

Ut legis dominum dictatoremque sacrorum
Effusis lapidum nimbis et mille nocendi
Artibus impeterent. Caeci insanique! parentis
Aeterni auspiciis an conspirantibus atri
Pestibus inferni genios Acherontis opaci
Creditis ejectos? nec adhuc fas esse putatis,
Amissam festa revocari luce salutem?
Cedo equidem vincorque libens; per me licet, illis
Ambusti flammis tormentorumque perenni
Vexati rabie, clamate, ululate furentes!
Dum mea perpetuo celebrantur sabbata plausu.

Talibus infaustas diris dum verberat umbras
Et misero regerit convitia amara latroni,
Qui diro moriens morientem irriserat ausu.
Ecce tibi ex imis Erebi immiserabilis antris
Flammea terribili surgens per opaca fragore
Emersit rota, et horrendis stridoribus aures
Obtundens, stetit ante oculos et luce maligna
Sulphuris accensi foedum caliginis atrae
Horrorem et spissas Erebi discriminat umbras.
Implexusque rotae et clavis affixus amantis
Proditor infamis domini, quem lividus anguis
Bis medium amplectens, jecur immortale cruentis
Morsibus infestat ruptoque patentia ventre
Viscera; nec fibris requies datur ulla renatis.
Non tamen aut rota terribili circum acta perennis
Et circum jam semper agenda volumine lethi,
Non omnes saevi furiae tormentaque Ditis
Tantum infelici pariunt collata dolorem,
Infensi quantum facies metuenda magistri.
Atque ideo infelix nunc hac nunc turbidus illac
Volvitur, atque omnem frustra se torquet in orbis
Ignivomi radium, spissis se immergere tentans
Inferni latebris. Divino immobilis orbis
Constitit imperio spectandumque obtulit omni
Coelituum turmae, dum vultu infensus amaro
Terribilisque ira CHRISTUS benefacta trementi

Exprobrat infandumque nefas, super omnia saevae
Consilium mortis desperatamque salutem:

Agnoscis tandem pretio quo, perfide, amicum
Vendideris? num ter denos, ingrate, videmur
Argenti nummos et munera pacta valere?
Usque adeone tibi post tot miracula vecors,
Sorduimus, nos ut laqueo mutare (quod illis
Praeterea e nummis lucrum malesane tulisti?)
Annueres? esto: decumana surdior unda
Affusum pedibus, lymphis lacrymisque lavantem
Sordida sacrilegi furis vestigia amicum
Prodideris, mensae, hospitii, pietatis, amoris
Immemor. Exacto cur tandem crimine, blanda
Voce invitatus, complexu exceptus, ad illa
Oscula, queis fidos raro dignatus amicos,
Admissus, veniae ex animo spem funditus omnem
Abjicis et desperata pietate recurris
Ad laqueum? fruere infausta mercede cruoris
(Ut meritus) pretioque mei. Tibi saecula parti
Nulla lucri foenus quaesitaque praemia tollent.
Pendebis laqueo fauces stringente, nec unquam
Expirare tibi vel respirare licebit,
Quicquid praeterea aeternae immutabile mortis
Arbitrium et justae furor insuperabilis urnae
Supplicii manes Erebi partitur in omnes:
Unius in poenas collectum effundit. Acerbis
Unum odiis infensi omnes atque omnibus unum
Incessent diris, quique auras aethere in alto
Vitales carpent, et qui me judice dignas
Expendent scelerum Stygio sub carcere poenas.

At rapido mersi Cocyti gurgite manes,
Cum nullam refrigerii spem, nulla malorum
Intervalla triumphantis per vulnera CHRISTI
Accessisse vident, rabida impietate furentes,
Horrisonis queruli diris saevoque ululatu
Bacchantes nigri rumpunt ergastula claustri,
Vae! vae! terribili aeternum clamore gementes

Ingeminant. Vae, vae, vasti loca dira profundi,
Vae, vae, insultantes genii (miserabile dictu)
Certatim reboant. Superos coelumque Deumque,
Infanda accensi rabie, execrantur. Amicos
Pignoraque et consanguineos miserosque parentes,
Et scelerum comites, charos, dum caeca libido
Securas Erebi mentes fallebat, amaris
Infestant odiis. Sese super omnia culpant,
Quod monitis obturatas coelestibus aures,
Sirenum modulis heu dulce necantibus olim
Praebuerint, vitreae spatium irremeabile vitae
Perdiderint. Cujus minimum revocare potestas
Ulla foret momentum, omnes Acherontis opaci
Orbis in interitum cuperent exolvere poenas,
Una salutiferis ut fletibus hora daretur.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

At Phlegethontaei dux immiserabilis antri,
Viribus infractus, spoliis exutus opimis,
Ludibrium superum terrorque pudorque gementum
Anguigenum, nec ob haec conceptas pectore flammas
In mortale genus furiasque sitimque nocendi
Temperat oblitusve sui est discrimine tanto.
Ardet in arma magis: velut irritata sonoris
Suppositi flammis ignis, claudentis aheni
Impatiens arcto fraenari carcere, in altum
Emicat unda furens improvisoque lebetem
Exuperat saltu subjectumque opprimit ignem.
Protinus e templis simulacrorumque profanis
Sedibus atque omni terrarum parte latentes,
Incensus furiis, Barathri fumantis alumnos
Imperat acciri, rabiemque et fulmina spirans,
Pectora vipereis animat torpentia dictis.

Vincimur, o comites, et magna clade, fatendum est,
Sternimur impulsi; sed enim solatia victis
Victoris cumulat jam clara potentia CHRISTI.
Hoc saltem, hoc gemitus indignantumque pudorem
Temperet, aeterni quod numinis arte manuque
Frangimur, atque uni propria est haec laurea rerum
Artifici, quamquam o! — sed quod prohibere negatum est —
Quamvis invitis fatali lege ferendum est.

Scilicet egregiam laudem, immortale triumphi
Rettulit ille decus, quando, quos ante potenti
Fulmine detrusos coelo, damnaverat Orco,
Humani furtim velatus imagine vultus,
Fraude, dolo cepit fallacique arte coëgit,
Reddere disruptis spolia intercepta catenis.
Cernitis interea, quanto peccantis Adami
Progeniem amplexus compellat in aethera amore?
Cernitis invidiam, qua me, meaque arma secutos
Obruit? usque adeo nihil est, quod nulla relicta est
Unius aligeris pugnae indulgentia, ni tot
Damnatos scelerum mortales, sanguine fuso,
Evehat in nostri formosa palatia coeli.
Et super haec vires Erebi premat et mea vinclis
Brachia constringat; Diti vim funditus omnem
Insidiasque erepturus viresque nocendi,
Si fraena insano cupientem effundere amori
Justitiae sinerent leges. Dulcedine mira
Aspera virtutum mulcet; praefecit amicis
Coelestum excubias vigiles et in omne paratos
Discrimen trepidis custodes addidit. Ipsos,
Quos Stygis ereptos vinclis ad sidera ducit,
Patronos miseris depulsoresque malorum
Constituet. Coeli clavos, quae gratia! stultis
Discipulis spondet. Veniam scelerumque Stygisque
Damnatis homines facient. Coelestia regna
Recludent aliis illi, quos impia vita
Praecipitat. Quodque heu, reliquis magis omnibus unum
Solicitat, jus omne poli, jus omne barathri,
Virginis invisae arbitrio transcribet. Ad illam
Curret ab infenso mundus post crimina nato.
Haec desperatas revocabit in aethera mentes.
His ego praesidiis tectos, hoc agmine divum
Vallatos, hoc assertos morientis amore
Aggrediar? vestro fidissima pectora ductu
Spero equidem et jam nunc, nam vos in jussa paratos
Omnia et invidiae stimulis odiique frementes
In superos, in mortales, videoque proboque,
Aggrediar. Periit veteris pars maxima mundi

Tartareis illecta dolis, vanamque deorum
Relligionem, animis semel imprudentibus haustam,
Nulla oblatrantum pietas, miracula nulla,
Nullae coelicolum potuere excindere dirae.
Hanc ego decepto qua vi, qua fraudibus, orbi
Altius infigam. Ausonii decora inclyta sceptri
Pontifices, reges sacrorum ipsumque senatum,
Eöi occiduique orbis capita omnia, contra
Christiadum ritus et sacra recentia cogam
In pugnam. Ferro, flammis omnique novarum
Poenarum ingenio frangam. Fallacis amoenis
Illecebris vitae rerumque cupidine flectam
In vitium faciles animos. Placita omnia divum
Haeresis erumpens barathro confundet, et orbem
Impietas blandis vertet foecunda venenis.
Haec olim, cum tempus erit. Nunc omnis Averni
Et manus et vigili desudet cura labore,
Ut, quo pontifices odio scribaeque stupendis
Prodigiis irritati extinxere vocantem
In meliora, atro redivivum a funere CHRISTUM
Oppugnare ac invisi nomenque decusque
Proterere et stultum pergant deludere vulgus.
Haec dignos haec ferte animos in bella; scelestis
Accedet stimulis superis ingrata propago.
Nunc o, nunc avidos (quando CHRISTI irrita morte
In nihilum recidit) Mosaeae in foedera legis
Inflammate animos. Vitam patriamque pacisci
Pro templo, pro lege velint. Phoebumque Jovemque
Sidoneosque deos fugiant, aquilasque superbi
Caesaris atque omnem Romani numinis umbram.
At CHRISTI tamen in comites duodenaque coetus
Nomina apostolici Nazareique sequaces
Hebraeos, tantis actos impellite flammis,
Ut prios Ausonidum Grajumque invisa volentes
In sacra conspirent charique incendia templi,
Quam Galilaeorum surgentem increscere sectam
Aspiciant. Quaerant omnes renovare per annos
Orbis in interitum suspensi immania regis
Supplicia. In charis caput inviolabile membris

Dilacerent flagris, implexis sentibus ornent,
Perfodiant clavis, suffixum in stipite perdant.
Effigiem CHRISTI sculptam doctave colorum
Luce renidentem, furiis immanibus acti
Conculcent, sputis foedent pollutaque visu
Membra, velut tacto foedata cadavere, lustrent.
Et si quis nostris impulsus fraudibus, ipsum
Messiam sese jactet magicisque colendum
Artibus obtrudat, foveant, venerentur, adorent.
Ite, ite et vastum nova retia tendite in orbem.
Ut pauci superis chari insidiasque minasque
Tartareas tuti evadant; pars maxima mundi
In nostros recidet contempto numine casses.

Sic ait: atque omni geniorum e classe probatos
Artifices scelerum et fraudum legit ipse, novisque
Artibus instructos jubet ire animosque furentum
Pontificum capere ante dolis. Mora nulla, profundo
Erumpunt alacres miseramque feruntur in urbem
Pronaque compositis procerum praecordia versant
In facinus quodcunque dolis. His cura profanis
Pilatum studiis aptare, his fingere inanes
Pallentis Phoebi causas terraeque moventis,
Illis lethaeo vigiles submergere somno,
Et dulcis spe perstrictos corrumpere lucri.

At procurator Mammon Acherontis avari,
(Cui vinctus jam tum superas commiserat oras
Lucifer arbitrium Stygii illaetabile regni)
Antevolans, mediae intempesta noctis in umbra
Feralem ingreditur sylvam, qua pendulus atra
Arbore spirantes infestat proditor auras.
Continuo avulsis, quae rupto ventre patebant,
Visceribus, membris se putrescentibus infert.
Scilicet hospitium nactus tali hospite dignum.
Mox laqueum solvit raptumque e crinibus anguem
Baccati in speciem gemmis, auroque monilis
Circumdat collo; pallentia tempora circum
Sanguine diffuso tingens, accendit inanes

Falsa luce oculos et labra rigentia flectit.
Horrentes capitis crines componit et auri
Serpentum e squamis rapti diademate cingit.
Tum geminas humeris aptat torpentibus alas.
Protinus expansis coeli per inania pennis
Tollitur et notas Caiphae festinat in aedes.

Jamque ubi pontificis turrita palatia summi
Attigit, illabens nigri per summa camini
Culmina, (gyrovagi in morem nebulonis, utrumque
Omnia qui secum, velut armentarius Afer
Herculea portans cervice, perambulat orbem,
Inque has ex illis, furtim quaeque optima dextra
Artifici detersurus, celer insilit aedes)
Irrupit subito medii in penetralia tecti,
Suppositosque ignes cineri vafer excitat, atro
Sulphure languentes flammas accendit et omne
Improbus insueta perfundit luce cubile.
Assyriis Caiphas velata tapetibus alto
Membra thoro stratus, quamvis ingentibus aegrum
Turbatus curis animum monstrisque, sub ipso
Exanimis CHRISTI quae funere plurima tristem
Perculerant, tamen extrema sub nocte trahenti
Cesserat indulgens somno, cum callidus Orci
Nuntius, angelici falsa sub imagine vultus,
Constitit ad thalamum visusque haec voce monere:

Tune etiam segni resolutus membra sopore
Stertis iners Christoque omnem, malesane, perempto
Discipulis spem perculsis viresque nocendi
Infractas cecidisse putas? rediere silentis
Defensi tenebris noctis, nomenque magistri
Extinctum infami indignantes funere, honorem
Impietate pia renovare ausuque sepulchrum
Sacrilego violare parant et corpore rapto
Mendacem domitae mortis dispergere famam.
Ipse tibi e summo superum me fornice rector
Haec celeres jussit mandata referre per auras.
Surge age et infandis medium te interjice coeptis.

Ausonii pete tecta ducis fidosque sepulchro
Posce nihil dubitans vigiles ac claustra sigillo,
Quo tumulum illaeso nulli recludere fas sit,
Et solido firma geminati robore ferri.

Dixit et extincto, quem pridem accenderat, igne
Obscuris sese involvens evanuit umbris.
At Caiphae implacidum excussit formido soporem,
Horrescunt pavido crines, vox faucibus arctis
Intercepta haeret, mens turbida fluctuat irae
Indomitae stimulis caecoque agitata tumultu.
Ex illis stygiam poterat deprendere pestem
Indiciis. Sed enim extincto jam numinis hoste
Scilicet et veterum defenso more sacrorum
Coelicolum affatu reliquis magis omnibus unum
Se dignum reputans: quicquid furor iraque caecae,
Quicquid tartareus menti suggesserat hospes,
Ceu superum certo firmatum numine gaudet,
Aggredi et invisum cum vita extinguere nomen.
Ergo ubi Pergamei thalamos Aurora mariti
Liquit et aethereum tenebris fugientibus orbem
Prodroma Luciferis Phoebi patefecit habenis,
Collectis procerum primis, ad limina tendit
Praesidis Ausonii coramque ita farier orsus:
Nazareni artes et detestanda superbi
Improbitas, qua divini fastigia honoris
Affectare ausus, tua nos, clarissime praeses,
Limina adire precesque urgent descendere in omnes.
Namque palam media sacri testudine templi,
Innumera populi circum stipante corona,
Quid miseri, quid, ait, duro me extinguere letho
Quaeritis? at quando haec caecis dementia regnat
Mentibus, immeritum letho demittite; victor
Invidiae mortisque, prius quam tertia lucem
Intulerit rebus, tenebrasque aurora fugarit,
E tumulo vivas surgam immortalis in auras.
Sacrilegi insana moti jactantia, ut ora
Effreni vulgo stultisque sequacibus ipsa
Prodita mendacis promissi insania claudat,

Adsumus orantes veniam. Bonus annue votis
Et fidis vigilum excubiis committe sepulchrum,
Tertia dum solis radios aurora reducat.
Ne fors discipuli intempestae noctis in umbris
Exanimes rapiant artus gentemque per omnem
Vana triumphatae spargant miracula mortis.

Dixerat: atque eadem proceres uno ore fremebant.
Romulides vultu exorantum vota sereno
Accipiens: vigilum patres, ait, omne meorum
Vos penes arbitrium est. Ite, explorate cohortes
Romulidum atque omni Latiorum ex agmine lectis
Suspecti curam celeres deferte sepulchri.

Haec ait: et famulum mittit, qui cuncta Josepho
Perferat atque illum Ausoniam deducat in aulam.
Namque animum ancipiti curarum turbidus unda,
Jam magis atque magis postquam fidissima conjux
Terrifici diras somni manifestius ore
Ipsa suo, multum lachrymas per singula fundens,
Rettulerat, poenae metuens scelerisque peracti
Infandis ictus stimulis, quaerebat acerbos
Fallere colloquiis aestus certasque timoris
Explorare novi causas. Namque omnia fingi
Credebat, quibus impulsum se notus Ulisses
Dixerat. Unde etenim paucis, animoque manuque
Invalidis profugisque, ea vis, ea pectora, ut ipsa
Luce palam aut ipsa mediae caligine noctis,
Effringant tumuli claustrum. Sed velle, suumque
Eventum sceleri jam respondere putemus,
Totane tam stupido gens pectore friget, ut illis
Annuat ad superas reducem fingentibus auras.
Talia volventi famulus praesto esse Josephum,
Nuntiat. Ac tutum jubet in penetralia duci
Pontius atque importune (dum mutua soli
Consilia expediant) interpellantibus omnem
Suspendi accessum. Venienti ipse obvius ultro
Occurrit, dextramque tenens omnesque faventis
Delicias aulae ingeminans, sic deinde profatur:

Optime Thariadum, cui grata modestia et alti
Intemerata fides animi rebusque secundis
Corrumpi, adversis inflecti nescia virtus,
Fare age et ignaro memora, quae causa superbum
Pontificem primosque patrum, quae insania cogit
Extincti regis tanta ambitione sepulchrum
Munire et lectis vallare cohortibus? unde
Sollicitos tremor hic urget? quemquamne sepulchro
Credibile est victo rediturum in sidera letho?
Defunctos potuisse illum sub luminis oras,
Dum vixit, revocare, mihi vix Lazarus ipse
Persuasit. Sed enim ut sese jam marmore quisquam
Compositum renovare queat, coelestibus ipsis
Testibus haud facile accedam. Tamen haec quoque vobis
Nescio quae divinorum praesagia vatum
Promisisse ferunt. Quod si de marmore Christum
Posse redire putent, cur vivum affigere trunco
Aggressi? quid opus vigilum firmare sepulchrum
Excubiis atque insano indulgere labori?
Hic Arematbides, quantum sub corde sinebant
Infixae curae, arrisit, pressoque dolore
Sermonem ingrediens, hoc ordine singula pandit.

Coelicolum dominus rerumque aeterna potestas,
Ut putrescentis terrae de pulvere dextra
Artifici humanos artus moribundaque membra
Extulit, impressa immortalis imagine vultus:
Sic etiam in cineres letho resoluta potenti
Rursus in amissae jam posthuma munera vitae
Arbitrio revocare potest. Rediisse sepultos
Ad superos sanctae memorat certissima legis
Pagina et imperio CHRISTI; ac virtute coacta
Ante oculos interque manus mors impia nostras
Reddidit exanimes auris vitalibus artus.
Quid quod perfectis convexi motibus orbis
(Quos Pater omnipotens rebus servire creandis
Jussit, in occasum mundi, cui tempora fixit,)
Quotquot ab auricomi primaevo lumine solis
Aut lucem videre aut rapti obiere, priusquam

Materni infaustis uteri excessere latebris.
Decrepiti extrema mundi sub luce Tonantis
Imperio aspicies (atque ipse videberis illis)
Non jam mortalis reduces in munera vitae,
Verum aut perpetuo vitae immortalis honore
Aut immortalis vivaci funere lethi,
Praemia digna piis pravisque capescere factis;
Quod quanam tandem fieri ratione feremus
Posse, nisi excitis in vitam a funere membris?
Nam quicquid recti ad superos pravique volentes
Gessimus, imperio mentis sed corporis usu
Saepe etiam impulsu tractos, gessisse fatendum est.
Cur ergo nudae meritorum praemia mentes
Corpore fraudato expectent; vel digna patratis
Supplicia exolvant immuni corpore noxis?
Praeterea indignos vitae felicis amoenis
Cernimus hic passim illecebris florere diesque,
Fortuna desiderium praeeunte, serenos
Aurea longaevae proferre in fila senectae.
Interea illustres animos, virtutis amantes,
Et charos superis, ceu tristi sidere tacta
Vineta, afflatos aestivis solibus agros,
Ante diem immerito decerptos funere tolli
Aut infelicis demersos fluctibus aevi,
Omnibus expositos hominum vitaeque periclis,
Crudeli gravius letho producere fatum.
Quisquam adeo demens, ut justo numine credat
Res hominum flecti, ut scelerum dulcedine spreta
Virtutum incumbat studio, si nulla sequatur
Post varios vitae casus vel poena superbos
Vel merces decreta probos? si judice nullo
Innocui superet, superetur causa nocentis?

At quisnam superum judex hominumque futurus?
Adventus quae signa sui praenuntia sparget?
Caeteraque hic quaeri solita et dignissima scitu,
Si vacat expediam. Neque enim, clarissime praeses,
Ingeniosa hominum referens mendacia ludam
Impius intentas sacris sermonibus aures.

Annuit Ausonides, mentemque animumque Josephus,
Inspirante DEO, venturi praescius, infit.
Sicut Olympiaco qui sudant pulvere, cursu
Exacto, elata praeconis voce citati
Victores palmam accipiunt, ingloria cedit
Turba ignavorum: sic cum dilapsa rigentem
Vita fugit truncum, exacto certamine judex
Omnipotens statuit dignis sua praemia, pravis
Supplicia. Excipiunt miseros flammantis Averni
Fumida claustra, pios Limbi vacua atria servant.
Nam primi miseros labes funesta reatus
(Ante necem CHRISTI) regni coelestis amoenis
Afflata de stirpe satos arcebat ab aulis.
Sed Pater omnipotens lapsum miseratus Adamum
Nec passus, charos alienum ob crimen amicos
Excludi coelo, stellati e fornice Olympi
Aequaevum misit natum, qui sanguine fuso
Criminis infausti diras aboleret et arcem
Sideream superis a marmore redditus auris
Panderet et meritas inferret in aethera mentes.
Impositum jam CHRISTUS opus perfecit. In illa,
Quam coelo veniens sumpsit de Virgine carne,
Verus homo de matre, Deus de patre, sepulti
Vi patria rigidos animabit corporis artus
Coelestesque orbes superans ascendet, et aureo
Aeterni clarus solio sceptroque parentis,
Fraenabit famulum communi numine mundum.
Nam pater omnipotens, natum, non mollibus ultro
Parentem imperiis, merito complexus amore,
Evehet in coelum, magnoque ob tristia duri
Vulnera lethi ignominiamque attollet honore
Et geminum aeternis damnabit legibus orbem,
Donec suprema mundi sub luce, beatis
Coelituum turmis reducem stipantibus, alto
Conspicuus solio, mediis in nubibus, orbis
Excutiet causas judex et praemia ponet.

Jam nunc, aethereas postquam conscenderit arces,
Verborum incipies pondusque fidemque meorum.

Aspicere et totum nova surgere sacra per orbem.
Bissenos CHRISTUS socios tanto aetheris haustu
Talibus aeterni flammis incendet amoris,
Ut pulsa qua nunc timidi formidine pallent,
Excussa qua nunc animos caligine mersi
Despectique errant, nulla vi aut fraude trahendi,
Illecebris non flectendi, nec morte minisve
Frangendi, Grajae Latiaeque arguta Sophiae
Tela irrisuri, divini jura magistri
Et clarum spargant nomen Judaea per arva,
Eoas super usque domos, ubi caerula Tethis
Surgenti currum Phoebo producit. In orbis
Hesperii extremas, pulsa formidine, metas
Excurrent; vertent animos arasque deorum
Comminuent. Addent sacris miracula dictis
Prodigiosa fidem; his victi, populique ducesque,
Numinibus proavum spretis, in nomen JESU
Jurabunt. Pronis animis vitamque brevesque
Divitias ultro abjicient. Spes certa perennis
Laetitiae, fusi pro CHRISTO sanguinis ingens
Laurea, tanto avidos in ferrum, in vulnera, in ignes
Impulsu abripiet, quanto non spumeus amnis
Aggere perrupto subjecti in gramina campi
Praecipitans, sylvas, sata laeta armentaque sternit.
Cedent Mosaeae vacuata aenigmata legis,
Cedet Jessaei majestas inclyta templi.
Nec conjurati CHRISTI rescindere sacra
Pontifices, nec Romani metuenda senatus
Nomina Caesareique timenda potentia sceptri
Impavidos frangent animos. Capitolia pulsa
Relligione Deum CHRISTO famulantia cernet
Posteritas. Quanto invisam majoribus ipsa
Roma caput mundi furiis extinguere gentem
Christiadum ardescet, tanto (crescentibus illis
Tela per et flammas, ut victrix palma, superbit
Altior, inflexis appenso pondere ramis
Cum premere aggredimur,) magis expugnata fatiscent
Templa Deum, roseo affixi crux sanguine CHRISTI
Nobilis, Eois gemmis distincta, superbum

Caesarii capitis diadema ornabit et ipsa
Culmina templorum coelo vicina superstans,
Attollet fulgore novo. Coelestibus acti
Prodigiis Thracesque sagittiferique Geloni,
Et si quae septem damnata trionibus illos
Barbarie gens exuperat, mansuescere discent,
Christiadum sacras tincti lustralibus undis
Aflatique animos divini numinis aura,
Accipient leges divinaque jussa capessent.
Attamen ut viridi vites fugiente juventa
Degenerant, urbesque situ senioque laborant:
Sic adeo mundo in senium vergente tepebit
Primaevus pietatis amor collapsaque avorum
Languescet virtus animorumque entheus ardor
Sopitos tandem in cineres resolutus abibit.
Succedent variae pestes, numerosa malarum
Heresion soboles, Orco effundente, sub auras
Erumpet; terrae affixas, coelestium inanes,
Deludet blandis mentes infixa venenis
Insatiata fames auri, ambitiosus honorum
In praeceps impellet amor, malesana libido
Incendet Stygiis torpentia pectora flammis.
Non tamen emergens erebo et liventibus Hydris
Impietas armata, aut recti devia morum
Improbitas expugnata pietate triumphum
Audebunt sperare. Fides velut ignibus aurum
Excoctum penitus fulgebit: ut horrida messis,
Quam durae trivere manus, paleamque levesque
Et vento et flammis stipulas purgata relinquet.
Semper erunt venae melioris pectora, quorum
Imperio, exemplis, precibus, sapientia, inanis
Corruet inferni labor, et malesuada furentis
Consilia, oppositis infracta eversaque telis,
In nihilum recident. Vires atque arma probatis
Militibus nitido submittet ab aethere CHRISTUS.

At vero ut jam jam posituris ultima ventis
Flabra omni strident collecti turbinis ira,
Supremumque sono tonitru majore coruscat:

Sic etiam occidui supremo tempore mundi
Maxima Christicolis, erebo turbante, procella
Omnibus incumbet. Nam vinclis ipse solutis
Anguigenum ductor, furiis incensus, opacis
Erumpet barathri claustris juvenemque profanum,
Caesareo caput evinctum diademate, in omnem
Christicolum stirpem fideique incendet alumnos.
Prolapsum ex utero Eumenidum malesuada sororum
Turba sinu excipiet; dabit oscula dira, cruentis
Uberibus nigrique fovebit lacte veneni
Et puero in cunis scelerum inspirabit amorem.
Ipse autem Atraciis Erebi dux artibus omne
Instruet ad facinus. Jam tum (mirabile dictu)
Praecipitem in vitia ac infandis moribus annos
Vincentem, in sylvas et devia lustra vocabit,
Ne quisquam, qua stirpe satus, quo sanguine cretus
Explorans, saevis medium se fraudibus Orci
Injiciat pereatque arcani fabula partus.
Nam puer intacto illibatae virginis alvo
Conceptum et veterum finget se carmine vatum
Promissum, coelo terras petiisse relicto,
Tristia Thariadae miserantem incommoda gentis.
Verborumque fidem magicis, duce fretus Averno,
Carminibus firmans, pallentes murmure caeco
Depellet morbos, in nubes aëra coget,
Intempestivo turbabit fulmine mentes,
Et quicquid medicave manu Ditisve faventis
Auspiciis, superis rem dissimulantibus, addi
Mutarive potest, populis mirantibus, ultro
Ducendis in fraudem animis obtrudere perget.
Partibus accedet stupidi mutabile vulgi
Ingenium et primi, heu miseros, malefida sequentur
Consilia Isacidae, quos ficto legis amore
Et restaurandi solido de marmore templi
Promissis mulcens, socios adjunget, et armis
Prodigiisque potens, capiti diadema superbum
Induet atque iterum celsis Babilonis in astra
Turribus educens magna vi muniet urbem.
Hinc ortus; tumido sedes haec prima tyranno,

Et regni caput. Ambitio successibus aucta,
Acrior insurget, vicinaque regna trisulci
Fulminis in morem evertens, victricibus armis
Perdomitam Libiam debellatosque triumpho
Ingenti Aethiopas et septeni inclyta Nili
Sceptra premet. Reliqui, quibus inclinata Latini
Cesserat imperii jam magna ex parte potestas,
Victori accendent reges et jussa capessent.
Nec longum in medio tempus, cum fracta furentis
Viribus, ipsa etiam Ausonii Germania sceptri
Nomen adhuc retinens, famulantisque omnia terrae
Regna, triumphantem prona cervice sequentur.
Sed brevis immenso statuetur meta tyranni
Imperio; neque enim in quartae stringentia brumae
Frigora durabit. Magno tamen omnia nisu
Turbabit. Stimulante Orco et famulante sacrorum,
Jura amens abolere Deique evertere cultum
Aggrediens, fraude, insidiis opibusque profusis,
Fascibus oblatis blàndaque tyrannide primum
Oppositas flectet mentes. Mox, tegmine vulpis
Excusso, Hircanae violenta tigridis ira
Saevior et surdis pelagi immansuetior undis,
Vel poenis franget vel diro funere tollet.

Feralis regni solium, toto orbe subacto,
Heu infelicis patriae miserabile fatum!
Hac (importunis veniam da fletibus) urbe
Constituens instaurati fastigia templi
Attollet coelo. Terris sese omnibus unum
Inferet ipse Deum; sibi templa arasque dicabit
Impius et CHRISTO proprios invadet honores.
Illius injectis aras absumere flammis,
Omniaque infestus simulacra effringere, nomen
Invisum Hesperiis, invisum reddere Eois
Gentibus atque imis infixum evellere fibris
Tentabit. Sibi vota uni, sibi thura videnti
Offerri et pandis fumantia lancibus exta
Coget, odoratis intendi limina sertis,
Aeternumque adytis pasci penetralibus ignem.

Atque adeo solido ex auro sectove elephanto,
Aut coelo artifici sculptam de marmore vultus
Ipse sui effigiem delubris omnibus, alto
Conspicuam solio, media testudine templi
Constituens, summo venerandam obtrudet honore.
Quo magis attonitos fallat, graveolentis Averni
Inclusis furtim geniis, oracula finget,
Supplicibus responsa dabit gemmisque vibrantes
Infixis oculorum orbes, ceu viva moveri
Lumina, decepti credet vesania vulgi.
Praeterea Aemonio visus deludere cantu
Doctus, Phoebei radiantem luminis orbem
Deducet coelo, sua circum tempora claros
Fundentem radios, monstrabit. Ab aethere flammas,
Cum volet, armatos victor vibrabit in hostes.
Colludente Erebo, obsessis excedere membris
Anguigenas nutu compellet et aethere cassos
(Ne CHRISTO inferior saltem hac in parte feratur)
Exanimes furtim submisso daemone in artus,
Eriget in speciem motus, simulataque reddens
Verba, brevem finget redivivi corporis umbram,
Hospitii donec fessus maleolentis, in undas
Subductum ex oculis genius demergat, avaris
Aut avibus praedam sylvis rellinquat opacis.
Tot capti laqueis, quos gratia dia, nefandis
Intercepta cupidinibus, superique merentes
Deseruere, abjurata pietate, profanis
Accedent ultro sacris, Christoque relicto,
Infandi numen simulacraque vana tyranni,
Sive metu seu corrupta jam mente, sequentur.
Qui jussa accipere, imperiis parere negabunt;
Proscripti, vitam in sylvis per lustra ferarum
Invia, perpetua trepidi formidine, quernis
Glandibus et crudis, quas fors objecerit, herbis
Victu infelici pascent. Animosa piorum
Agmina, qui conculcata pietate tyranni,
Audebunt saevo coram se opponere monstro:
Emerita cingens lauro constantia victrix
Evehet illustri regna ad coelestia palma.

Non mihi si centum resonet vox ferrea linguis,
Saevitiam infandi regis, facta effera, dirae
Innumeras mortis facies numerare, vel ipsa
Nomina poenarum certem percurrere, quando
Tartareus quicquid genitor suggesserit, ultro
Improbus arripiet totisque immitis habenis
Christiadum in gentem effundet. Compone furenti
Threicii Diomedis equos, Busyridis aras,
Oenomai currus, Siculi tormenta boatus,
Mezenti rabiem, Marii Syllaeque furores,
Quicquid et a primo vernantis cespite terrae
Ira tyrannorum triste ac immane relatu,
Horrendum auditu, miserorum in fata coëgit, —
Ludus erit. Sed enim summo miseratus Olympo
Difficiles CHRISTUS pugnas durosque labores,
E Paradisaei nemorosis vallibus horti
Thesbitem et mundi primaevi sidus Enochum
Producet. Curru vecti flammante per auras
Advenient, tritis velati corpora saccis,
Impia crudelis damnabunt facta tyranni
Falsaque prodigiis veris portenta prementes,
Seductos fidei in leges desertaque castra,
Eloquio et clara morum probitate reducent.

At insperatis vatum successibus icta,
Acrius insani gliscet violentia monstri
Hostium in exitium, missoque satellite, utrumque
Ne quicquam terrarum omni regione requiret.
Praesidio superum tuti, vesana furentis
Consilia eludent. Nunc caeca nube latebunt,
Nunc conjuratis ad nutum ex aethere flammis
Lictorum incendent turbam, dum tertius annus
Mensibus exactis quarto decedet, in ipsum
Extremum immitis tempus regnumque tyranni.
Tum demum pariter Solymae sub moenibus ambo
Carnificum mucrone cadent. Inhumata jacebunt
Corpora, nec cuiquam exanimes tumulare licebit.
Verum ubi jam quartam terris aurora resurgens
Intulerit lucem, medioque altissimus orbe

Sol rapidis mundum radiis incendet, in artus
Exangues populo vita aspiciente redibit.
Exurgent ambo pariter, pariterque ruina
Mugiet horribili tellus abrupta capacique
Involvet gremio diri numerosa tyranni
Agmina. Concussi pars tertia corruet orbis,
Et simul aethereo de fornice clara per auras
Vox resonans, geminos in coeli culmina vates
Scandere praecipiet. Scandent in sidera, CHRISTO
Invitante, palam puraque in nube ferentur.

At vero infelix divini numinis hostis,
Ut trepidas populi mentes turbataque firmet
Pectora, oliviferi summo sub culmine montis
Regale attollet solium, populoque stupente,
Aërias Orci geniis suffultus in auras
Carpet iter. Sed enim medio quando aëre, cunctis
Attonitis, terris longe semotus, in ipsum
Aethera vesana tumidus spe scandere quaeret:
Ecce tibi astrifero CHRISTUS manifestus in orbe,
Terribili increpitum divinae fulmine vocis,
Praecipitem tristes Erebi detrudet in umbras.
Et simul erumpens scissis e nubibus ignis,
Una omnes monstri comites invisaque divis
Obruet involvens coelestibus agmina flammis.

Tunc primum Hebraeae gentis tot ducta per annos
In CHRISTUM rabies et vis inimica, parentum
Uberibus cum lacte fluens in dura nepotum
Pectora, placato incipiet mitescere coelo.
Coelitus infuso gens omnis lumine opacam
Discutiens nubem, quae circumfusa profunda
Implicitas longum obduxit caligine mentes,
Christicolum accedet sacris. Ecclesia, CHRISTI
Auspiciis victrix, toto rursum orbe sepultis
Hostibus attollet caput et fallacis Averni
Insidiis lymphata, metuque agitata tyranni
Turba ingens, precibus veniam lacrymisque petitam
Accipiet sacroque iterum succedet ovili.

Nec longum interea tempus, cum certa propinqui
Judicii indicia et ruituri praevia mundi
Signa dabunt superi. Vasto tremet excita tellus
Cum sonitu (ut jam nunc CHRISTO moriente flagello
Vidimus Horrifico tactam trepidare) minaci
Coelicolum perfossa manu, nunc illa ruinam
Pars orbis, nunc illa dabit. Pugnantibus Euris
In coelum ascendet curvatis montibus aequor,
Mox iterum abruptis manes descendet ad imos
Fluctibus. Horrisono transcurret litora pontus
Murmure, ceu invisas effuso gurgite terras
Expugnaturus. Salsi metuenda profundi
Monstra, procellosi vi turbinis acta, sub ipsis
Littoribus, subito se subducentibus undis,
Deserta, ignotis immania corpora arenis,
Exponent. Tremulae sylvarum devia linquent
Antra ferae, praedae immemores iraeque, per urbes
Attonitas current: vultuque in sidera verso
Confusis resonas rumpent ululatibus auras.
Purpurei insana victi formidine reges,
Sceptrorum immemores fugient. Matresque virique,
(Semianimes tremor unus agit) deserta ferarum
Antra petent pariterque cava se abscondere terra
Optabunt trepidi. Picea ferrugine clausos
Phoebus equos inhonorus aget viduataque luce
Emendicata fraterno a lumine Phoebe
Obscurum maculis vultum foedata cruentis
Horrebit; tristis nebuloso e fornice coeli
Praecipiti in terram lapsu prorumpere stellas
Attoniti credent populi, telisque Tonantis
Horrificis ruptae, glomerata tonitrua, nubes
Terribili terram sonitu quatientia fundent.
Denique tartareis fons erupturus ab antris
Igneus, a primo surgentis limine solis
Fluminis in morem, flammantibus omnia circum
Vorticibus late cingens inclusaque vastans,
Infaustum consumet iter sylvasque ferasque
Et quondam insignes incensis moenibus urbes
Funditus absumet. Quis eum cernentibus ignem,

Illam orbis cladem, dira illa incendia sensus?
Qui gemitus? quantis ululatibus astra lacessent
Nequicquam? ruet in miseros et dispare mortis
Tormento est uno corruptos funere sternet.
Integros vitae et morum probitate nitentes
Parcenti lambens flamma mitissimus ignis
Extinguet, toto superis ingrata furore
Corpora edet, justos, queis nondum funditus omnem
Eluerit labem veterum Metanoea malorum,
Parcius hos graviusque illos, ut quisque meretur,
Lustrabit. Cuncta in cineres (miserabile dictu)
Crudelis rediget vis insuperabilis aestus.

Omnibus absumptis, Michaël, cui subdita paret
Aligerum ter trina cohors, demissus Olympo
Vicinas terrae, sociis stipantibus, auras
Imperio CHRISTI insistet sonituque canoro
Terribilis per inane tubae exanimata citabit
Corpora ad horrendam supremi judicis urnam.
Incensi partes penetrabit quatuor orbis
Aëreae vox clara tubae. Mora nulla, beata
Coelestum famulante manu nutuque potenti
Artificis renovante, olim dispersa sub omni
Claudentis gremio terrae pelagique profundo,
Corpora, relliquiae, cineres atque ossa, medullae
Visceraque et nervi, sanguisque cutisque priores
Agnoscent Dominos, aptataque sedibus iisdem,
Non dissolvendis corpus compagibus idem,
Quod prius, ad superos, fragilis dum vita manebat,
Constituent. Laetae supremo ex aethere mentes
Desilient, tristes Erebi fumantis opacis
Anguigenis aderunt manes cogentibus; artus
Quaeque suos reducis cumulabit munere vitae.
Omnibus ille vigor membrorum et forma juventae,
Quam lustris sex exactis maturior aetas
Aut dedit aut fato non intercepta dedisset.
Nunc quoque qui quondam sexus distinguet, at omne
Naturae vitium in partu peccantis et illae,
Quas morbi intulerant maculae, et quae plurima casus

Aut vis ereptis dederant discrimina membris,
Omnibus una aberunt. Sed enim formosa piorum
Corpora, stellanti immortalis luce juventae
Illustres Phoebi radios et sidera vincent
Mobilitate leves elisi fulminis alas.
Atque ea vis membris inerit subtilibus, orbes
Quae facile aethereos penetret. Sed tetra nocentum
Corpora liventi plumbo graviora rigescent
Atque intorquendae fulmen sententiae in ipsis
Vultibus ostendent cupientque in Tartara, hiantis
Disrupto terrae gremio, vel montibus altis
In capita immani vibratis turbine, condi.
Sed frustra haec miseri, frustra: cogentur ab omni
Occidui Eoique orbis regione sub illas,
Quae Solymae muris Josaphati nomine notae
Incumbunt valles. Huc fortunata piorum
Agmina pernici prius accessura volatu.
Interea medio sublimis in aëre stabit
Angelica defixa manu crux aurea, claris
Illustrans radiis nitidum puri aetheris orbem,
Laetitia ingenti justorum pectora mulcens
Alliciensque oculos, sed formidabili parti
Adversae signum. Cujus fulgore minaci
Perstringente animos, miserandum ad sidera tollet
Clamorem infelix pravorum turba diemque,
Quo matrum infaustos uteros subiere creati,
Omnibus afficient diris. Super omnia lucem,
Qua revocante tuba, mundo spectante, perenni
Funere damnandi tumulos exire coacti,
Vocibus infandis rabidoque furore lacessent.

Hos inter fremitus, iterum percussa fragore
Intremet ingenti tellus, coelum omne trisulcis
Fulminibus reboans infandum immugiet, igne
Terribili ardentes et foedo sulphure flammae
Attonitos miserorum oculos animosque coruscis
Percellent telis; pariterque horrenda furentis
Adventum testata Dei per inania strident
Classica et impulsum quatient clangoribus orbem.

Jamque decemgemini summo de vertice coeli
Coelituum innumera judex praeeunte corona
Auricoma septus descendet nube; serena
Majestate pios hilarans vultuque severo
Horrorem ingeminans miseris, ea vulnera pandet,
Quae patriae pridem affixus sub moenibus urbis
Accepit. Domino Aligerum famulantia divum
Agmina, oliviferi summo super aëre montis,
Iridis in speciem suspensis nubibus, altum
Component solium. Quo postquam exceptus, amoeno
Vultu invitatos deserta ascendere terra
In sublime bonos celerique per aëra raptu
Judicis ad dextram statui, furiata nocentum
Turba procul cernent intabescentque videndo.
Ipsi autem, ad laevam detrusi interque rebelles
Sulphurei genios Erebi, nunc conscia plangent
Pectora, nunc nimium seris ululatibus aures
Judicis obstructas in cassum obtundere pergent,
Cum coram expandi scelerum monumenta librosque
Numinis articulis scriptos (quibus omnia gesta
Dictaque et arcanis inerunt meditata medullis)
Aspicient, seque, ipsi etiam in sua crimina testes
Inviti, agnoscent merito crudele perennis
Supplicium incurrisse necis justosque, supremi
Judicis ad dextram positos, stellantis Olympi
Atria et aeterni laurum meruisse triumphi.
Nam quo quisque animo tulerit vel sortis iniquae
Saevitiam vel ridentis contempserit aurae
Illecebras, quibus impulsus fallacis Averni
Cesserit insidiis, quaeque olim in crimina lapsus,
Quo deinde auxilio superum commissa piarit,
Omnibus expositi, dictu mirabile, libri
Ostendent. Non illa pias, quamquam effera, mentes
Crimina turbabunt meritaeve insignia palmae
Impedient, quae quis moribundo corpore clausus
Commisit, quando labem dolor improbus omnem
Eluit, et sancto virtus stimulata pudore
Acrior exarsit. Sed nec benefacta reorum
In laudem miseris cedent, nec judicis iram

Aut immortalis mortis sententiam, in omne
Duraturam aevum, poterunt inflectere, quando
Neglectis superum monitis spretoque Tonante
Nec vitiis posuere modum, nec funere in ipso
Dilata in seram flevere piacula mortem.

Postquam perlectis, non tardae munere vocis
Sed celeri mentis penetrantis acumine, libris,
Cuncta piis pravisque simul manifesta patebunt:
Victores judex ingenti voce (probante
Aligerum coetu et divum plaudente corona)
Laudibus ornatos meritis in regna vocabit,
Horribilique reos sententia in ima profundae
Antra Stygis caecique ignes devolvet Averni.

Haec sunt, quae nostri praesago carmine vates
Aetheris afflati radiis cecinere; sacrisque
Aut inscripta libris aut viva tradita voce
Perque manus seros fluxerunt usque nepotes.
Haec eadem Caiphae partim legisque peritis
Et scribis manifesta patent. Sed pectora tantis
Invidia infelix odiumque immersa tenebris
Implicat, ut quamvis promissam ex aethere patris
Aeterni sobolem, Jessaea stirpe renatam,
Affore non dubitent, praesentem agnoscere caeci
Abnuerint, verbisque fidem factisque negantes,
Abstulerint tristi fato; paribusque perosi
Exanimem studiis, excisum e rupe sepulchrum
Et saxo obstructum, quod bis sex robore toto
In facinus lecti nequeant avellere fures,
Excubiis munire parent; nec furta piorum
Discipulum metuunt, his sed mutabile vulgus
Figmentis capere ante placet vigilumque tuorum
Pollicitis precioque fidem corrumpere, ut arcem
Sidereum debellato si funere victor
(Quod metuunt unum) repetat, rumore sinistro
In populum late sparso, compressa stupendae
Fama rei tenues fugiat ceu fumus in auras.

His Aremathidae perculsus pectora dictis
Pontius obstupuit, salsusque horrentia membra
Permanans, pigro concussit frigore sudor.
Crescentes tamen arcano sub pectore curas
Dissimulat, certusque, omnem hac ratione futuri
Explorare fidem eventus, properare Josephum
Obstructique jubet claustrum reserare sepulchri.

Praesidis imperio paret justissimus heros,
Atque urbem egressus, charum festinat in hortum.
Cum venit, Ausoniae praeter vexilla cohortis
Ante fores magnam procerum affluxisse catervam
Aspicit admirans fabrosque hinc inde coactos.
Continuo accelerans limen reclusit, et ultro
Subridens, monuit vigiles advertere, ne quis
Discipulum e numero rupem cum corpore tentet
Avehere. Artifices, saxi impenetrabile robur
Perfodere aggressi, certatim omni arte magistra
Sese operi accingunt, summa nituntur opum vi.
Vix tandem longo exhausti sudore, frementum
Plausibus accensi, instrumentis saepe retusis,
Saepe etiam desperatis, post mille calenti
E stomacho effusas arma in fabrilia diras,
Perrupere ingens saxum geminumque foramen,
Unum ipso in claustro atque aliud sub margine rupis
Effodere, quibus ferrum jam jam igne recoctum
Intrudunt crebraque dein vi mallei in orbem
Certatim inflectunt, ansis per mutua nexis.
Sic tumulo impositum lapidem affixere, recludi
Viribus ut nullis posset, nulla arte sepulchrum
Aut ferro aut saxo illaeso. Tum deinde peractis
Omnibus, impressis signantur claustra sigillis,
Partitaque locum vigiles statione coronant.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

Tertia nimbosum terris producere currum
Aurora et purum nebulis praetexere coelum
Coeperat exoriens, cum matutinus euntem
Lucifer, eximia radiorum luce coruscans.
Et Phoebo proprior, revocat dominique triumphum,
Debellato Erebo, superum redeuntis in orbem
Nunciat. Illa jugo nimbos hyememque minantes
Solvit equos roseasque fores et florida pandit
Atria. Puniceo diffusum murice coelum
Omne rubet; tremulis radiorum vibrat in undis
Purpura et aurato lascivit in aequore flamma.

Fortunata dies! Pariis signanda lapillis,
Aeterno terrae plausu coelique per omnes
Aetates celebranda, quibus te laudibus aequem!
Quo satis ore canam! tibi vasta decemplicis orbis
Machina principium debet. Tu fluctibus hauris
Niliacas acies tutamque per aequora ducis
Isacidum stirpem perque invia lustra vaganti
Ambrosiam liquidis effundis nubibus escam.
Te radios promente, Sinaei in vertice montis
Igneus astrorum dominus manifestus ab alto
Aethere descendit legemque et foedera sanxit.
Aurea lux! qua Chaldaei feritate tyranni
Eversum Jesu templum renovante resurgit,

Fundatum auspiciis majoribus. O decus aevi!
Gloria coelituum! stirpi infelicis Adami
Expectata dies! qua divum hominumque repertor
Artifici factum dextra casuque sinistro
Confractum aeterno reparat vas nobile honore.
Te clarum pandente jubar lapis ille, superbis
Nobilior gemmis, flammasque imitante Pyropo,
Despectus Caiphae Judaeorumque furentum
Principibus, vulgi pedibus contritus, honori
Redditur, aeternoque iterum fulgore coruscans,
Tollitur in coelum, nova fundaturus Olympi
Moenia, nexurus firma compage, perenni
Foedere collectas utroque a littore gemmas.
Fausta dies! quae vivacis de fauce sepulchri
Incolumem patriis Amathiden reddis arenis.
Fortunata dies! atque in praeconia famae
Non satis una tuae! quae clausum in pulvere granum
Perpetua segetum foecundum surgere messe
Vidisti et tristi solem sub nube latentem
Dulcius excusso radios diffundere velo.
Ter felix una ante alias aurora! choreis
Coelituum aeternis et festo carmine digna!
Quae victorem Erebi, spoliis Phlegethontis onustum,
Tartareis reducem meruisti cernere ab antris
Atque omnem egregii formam spectare triumphi.
Namque tuae CHRISTUS sub prima crepuscula lucis,
Hinc illinc gemina Aligerum divumque corona
Cingente, umbrosi liquit claustra horrida mundi,
Promissi memor et divini corporis ingens
Depositum repetens, felicem tendit in hortum.
Et primum exangues perfossi corporis artus,
Vulneraque illa, terebrato quae vertice spinae,
Quae manibus clavi pedibusque immania adacti
Intulerant, lateque patentem in pectore plagam
Cuspidis Ausoniae monstrat. Mirantur amorem
Aligeri; at patres, queis saevo munere amantis
Parta salus et vita pio morientis amore,
Expleri mentem nequeunt; namque ipse videndo
Crescit amor, pariterque videndi flagrat, amoris

Incremento auctus, non exuperabilis ardor.
Interea exangues animam diffudit in artus
Omnipotens, membrisque decus vitamque sepultis
Reddidit. Aufugiunt subito palorque geluque,
Et mortis jus omne perit. Nativa recurrit
Purpura per venas et vivo murice membra
Imbuit. Ambrosiae succis et nectare tinctum
Aeternae corpus dotatur honore juventae,
Ut neque morborum vis insidiosa, nec aurae
Hibernae rigor, aestivae calor ullave veris
Autumnique inconstantis violentia possit
Securas animae furtim tentare latebras,
Nec quocunque furens praeceps audacia telo.
Clara tamen duri servat vestigia lethi
Clavorumque cicatrices hastaeque cruento
Divisum mucrone latus, quo tolleret omnem
Exploraturis dubitandi funditus ansam
Discipulis, laesique oculis subjecta parentis
Vulnera terribilem lenirent vindicis iram.
Sed nihil egregiae temeratur gloria formae
Plagarum indiciis; quot enim te vulnera pandunt,
Sidera tot roseo fulgent variata rubore.
Temporaque infixis jam pridem horrentia spinis
Gnossiacae superant sidus crinale coronae.

Excipit hanc dotem dos altera, mira beati
Corporis, alituum pennis et fulminis alis
Ocyor et rapido fugitivi temporis orbe,
Mobilitas. Neque enim moribundis artubus olim
Innatum pondus membra immortalia tardat,
Sed veluti coeli volucres per inane natantes
Non premit alarum pondus, sed tollit in auras
Et celeri tranare facit liquidum aethera cursu:
Sic adeo, si corporibus felicibus ullum
Pondus inest, animi imperio nutuque regentis
Accelerat, non sistit iter. Facilique beatus
Per summas segetum planta decurret aristas,
Nec graciles laedent cursu vestigia culmos;
Carpet iter medii per spumea caerula ponti

Et referet liquido intactas ex aequore plantas.
Illum etiam membris redivivis addit honorem,
Ut nulla aeterno moles adamante rigescens,
Nulli obices ferri aut libicis excisa sub antris
Marmora, nec solidi stellati fornicis orbes
Oppositi impediant motum cursumve retardent.
Omnia perrumpit vis imperiosa beati
Corporis; abruptis praeceps ceu nubibus auras
Ignea rima secans, dictu mirabile, solvit
Intactis loculis argentum massica vasis
Et rigidum incolumi vagina intercipit ensem.

Talibus omnipotens auctum post funera corpus
Dotibus obstructi inviolata sede sepulchri
Extulit et vivis iterum se reddidit auris.
Dant stellis flammas oculi, dant lumina Phoebo.
Frons nimbos formosa fugat coelumque reducit.
Candorem a vultu mendicant lilia, et umbra est
Purpureis rosa quando formosissima labris.
Nil habet ad tanti tellus celebranda decoris
Munera, nil coelum. Auricomo quae vertice spirant
Balsama? quis roseo vibratur corpore fulgor?
Immensum acturus coeli jubar, omniaque olim
Corpora coelicolum immortali luminis auro,
Flammivomi solis radios et sidera tantum
Exuperans, quantum taciturnae argentea lunae
Cornua et astrorum nocturnos Cynthius ignes.
Nunc quoque sidereo pendet surgentis ab ore
Coelicolum geminata acies, gaudentque perenni
Laetitiae cumulum de majestate beati
Corporis accessisse novum geminataque gratis
Gaudia concelebrant animis dignosque supremo
Collaudant humeros et dignum numine vultum.
Sic quando rex pennigerum Titanius ales,
Haeres ipse sui, pretiosi funeris igne
Egreditur Phoenix et amici solis ad aram
Evolat, innumeris reducem circumvolat alis
Alituum gens omnis et auro interlita colla,
Cristatum caput ac roseae discrimina caudae,

Caerula, puniceique superbum insigne decoris
Admirans, resonis animat concentibus auras.

Postquam illibato de marmore prodiit, omni
E patrum numero quosdam selegit honoris
Eximii in sortem. Divina ad jussa sepultos
Coeligenae e tumulis rapiunt. Compulsa refudit
Depositos tellus cineres, Deus arida nutu
Ossa novat junctosque animis mirantibus artus
In vitam revocat. Decorat pulcherrima vivos
Gloria et aeternae decus immortale juventae.
Protinus ad moestae thalamum succedere matris
Tempus, ait, tristesque oculis abstergere fletus.
Dixit, et elisi violentis fulminis alis
Ocyor, in chari penetrat secreta cubilis.
Sic matutinus montana cacumina primis
Illustrat radiis Phoebus, tum deinde jacentes
Luce sua valles arbustaque frondea pingit.

Securis mater repetebat planctibus atrae
Supplicium crucis et crudelia vulnera flebat
Non injucundo, rediturum certa, dolore.
Lenibat gemitus dulci interfusa tumultu
Debellati Erebi et nati victoris imago.
Atque ubi jam faustae medio sub sidere noctis
Purpureas optata rotas Aurora parabat,
Spe propiore calens et amore incensa videndi,
Morte triumphata spoliisque Acherontis opimis
Insignem et clauso reducem de marmore natum,
Ingeminat tales dulci pietate querelas:

Fallor, an elapsum tumuli jam tempus et orbem
Tertia lux aperit? tu nigris lentus in umbris
Cunctaris, moestae gemitus lacrymasque parentis
Dissimulans. Mea vita veni! promissa reposcunt
Te tua, et aequoreo rediens e carcere Jonas.
Aspice, ut infernis reducem te expectet ab oris
Sol, tellus, natura, polus, materque paterque.
Sol radios pro te positos lucemque reposcit,

Restauratorem tellus, natura parentem,
Coelicolae regem repetunt, sua gaudia mater.
Eja age rumpe moras, et te tibi redde mihique!
Nox abiit: satis o! somno noctique dedisti.
Surge, quid heu tardas Samson meus! arripe postes
Mortis, et in patrii rediturus culmina montis,
Da matri extincti clausum sub fauce leonis
Praelibare favum. Mundi tutela natantis
Surge Noë longumque (potes) tandem excute somnum.
Nudatosque artus divinae lucis honore
Indue et emeritos in sidera tolle nepotes.
Projice squalentem tunicam, fuge carceris antra,
Chare Joseph, ostroque humeros auroque coruscans
Confectum macie populum jejunaque pasce
Pectora sepositis meliora in tempora aristis.
Surge age, quid tardas? Surge, o mea gloria, surge
Et lapsum renova (jam lux est tertia) templum.

Vix haec: cum clarae medium in penetralibus aedis
Aspicit aethereo fulgentem lumine natum
Atque omnem Aligerum divumque adstare coronam.
Continuo dolor omnis abit, cumulantur amanti
Gaudia, non divis satis exploranda beatis,
Nec tenuanda mihi. Si fas tenuare canendo,
Sic genitrix raptum fraterno crimine Abelem
Oblita est nascente Setho, Rebecca Jacobum
Exilio reducem, tali laetissima vultu
Amplexa est. Falsae sic post tristissima cladis
Lamenta incolumem Memphitide vidit in aula
Isacides ostroque insignem auroque Josephum.
Sic patrii successorem sceptrique thronique
Aspexit Salomona parens, et munere magni
Vatis ab inferno reducem post funera natum
Mirata est Sunamitis, rursumque faventis
Numinis auxilio fortunatissima matrum
Aequorei vivo reducem de carcere monstri
Obstupuit; sed enim liquidissima gaudia matrum,
Laetitiae collata tuae, decedere tantum
Indubitata fides, quantum regina parentes

Una alias felix superas, quantum omnia matrum
Pignora progenies superat tua. Quae tibi primo
Verba sub aspectu redivivi elapsa! quis ardor
Egit in occursum, vel quae reverentia pressit
Ardentem! quo se omnipotens effudit amore
Matris in amplexum natus! quae prima beati
Quae postrema parens nati dedit oscula plagis?
Nunc juvat illustres lacrymis ridentibus artus
Tingere, virgineis nunc condere vulnera labris
Laetitiaque frui tota. Exultantia divum
Agmina, quaeque illis inclusa penatibus, orbis
Quaeque per astriferi vastissima regna supremo
Aeternum genitori adstant, ad dulcia plaudunt
Oscula et eximium magnae genitricis honorem.
Tunc etiam cecinere voluminibus gyrantes
Harmonicis coelorum orbes clarisque per auras
Auditi modulis Domini celebrare triumphum,
Ipse etiam Aligerum auxilio nutuque Tonantis
Lucivomos radiis Phoebus majoribus axes
Induit innubesque rotas auroque micantem
Extulit insueto perfusus nectare currum.

Interea patria vix lege coërcita, postquam
Sabbata transierat secreto invita cubili
Magdalis, insani stimulis agitata doloris,
Ut desiderii primum data copia, amoris
Impatiens, charum lacrymis cumulare sepulchrum
Exanimesque artus properat decorare supremis
Muneribus: magni solatia vana doloris.
Addit se comitem lugenti Martha sorori,
Partheniique parens juvenis miseranda Salome,
Et tristis Cleophae conjux Cusaeque marita.

Ibant et prima aurorae sub luce ferebant
Haec notam tumulis Aloen, haec pinguis Amomi
Spirantes late succos lacrymosaque myrrhae
Munera, Achemeneae defert pars pocula Nardi,
Pars casiam, pars Panchaeis redolentia lucis
Cinnama Judaicisque virentia balsama sylvis.

Fervet iter gemitu, et variis sermonibus horam
Fallebat seseque dolor, miserabile chari
Supplicium relegens et tristia fata magistri.
Jam prope marmorei lacrymantes claustra sepulchri
Attigerant, cum sollicitis ea cura recurrens,
Qua tandem ratione immanis pondera saxi
(Quo tumuli occlusum limen) removere daretur,
Aut vigilum excubias conatu eludere; utrumque
Foemineis opus aut animis aut viribus impar,
Torquebat dubias mentes. Nunc lumina terrae
Attonitae figunt, nunc sese humentibus una
Respiciunt oculis, nunc verso in sidera vultu
Auxilium praesens superum viresque precantur.
Haud aliter veris formosi prodroma hirundo,
Cui domus ac hospes aliena in turre propago,
Cum redit ac multo quaesita alimenta labore
Ore refert clausamque videt vicina fenestram,
Qua sola accessus faciles in tecta patebant:
Nunc alios aditus quaerit, nunc sedula clausam
Observat, si dextra viam fortuna recludat,
Nunc reduci garrit tristissima fata marito
Multaque conatur frustra seseque fatigat.
Quam mallet simul includi! solatia nido
Adderet aut chara saltem cum prole periret.

Jamque adeo desperantes vestigia retro
Vertere decepta tristes pietate parabant,
Cum subito tellus impulsu excita, stupentum
Sub pedibus trepidare flagellatisque ruinam
Ponderibus minitari. Arcano verbere tactus
Mons ipse et monti circum vicina resultant
Aequora; nam puro pulcherrimus ales ab axe
Descendens, patrio igne micans niveaque decorus
Veste, manu valida arreptum dimovit opaco
Impositum tumulo lapidem, vacuoque resedit
Marmore conspicuus. Latii fulgore corusco
Luminis horrendi vigiles formaeque minacis
Terribili aspectu attoniti terraeque trementis
Immani sonitu, rapidi ceu fulminis aura

Afflati, cecidere.
Tandem ubi vix longo post tempore sanguis in artus
Torpentes iterum inserpsit viresque receptae,
Prodigiis acti coelestibus, alite vento
Praecipites magis ac velis praegnantibus, urbem
Certatim repetunt monstrisque ingentibus implent.

At vigilum abscessu et revoluti denique saxi
Intuitu Matronarum spes addita mentes
Excitat. Accedunt avidae reserataque sacrae
Ostia speluncae dulci moerore salutant.
Vix primo posuere pedes in limine, et ecce
Coelestis genii lux improvisa tuentes
Terruit, et rosei majestas aurea vultus.
Compressere gradum. At trepidas pulcherrimus ales
Affatu dulci vultuque invitat amoeno.
Felices animae, superis gratissima tristem
Ponite corda metum; vobis ego missus ab alto
Aethere, compositum dulci quae funus amore
Quaeritis et sacro cumulatis dona sepulchro.
Nil tamen his opus est: victor mortisque Stygisque
Aethereas rediit CHRISTUS redivivus in auras.
Cernitis, ut vacui sedeam super ora sepulchri?
Cernite et errantes monitae compescite fletus
Et celeres Petro pariter sociisque, cruento
Perculsis Domini fato, mea dicta referte.
Ipse etenim charos Galilaea in rura clientes
Promissi memor anteibit seseque videndum
Objiciet noto Thaborei in culmine montis.

Dixerat: at crebris turbatae pectora monstris,
Non satis advertunt monitus nec credere possunt,
Morte triumphata reducem superesse magistrum.
Depulso terrore tamen juvat ire novasque
Spectando lacrymas excire; effundere habenas
Planctibus et tumulo dulces immergere nimbos.
Vix antrum ingressae, chari penetralia claustri
Collustrant oculis avidae funusque requirunt,
Absentisque novo dum corporis icta stupore

Pectora turbantur, nec quid timeantve gemantque
Desperent sperentque, sciunt, de marmore corpus
Magdalis abreptum ingenti lymphata dolore
Credit et impatiens invisa ad moenia tendit,
Discipulis rapti indicium factura magistri.
Stant moestae interea comites iterumque fatigant
Speluncae latus omne oculis iterumque; sed omnis
Irritus in ventos recidit labor, aegraque duris
Versat agens imprudentum praecordia curis.
At pius inferni domitor lethique piarum
Dissimulat bonus errores delictaque amantum
Sollicitoque novum miserans solamen amori
Moerorique parat. Gemini namque aethere ab alto
Coeligenae, clara radiorum luce micantes,
Demissi, blando subitum sermone tremorem
Discutiunt memorique jubent promissa magistri
Mente revolventes vanos abrumpere fletus,
Nec vacuo vivum frustra explorare sepulchro.

Talibus instructae jam dudum oblita magistri
Verba animo repetunt lacrymarumque imbre represso,
Desperata pias perfundunt gaudia mentes.
Non tamen abscedunt tumulo; juvat usque morari
Et vacuum rursus marmor lustrare et inani
Munere defungi sacroque effundere saxo
Deceptos Arabum succos. Juvat oscula in omnem
Spargere speluncae partem, juvat illa vicissim
Conturbare novis. Magnus metasque modumque
Nescit amor, seu laeva premant, seu prospera tollant.
His demum exactis, laetae mandata capessunt
Grataque discipulis redivivi nuntia CHRISTI
Pandere et infixas ardent evellere curas.

Bisseni pars magna chori, quos vincula CHRISTI
Huc illuc rapido sparsos terrore fugarant,
Vix tandem Domini post tristia funera, caecis
Defensi tenebris, per fida silentia in urbem
Rettulerant furtim gressus ab aedibus iisdem,
Paschalis quibus explerant solennia mensae

Fercula, conclusi, variis sermonibus omnem
Historiam lethi crudelis et atra magistri
Fata renarrabant. Moestos moestissimus inter
E latebris aegre extractus consederat, altis
Oppressus curis Petrus rivoque perenni
Aucturus comitum lacrimas, cum Magdalis omnem
Jam permensa viam, notos ingressa penates
Et vultum lacrymis suffusa, metumque fugamque
Exposuit vigilum; divulsum a limine claustrum
Coelicolum impellente manu, sed nulla sepulti
Corporis indicia apparere. Aut numine divum
Sacrilego aut furto violato jure sepulchri
Avectos artus. Tantis in cladibus unum
Credebam superesse meo solamen amori,
Ut charum lacrimis funus donisque frequentans,
Ingratam exanimis Domini ad vestigia vitam
Exuerem, at miserae hoc etiam sors dura negavit.

Plura dolor desperatis jam denique rebus
Raptaque vesano pietas errore parabat,
Cum reliquae hospitum comites subiere recenti
Laetitia perfusae animos; numerumque decusque
Aligerum monitusque docent dominumque, subacta
Morte triumphantem, Galilaeo in monte videndum.
His tamen indiciis non persuasere; negabat
Obstructas verbis dolor intractabilis aures.
Importuna malis tantis solatia fingi
Conjiciunt dulcive avidis insomnia fraude
Imposuisse putant. Instant tamen undique et uno
Consensu matronae. Iterumque iterumque renarrant
Coelicolum voces; urgent properare suisque
Perlustrare oculis viduati saxa sepulchri.
Inflexere animos. Petrus comitante Johanne
(Adjungit sociam se Magdala) deserit urbem,
Explorare fidem dictorum ac visere marmor
Accelerans. Membris vires frigentibus addit
Effoetosque accendit amor violentior artus.
Jamque propinquabant campo, qua semita pronum
Ad tumulum signabat iter, studioque videndi

Raptus et intonsae primaevo flore juventae,
Praecipiti cursu per daedala prata Joannes
Emicat et comitem longe post terga relinquens,
Ad limen tumuli accessit. Vacua omnia cernit
Vastaque miratur revoluti pondera saxi.
Longaevi tamen insignis reverentia amici
Ardentem tenuit. Petrus non multa moratus
Speluncae subiit penetralia, et omnia lustrans,
Aspicit implicitam cum cura sindonem et ipsum
Divini capitis velum sub margine claustri
Non temere appositum. Vacuum custodibus hortum,
Avulsi a tumulo vi magna immania saxi
Pondera miratur. Cunctantem in limina laetus
Inducit Zebididen; mortemque, potentis
Imperio Domini victam, argumenta triumphi
Undique lecta, aperit. Latiosne invadere quisquam
Auderet vigiles, numeroque armisque timendos?
Aut cui tam validae juvenili in corpore vires,
Immane obstructi claustrum ut divelleret antri?
Quae demum tacitae fraudis solertia tales
Falleret excubias, illibatisque sigillis
Atque interjecti inviolato robore ferri
Occlusi posset limen reserare sepulchri?
Non alias artes tandem majoraque credam
Viribus humanis haec in miracula tendi
Brachia. Fac tamen humanis haec viribus acta
Mortalique manu, quosnam violasse feremus
Sacrilega dextra funus miserabile? amicos?
Quam sceleris sperent mercedem? hostesne? quid ergo
Excubias legere sigillatumque sepulchrum
Obstruxere? quid ingenti sudaria cura
Linteaque insano concinnavere labore
Evictaeque fidem mortis, quam infringere certant,
Corpore surrepto firmant? ipse, ipse potenti
Qui functos nutu toties revocavit in auras,
Exanimes artus vita meliore resurgens
Induit. In mentem redeunt jam clara magistri
Verba, quibus toties moerentum pectora mulcens
Hoc quoque pollicitus. O si mihi cernere mortis

Et tumuli victorem oculis his, auribus illud
Hyblaeisque favis et nectare dulcius omni
Eloquium et veras audire ac reddere voces
Annuerint Superi! facilis senioris amici
Accedit dictis juvenis, nec longa morati
Abscedunt; neque enim procerum timor altius imis
Visceribus mersus, famaeque volatilis urbem
Prodigiis incensurae, consistere passus.

Sola tamen certis non exsaturata remansit
Magdalis indiciis, absentem moesta gemebat,
Quem solum vidisse cupit vanisque querelis
Amissum flebat corpus delusaque vota.
Ac tanquam primis oculorum obtutibus omnem
Non satis ambisset tumulum, redit; omnia avaro
Excutit intuitu caecae penetralia rupis.
Verum ubi nulla usquam praesentis signa magistri
Deprendit, querulis antrum clamoribus implet:

Reddite, crudeles, sublatum reddite corpus.
Reddite nec sacri leges temerate sepulchri.
Hei mihi! cui tantum licuit, clarissime! crimen?
Infelix! dum sacra times infringere jura,
Incustoditum perdis graviore magistrum
Crimine! num festis tumulos violare diebus
Fas; celebrare nefas? sero heu! sero anxia defles
Jacturam crimenque tuum. Quae insania charo
A domini tumulo, quis te malus abstulit error?
Num vigilum formido? o quam mihi dulce fuisset
Exanimem chari ad funus cecidisse magistri!
Frigentisque pedes calido lavisse cruore,
Quos lacrymis olim tinxi. Tunc me quoque raptor,
Quisquis is est, praedae in partem traxisset, eodem
Exanimis forsan tumularer marmore et umbra
Elisiis dominum felix comitarer in hortis.
Vidissem saltem auferri et trepidantia fido
Sacrilegi pede pressissem vestigia furis
Nec sic orba forem. Nunc quo te, CHRISTE, sepulchro
Aut quibus amissum terris ignara requiram?

Haec inter clari spectans laetissima solis
Sidera: quid roseos, inquit, pulcherrime vultus,
Quid nitidae auricomos ostentas lucis honores?
Sol tuus umbrosas Limbi descendit in oras,
Sol meus heu densis circumsitus occidit umbris.
Fallor, an ignivomum CHRISTI sub fata dolore
Percitus obtexti spissa caligine currum?
Hei mihi! cur coelum repetis, cur dulcia terrae
Lumina non meritae renovas, obscura priusquam
Sol meus, egrediens noctis loca, reddat ademptos
Magdalidi radios seseque ostendat amanti.
Quisnam importunos ingratae lampadis ignes
Ante diem tibi Phoebe dedit? cur jura vicesque
Invadis noctis tenebrosae et non tua laetis
Caerula scandis equis compostaque foedera rumpis?
Quid tamen incuso? solem fors ille subegit,
Qui me vicit amor; similique exercitus igne
Surgit, ut exanguis domini pallentia membra
Cernat et obscuri pandat latebrosa sepulchri.
Conde tuum, sol, conde jubar deceptaque rursus
Lumina in Hesperium praeceps demerge profundum.
Nescio, quis charum rapuit mihi, Phoebe, tibique
Sacrilegus corpus spoliis ditatus opimis.
O utinam quos nunc radios, heu segnis, Olympo
Exeris amissa praeda, maturior orbi
Et mihi donasses! potuisses tristia noctis
Furta tenebrosae atque ingens avertere damnum.
Quae te, quae tardum tenuit mora? nunc quoque saltem,
Si miserae detestatum mihi prodere furem
Phoebe potes, nunc prode; orbis quocunque sub axe
Deliteat, repetam praedam mediosque per enses
Avellam dulces artus aurove rependam.
O si nunc aliquis iterum te prodat Judas
Abreptum tumulo pretioque exponat emendum!
Non me crudelis Caiphas inimicaque patrum
Turba vel invidia gliscens vel foenore dives
Vinceret. Invidiam premeret castissima amoris
Flamma tui; exanimem pretio majore referrem,
Quam vivum infelix animi projecit Judas.

Quid loquor, aut ubi sum, quo me, quo luctus amorque
Turbatam impellunt? quid amans amensque lacesso
Vel tardos Phoebi radios vel furis iniquum
Ignoti facinus? nec me super omnia culpo
Heu segnem! et vano tantum moerore probantem,
Quas jacto flammas, quem fingo credula amorem?
Si mihi, quam fingo demens, quamque esse deceret,
Vis in amore foret, non me prior ullus amici
Aveheret corpus, rupissem claustra sepulchri;
Quodque aliis factum sero queror, ipsa tulissem
Exangues artus et te, mea vita, sub illo
Clausissem tumulo, quo conditus ante jacebat,
Quem superas divum revocasti frater in oras.
Tunc ego te vigili potuissem plangere cura,
Tunc mihi perpetuis vigiles corrumpere donis,
Fas foret, et dulci gemerem secura dolore.
Nunc tanti famam facti laudemque Josephus
Abstulit, et dulci merito fraudata magistro,
Dona fero vacuo non profectura sepulchro.

Talia turbato secum sub pectore volvens
Et nullam domini jam spem superesse videndi
Ipsa sibi fingens, vitae pertaesa suique,
Ad tumuli latus exhaustis jam viribus aegra
Procubuit, lacrymisque madens, nunc aethera et ipsos
Depositi tanti oblitos in sidera fixis
Luminibus divos culpat, nunc devovet atri
Artifices sceleris violatoresque sepulchri.
Solicitae quicquid mentique oculisque recurrit,
Invadit duris laceratque incensa querelis.

Nunc mihi, nunc sordent rerum quaecunque creatrix
Protulit, aut reliquum natura profundet in aevum.
Omnia nam celeri pereunt nascentia fato,
Ut marcent aquilone rosae, ut delapsa per auras
Stella cadit stridensque Noto rapiente sagitta.
Nec quicquam ex illis superest, nisi luctus et ingens
Ludibrium, irrisis quod legat amantibus ipsa
Spes duraturi fallax et falsa decoris.

Invideo superis, quia te, mea vita, fruuntur.
Fallor, an Ausonias terra trepidante fugarunt
Coelicolae excubias, reserato ut marmore sacrum
Depositum coelo inferrent? praedaque potiti
Exultant animis et circum tempora fusos
Ostentant laeti radios niveisque triumphant
Vestibus et mea felices suspiria rident.
Me miseram! picturati quot fornicis orbes
Includunt interpositi mea gaudia? nec fas,
Ingratae nimium dominum se reddere terrae,
Nec mihi fas, terra coelos penetrare relicta.
Quid mihi cum terra est? quae putri e pulvere fictis
Et cito lapsuris claudit pulcherrima membris.
Heu quianam miseris vitales sufficit auras
Invitis aër; felicibus invidet? odi
Sidera Dictynnamque Hiperioniasque quadrigas,
Quod lucem affundant oculis, queis caetera spectent;
Nec radios pandant, queis cernere detur amantem.
Nox invisa mihi, tenebris mea gaudia condit.
Tempora perpetuo fugientia et optima quaeque
Ante diem injusta secum rapientia falce
Devoveo. Veris liquidi fragrantis odores
Ingratum spirant, postquam flos ille cruento
Succisus fato periit. Nil dulce relictum est
Abreptis domini plantis, queis dulcia fixi
Oscula, quas lacrymis sparsi tersique capillis.
Quid juvat aut oculis nequicquam aut auribus uti,
Quando illum post fata mihi, sors dura, negatur
Cernere et ambrosias fida aure haurire loquelas.
Omne hominum genus aversor matresque virosque;
Has, quia jam casto nil dignum restat amore,
Hos, quia delicias divumque hominumque cruentae
Demisere neci nec luci reddere possunt.
Ut miseram taedet coeli convexa tueri
Et vitae proferre dies, cum muneris author
Bis mihi, bis periit! semel atro stipite pendens,
Atque iterum effracto raptus post fata sepulchro.
O mors, o vitae spoliis ditata, rigentes
Redde imploranti surrepti corporis artus,

Et mihi vel toto terrarum charior orbe
Una eris et nitida stellati fornicis arce.
Nil tibi in extinctum juris, tua scena peracta est.
Jam tumulo jus omne, mihi jus omne sepulti
Debetur. Liceat Panchaia dona, Sabaeas
Composito merces Arabumque affundere odores.
Votivos miserae liceat persolvere fletus.
Dura quid oranti crudeles obstruis aures?
Tune etiam mihi muneribus tentanda profusis?
Quid petis aut qua sublatum mercede repones?
Si lacrymis flecti posses, si dulcibus auri
Corrumpi illecebris, nunquam tot funera regum
Non exorandis cumulasses improba telis.

His aegram curis lux improvisa, per omnem
Speluncam diffusa, graves abrumpere questus
Compulit. Affixos tumulo levat ocyus artus.
Dumque iterum vacui gremium lustrare sepulchri
Inflexa cervice parat, videt aethere lapsos
Aligeros geminos niveaque in veste micantes
Ad sacrum tumuli caput hic considere, at ille
Marmoris opposito residere in margine, blando
Coelestes genii moerentis lumine pectus
Mulcere et dulci luctum sermone levare.

Hei mihi, depositos aliquis mihi sustulit artus,
Illa refert, quodque ipsa magis doleoque querorque,
Nescio, quo raptum misera avexere magistrum.
Nec mora, responsi impatiens, humentia vertit
Lumina in oppositum speluncae turbida limen
Ignotumque ipso cernit sub limine stantem,
Ac velut accingentem operi se, hortumque ligone
Altius infixo a tribulis purgare parantem.
Cujus ab aspectu laeto percussa stupore,
Siccari sensit lacrymas sine lege fluentes.
Quo magis infixo conspectum lumine lustrat,
Increscit stúpor ipse magis; suspendit amantem
Objecti nova forma viri vultusque, nec illi
Ignotus penitus nec adhuc manifestus. Amica

Obvius aggreditur cunctantem voce rogatque
Moeroris causam, velut inscius. Ingemit illa
Ereptumque sibi repetit bis terque magistrum.
Quod te per superos omnes superumque parentem,
Perque fidem, si restat adhuc mortalibus usquam
Inviolata, rogo, miserere gementis, amantis,
Orbatae miserere! et si miserabile corpus
Abstuleris, tumulo intemeratum redde mihive,
Dic, ubi depositum est dulce et lacrymabile furtum,
Ipsa suo referam frigentia membra sepulchro.
At Christus (nam Christus erat) nota induit ora
Et moestam arcana exhilarans dulcedine mentem,
Nomine compellat. Dominum simul illa vocantem
Audit et agnoscit. Tum flexo poplite sacros
Volvitur ante pedes, divinis oscula plantis
Officiosa parat solitisque amplexibus ardet,
Stringere laeta Deum. Vetat ille, avidamque coërcens,
Promittit desiderio opportuna serenus
Tempora. Nunc trepidis potius solatia amicis
Impertire, inquit, sociisque haec gaudia perfer.
Quid faceret? vix inventum rellinquere durum est,
Indignumque, moras jussis obtendere. Abire
Qui vetat, urget amor; jubet et vetat, usque morari.
Dum dubitat varioque anceps impellitur aestu,
Subduxit sese tenues elapsus in auras.

Ergo alacris dictis paret comitesque revisit
Laeta suas; quas jucunda pietate juvabat
Spem verbis animare novam, viridesque per agros
Errantes, domitae audebant contemnere mortis
Spicula et insanum procerum ridere furorem.
Talibus intentas offendens Magdalis, omnem
Exultans aperit domini surgentis honorem
Erroremque suum. Media inter talia verba
Ecce! improviso attonitis se virgine natus
Obtulit, et blanda compellans voce, salutem
Impertit. Quamvis nondum explorata loquentis
Forma foret, tamen et divini gloria vultus
Ambrosiaeque comae vocisque impressa medullis

Vivida vis et laeto undantia lumina fletu
Dulce per augurium mirantum pectora ducunt.
Continuo effusae genibus crebra oscula sacris
Dant pedibus blandisque avide complexibus haerent.
Nec modus, ex oculis nisi se subducat amantum,
Et rursum aërias fugiens discedat in auras,
Ut desolatis eadem det gaudia amicis.

Praecipue Petro, cujus miseratus amaras
Ob scelus admissum lacrymas, solatia amanti
Accelerat promissa pius. Sacro ille sepulchro
Abscedens (dum Parthenius festinat in urbem
Pernici gressu juvenis sociosque revisit)
Maturo sequitur passu; secum ipse revolvens
In vitam reducis clara argumenta magistri.
Spemque metumque inter, geminis ceu fluctibus actus
Haerebat, num sese oculis coramque videndum
Immerito Deus infidae post crimina linguae
Annueret. Qua deinde reus, qua fronte quibusve
Auderet Dominum, tanto dignatus honore,
Aut oculis spectare aut exorare loquelis.
Talia versanti sese Deus obtulit ultro,
Sidereo fulgore micans, genibusque volutum
Tendentemque manus ambas veniamque precantem,
Illo, quo nebulas irataque fulmina vultu
Discutit, aspiciens, mira dulcedine mentem
Circum fudit et attonitum nec tanta ferentem
Gaudia vi subita raptus per inane reliquit.
Ille autem, ut primum sibi redditus, ocyor aura,
Praecipiti cursu valles emensus, in urbem
Accelerat notasque hilaris succedit in aedes,
Certa relaturus trepidis solatia amicis.

At parte ex alia miles Romanus, in urbem
Diffugiens, patribus tumuli miracula pandit
Et Christum ad superos salvo rediisse sepulchro.
Sese, oculis divum flammas vibrantibus actos,
Praecipiti per rura fuga quaesisse salutem.
Monstro insperato turbatus inhorruit Annas.

Infremuit tumidus Caiphas. Non vana referri
Fidorumque stupor vigilum pallorque probabant.
Qua tamen haec praestet functus sibi? sed tamen ipsum
Hoc quoque pollicitus promissi tempora servat.
Vincimur? aethereas rediit post funus in auras?
Certius est Orci genios colludere falsisque
Exanimem furtim subducto corpore amicum
Prodigiis decorare. Sed haec si spargimus, anceps
Alea jactatur. Sapientum ut pectora veris
Accedant, stupidi tamen intractabile vulgi
Ingenium haec nunquam capiet; rapuisse ferantur
Discipuli excubiis somno sub nocte sepultis
Exanguis Domini corpus, violasse sepulchrum
Sacrilega pietate. At quis dolus ora Latinis
Obstruet excubiis? auro expugnanda cohortis
Romulidae donisque fides. His deinde statutis
Immane Ausoniis argenti pondus et auri,
(Quod templo populus, non illos munus in usus
Obtulerat) furtim obtrudunt, seseque patronos
Affore mentitoque fidem veniamque sopori
Conciliaturos placato judice spondent.
Talibus illecebris et dulci vincitur hamo
Aeneadum generosa cohors, et fraude Suorum
E tumulo raptum spargit per compita CHRISTUM.
Protinus Ausoniam procerum manus impia in aulam
Accelerat ruptique scelus ferale sepulchri
Aggravat, et vigiles (sic poscit fabula) jurant
Nocte intempesta, quando violentior urget
Letheo somnus torpentia lumina cornu,
Audaci comites furto avexisse cadaver.
Pontius ignavam probris lacerare cohortem,
Intentare minas et inerti debita somno
Supplicia. Iratum patres colludere docti
Mulcere et placidis furibundum flectere verbis.
Abnuit, et vigilum cui credita cura, vocari
Longinum jubet accedentique objicit omnem
Militis ignavi somnum. Tune ille sepulchri
Argus et occlusi custos fortissimus antri?
Dic age, quot madidus ciathis, quo carmine victus,

Tu vigilesque tui magicae quo vimine Cyrces?
Queis nec divulsi lapidis vastissima moles,
Nec tot letheum fures rupere soporem?

His ille incensus stimulis: quos, optime, fures,
Quem mihi torporem verbis iratus amaris
Inculcas? superos testor Christique potentis
(Semper erit Deus ille mihi) inviolabile numen,
Nos dulci noctem invictos traxisse sopori.
Quod si tantus amor claram cognoscere rapti
Corporis historiam, dicam, licet arma necemque
Oppositam cernam. Nec vi nec fraude sepulchrum
Effractum est, nec discipulum pietate profana
Abreptum Domini corpus. Sed nocte fugata
Cum primo lucem inveheret Tithonia curru,
Innumeris superum turmis comitantibus, aurea
Christus luce micans, intacto marmore in auras
Aethereas rediit. Divisum cuspide pectus
Illaque, quae manibus pedibusque in stipite fixis
Intulerant clavi lictorum vulnera adacti,
Ipse meis oculis vidi. Dum tanta revolvens
Monstra tremo, magno tellus impulsa fragore
Mugiit, atque aliquis divum, fulgentibus alis
Inclytus, horribilis vultu flammaeque coruscae
Fulgore atque humeros candenti indutus amictu,
Ad limen positum saxum dimovit et omnes
Ignivomis vigiles oculis perterruit. Omnes
Praecipiti per prata fuga dare terga coëgit.
Si pavidis haec ficta putas et inania veri,
Incustoditi speluncam invise sepulchri,
Lustra oculis tumulum intactum signataque claustra;
Non haec humanis opibus, non fraudibus acta
Deprendes. Vos interea, vos dicite coram,
O comites, qui discipulis furantibus artus
Fingitis, abreptos furantumne ora notastis?
Vidistis scelus aggressos? formidine victi
Aut numero oppressi, sine vi, sine sanguine corpus
Avelli permisistis? sin lumina somno
Torpuerint, qua discipulos ratione quibusve

Sacrilegi indiciis oneratis crimine furti?
Haec fatus, pictis fulgentia cingula bullis
Pendentemque humero imperterritus exuit ensem,
Linigerumque patrum turba ringente, stupentis
Praesidis ante pedes projecit. Et hactenus, inquit,
Si qua sui est forti merito fiducia, miles
Non contemnendus, tua sub vexilla fidemque,
Virtutemque animumque armis, Pilate, probavi.
Caesaris auspiciis felix, per vulnera vitem
Emerui, adverso quae pectore plurima nullum
Excepi tergo fugiens. Nunc auspice coelo
Ad nova bella feror. Placidae quodcunque senectae
Addiderint spatium superi, CHRISTO duce, coelo
Devoveo. Juvat extremo sub limine vitae,
Emerita rude donatum, victricia sacrae
Signa subire crucis, CHRISTO pugnare novumque
Fraudibus inferni, vitiis mortique mihique
Vincendis tyrocinium inceptare decorum est.
CHRISTE fave primumque tui bonus aspice testem
Numinis et validas tyroni in proelia vires
Suffice. Tartareas da debellare cohortes,
Tolle triumphata victorem in sidera morte.
Dixit, et in verbo vertens vestigia, liquit
Attonitam non speratis successibus aulam.

Ambigui vario dicentem pectoris aestu
Romulides audit trepidatque miserrimus alto
Cor stringente metu. At triplici praecordia ferro
Obstricti proceres rident et fraudibus instant,
Turbatam tot prodigiis componere mentem
Praesidis et claram tenebris involvere lucem.
Accedit vanis vultu, non pectore, verbis
Pontius; atque imo ingentem sub corde dolorem
Conscius injustae caedis premit; aspera rugis
Tempora componit, vigiles excusat inertes.
Cuncta tamen Domino fidis impressa tabellis,
Testibus obsignata, brevi post tempore misit,
Conjugis impulsus monitis, quae vana deorum
Numina contemnens, fidei vexilla secuta est.

At Caesar, cui proconsul vultumque decusque
Factaque virtutesque viri descripserat olim
Lentulus, aethereas reditum post funera ad auras
Admirans, aris Christum templisque colendum
Divino retulit Latia inter numina honore:
Conscripti interea patres sanctusque senatus,
Indignati, aliquem (priscis si credimus) ipsis
In divos inconsultis meruisse referri,
Scilicet! assensum manibus pedibusque negarunt.
Propositi constans Caesar, frendente senatu,
Edicto sanxit, cunctis impune licere,
Clarum immortalis venerari numen Jesu.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

Protinus Ausonidum falsis delusa patrumque
Commentis stolidi accedit sententia vulgi.
At non his cedunt melioris pectora venae
Fraudibus, et quamvis famae mendacis operta
Causa animos fugiat, coelo tamen auspice, magnum
Evenisse aliquid tanta ambitione frementis
Invidiae oppressum credunt, nec posse profanis
Pontificis studiis, coelo adversante, latère.
Non ausi tamen, illa palam figmenta negare,
Eludunt procerum furias tectisque tenent se.
Atque ubi noctivago rorantia sidera ducit
Vesper equo, tutos prestat nox caeca receptus,
Defensi tenebris, Nicodemi ad tecta feruntur.
Gamaliël legum interpres doctissimus, aequi
Arbiter incorruptus et acceptissimus ipsis
Nathanaël superis Aramathidesque Josephus
Atque alii procerum è coetu, quos inclyta Christi
Partibus addiderat virtus ingentiaque acta.
Illi inter sese variis sermonibus atri
Lethi ignominias et inexpectata sub ipso
Monstra renarrabant. Quisquam haec sine numine divum
Evenisse putet? reducem se a funere CHRISTUS
Affore pollicitus, cum se lux tertia terris
Redderet: o faxint superi rediisse! sepulchrum
Miles inane refert. Quid credere dignius, illum

Morte triumphata rediisse? an funus inertes
Discipulos violasse? fides hic fluctuat impar
Majestati operis, captum superantis, at illud
Quis credat vel Boeotum de stirpe creatus?
Haec inter subito tremere omnia visa novoque
Circumfusa insperati fulgoris honore
Ambrosiam spirare domus clausosque penates
Ingentes penetrare viri, quibus altior ore
Mortali vultus, divis par forma beatis.
Dux gemino Moyses radiatam sidere frontem
Explicat et virgam dextra tabulasque sinistra
Praetendit, Tyrio frater venerabilis ostro,
Sideream mitra frontem redimitur et auro
Caelatum regis non enarrabile nomen
Aetherei gestat. Sociorum magna coronat
Turba duces claroque locum fulgore serenat.
Attoniti primo aspectu tremuere; steterunt
Arrecti trepidis crines, vox faucibus haesit.
Sed propius gressum dux turmae admovit et omnem
Excussit facilis blando sermone timorem:

Felices, quos nulla odii violentia CHRISTO
Opposuit, quos divino officiosa magistro
Evehet ad superos pietas, queis debet honorem
Funeris, intacti penetrat qui claustra sepulchri
Ossaque consumptis animat jam putrida membris.
Quid trepidi rerum gelido mea verba stupore
Aspectumque exhorretis? revocate fugacis
Sanguinis in vultum posito terrore colorem.
En ego, qui quondam ignivomi sub vertice montis
Legiferas coeli tabulas et jura recepi,
Vivus ago. Quosque aërei sub culmine Orebi
Deposui moriens artus, hos munere CHRISTI
Aeterno, non jam brevis aevi lubricus hospes,
Accepi, mecumque alii, quos ipse triumphi
Ad majora sui fastigia jussit ab urnis
Vivere et ambrosio redivivos nectare pascit.

His animum arrecti dictis blandisque beati
Sideris illecebris tracti, invitantibus ipsis
Coelicolis, tollunt oculos. Juvat ora tueri
Membrorumque novas dotes manifestaque coeli
Munera et aeternae donum admirabile lucis.

Primus ibi ante omnes, veri succensus amore,
Gamaliel causas penitus tentare latentes
Quaerit et infamis mysteria noscere trunci.

Maxime Thariadum ductor, qui numine dextro
Niliacos rubro submergis in aequore currus
Isacidasque tuos mediis deducis in undis,
Ambiguis tenebras depelle et pectora densis
Nubibus et caeca rege caligantia nocte.
Si DEUS et magni patris indubitata propago
CHRISTUS erat, quanam numen ratione feremus
Corporeis claudi membris? sin matre creatus
Mortali, moribundus homo, quae tanta sepulto
Addita vis, ut se luci post funus ademptae
Restituat? si deinde DEUM venisse fatendum est
Humano inclusum vultu et potuisse perire:
Cur tamen hoc voluisse rear? num credere dignum est,
Posse mihi extinctum crudeli funere JESUM,
Quam neget ante necem nequeatve afferre salutem?

Dixerat: atque illi responsum hoc legifer heros
Reddidit: Alta petis, fateor, superumque beatis
Non penitus reclusa choris mysteria. Verum
Tempus adest, quo divini spargenda per orbem
Consilii manifesta fides, regna omnia terrae
Transferet in Domini leges et nomina CHRISTI.

Ante laborati prima incunabula mundi
Et lucis noctisque vices orientiaque astra
Aeternus natum pater aeternusque parentem
Filius aeterno complectebatur amore.
Suppositis numerus, sed majestatis in illis
Indivisus honos eademque potentia regnat.

Una tribus pietas, natura, scientia, virtus,
Impatiens numeri, et simplex sapientia, cujus
Artifici verbo moles operosa corusci
Aetheris et coeli stellata decemplicis aula
Prodiit et vasti pulcherrima machina mundi.
Aligeris coelum, terrae devexa creato
Concessit fraenare homini; cui condidit orbem
Omnigenasque orbis proles elementaque rerum,
Sepositis connexa odiis famularier olli
Jussit et ex illis ortum ducentia causis.
Namque hominem rerum dominum, vultusque creavit
Effigiem Deus ipse sui coelique capacem,
Si modo tot gratus donis, tot honoribus auctus,
Artifici famularetur dominoque minorem
Se gereret, merito patrem veneratus amore.
Verum ubi Tartarei delusum fraudibus anguis
Captivumque videt, patrioque in crimine totum
Deperiisse genus, justam mitissimus iram
Temperat, et dulci victus pietatis amore,
Funditus eversae statuit succurrere genti.
Mille vias foecundus amor pietasque juvandi
Prompta ministrabat. Verum inter mille placebat
Illa magis, tumidi qua invisa superbia Ditis,
Jam debellati victrici a stirpe parentis
Fracta, ignominiam Stygii clademque tyranni
Augeret. Patris aeterni decreta capessens,
Filius omnipotens, quo invisum falleret anguem
Numinis indeprensus, inobservabilis error,
Humanae voluit tectus sub imagine formae,
Dissimulare Deum natamque ex arbore mortem
Taenariumque suis praedonem sternere telis.
Ergo ubi defixum aeterno volventibus astris
Consilio affulsit tempus, delapsus Olympo,
Morte sua generis crimen commune refellit,
Jamque triumphato letho, immortalis in orbem
E tumulo rediit superasque ascendet in arces,
Clausa reclusurus patrii penetralia regni.
En tibi, ut externis profugus connubia in oris
Isacides quaerat, magnoque incensus amore,

Pascat oves multosque patri famuletur in annos.
Aspicis, ut tandem numerosa prole beatus,
Quas crucis innitens baculo tranaverat undas,
Coelestum gemina repetat cingente corona?
Nonne vides verum Moysen, qui culmina montis
Aetherei linquens, gentes sua jura per omnes
Legifer extendet, merso Pharaone; per undas
Sanguinis effusi reduces in patria regna
Transferet Isacidas? viden, ut famulante subactis
Aethere Nuniades victor pede colla tyrannis
Calcet et infausto suspensos robore perdat?
Singula quid memorem? mediae sub tempora noctis
Daniades somno excusso, cervice revulsas
Infidae portas renovatis viribus urbis
Sustulit alta petens avidosque illudere capto
Oppressit moriens hostes. Jam Saule perempto
Jessides regno potitur charusque parenti
Aeterno Salomon, aeterna pace triumphat.
Qua te, qua grati tollemus ad aethera laude,
Crux coeli clavis! nulli superabilis arca
Diluvio, capto non extricabilis hamus
Laeviathae, scutum Josuës, Tau vindicis aethrae,
Sanguineum revocans signato a vertice ferrum!
Salve, Palma virens, quam sponsae accensus amore
Ascendit sponsus, felicia poma, beatas
Lecturus fruges contra furiale venenum
Tartarei colubri et vetiti contagia pomi.
Salve, coelestis botri torcular, Olympi
Scala thronusque Dei, tumidum frangentis Avernum,
Christiadum schola, vexillum victoris et Ara
Paschalis veneranda Agni, Cithara aurea, Ditem
Mentibus excutiens, Assueri virga faventis.

Obstupuere animis et jam manifesta fatentur,
Quae nebulis inclusa, ambagibus abdita, patrum
Ingenia et scribas legis torsere peritos.
Atque hic (legiferi magna indulgentia vatis
Cunctantem impellit) Nicodemi audacia felix

Nondum enodati certat, mysteria lethi
Eruere, atque acri calidus spe talibus infit:

Si licet immensum pelagi tentare profundum
Arcanumque ingens humili explorare volatu,
Da clarum obscuris, vatum sanctissime, lumen
Offusisque laboranti succurre tenebris.
Namque per umbrosae benefida silentia noctis
Cum CHRISTI affatus peterem certumque salutis
Caecus iter, si immortalis coelestia vitae
Gaudia et aetheream quaeris conscendere in arcem,
Ex undis mihi crede, inquit, sanctoque necesse est
Pneumate te, velut infantem, Nicodeme, renasci.
Praeterea ingrati sacris dum pasceret olim
Eloquiis populi mentes, sese ipse daturum
Promisit charis in mensam et pocula amicis;
Implicitam Labyrinthaea caligine mentem
Expedi et hoc justis vatum da maxime votis.

Annuit Amramides atque ordine singula pandit.
Nostis, ut irriguis Paradisi vallibus olim
Propter aquae vitreum Zephyro crispante tremorem
Improvisa oculos blande furantis Adamus
Membra reclinarit somni dulcedine captus,
Purus adhuc sceleris, dominus terraeque suique,
(Quod rerum imperio majus) costamque jacenti
Abstulerit pulchramque ex illa eduxerit Evam
Omnipotens, vitae sociam thalamique futuram.
Unde hominum gens caerulei prodiret in auras
Aetheris, innumeris utramque nepotibus orbis
Complexura plagam et vasti vacua atria coeli.
Sacramentum ingens! manifesto numine divum
Primaevam mundi sobolem, per foedera casti
Illibata thori generans claudensque sub umbra
Nascentis mundi, mundi signata renati
Principium finemque, et amoris casta perennis
Foedera, queis virgo Christus cum Virgine sponsa
Perpetuam sobolem, regni coelestis amoenam
Virgineae auspiciis taedae producet in aulam.

Atque ideo omnipotens, ligni vitalis acerbo
Compositus thalamo, ferali cuspide dextrum
Recludi voluit latus, ut praegnantibus orta
E rivis salientis aquae roseique cruoris
Christiadum genitrix felici educeret alvi
Virginei claustro numerosam Ecclesia prolem,
Aurea quae patrii succedat in atria coeli.
Haec illa est vatis Jessaei regia turris,
Omnigenis fulgens armis, murosque perenni
Fidorum circum vigilum vallata corona.
Urbs pacis, regni sedes, venerandaque mater
Isacidum, quos non magni de sanguine Abrami
Deductum genus at fidei morumque propago
Illustrat. Quid plura sequar? domus illa Sophiae est
Artifici fabricata manu, septemque columnis
Innitens, quas nulla situ expugnare vetustas,
Non ipsae armorum vi evertere, fraude magistra,
Subruere inferni pestes, nec frangere diros
Impietas poterit stimulans in bella tyrannos.
Scilicet oppositis quando oppugnata cruentae
Haereseos monstris Paganorumque furentum
Barbarie populata gemet, constantior ipsum
Exeret in coelum victrix caput, atque capaci
Innumeras gremio gentes amplexa, fovebit
Ambrosiis dulces epulis et nectare natos.
Quae mensae, quae fercla, quibus suspensa columnis
Tartareis stet inexpugnabilis aula catervis,
Eloquar atque avidos celeri per singula ducam
Remigio nec te ambiguum, Nicodeme, tenebo.

Quisquis in aërias vivus producitur auras,
Foecunda gravidae matris formatus in alvo
Nascitur. At natum depascens intima vitae
Occulto calor interea consumeret aestu,
Ni cererem natura parens potumque ministrans,
Perpetuo vires victu revocaret ademptas.
Sed tristes subeunt morbi tenerosque caduci
Corporis infestis penetrant mucronibus artus
Tela, nec iratis desunt aconita novercis,

Quae vitrae diris vitae secreta fatigent
Morsibus et caeca perdant praecordia tabe,
Ni manus artifici medicas Epidauria fruges
Temperet ingenio, aut chirurgi dextera docti
Tela salutari Dictamno infracta laboret
Eruere aut medica rimetur cuspide vulnus.
Praeterea, ut redeat lapsis vis pristina membris,
Et color in vultum pulso pallore refusus
Et labefacta salus penitus sibi reddita constet,
Firmanda est exercitiis moderandaque victu,
Relliquiae donec morbi insidiantis et omnis
Funditus incolumi excedat de corpore pestis.
Quid tamen amissam bis ter reparare salutem
Profuerit, quando incerto certissima fato
Omnia mors rapiat nullis medicabilis herbis,
Ni genus humanum perituraque saecla propaget
Connubiis operans foecundi cura parentis?
Quo demum, quo fine perenni fata nepotum
Luxuriet rerum natura propagine, justis
Ni sobolem effrenem vinclis ac legibus aequis
Ordo coërceret? rerum pulcherrimus ordo
Ingentes animos levat in sublime jubetque
Fascibus imperii claros ignobile vulgus
In mores revocare patrum, parere paratos
Parcenti fraenare manu, domitare superbos,
Instruere ignaros, miseris succurrere, lapsos
Erigere et justae meritos damnare securi.

His adeo mediis perfectae in munera vitae
Humanum genus assurgit; his quisque fugaces
Mortis ad infestae non exorabile telum
Continuare dies brevis aevi lubricus hospes
Nititur, et natos natorum omnemque nepotum
Progeniem, qua fata sinunt, producere certat.
His etiam mundi melioris origo, renati
Sponsa Dei divumque parens foecunda pudico
Effundet gremio venturam in sidera stirpem.

Spiritus omnipotens, qui prima ab origine terrae

Altrices foecundat aquas ac semina rerum,
Ex quo divini contactu corporis undas
Jordanis coelo CHRISTUS plaudente sacravit,
Omnigenum in fontes sese diffudit aquarum
Virtutemque dedit lymphis, qua noxia saevi
Mentibus afflatis penitus contagia Pomi
Detergant tersaque levent in sidera labe.
Haec sacri obscuris vates cecinere camoenis;
Nam Syrii lepram Naamani praescius undis
Saphatides lavit; damnati crimina mundi
Diluvium abstersit, diversis fluctibus omnem
Isacidae stirpem, Phariis pereuntibus, unda
Tinxit Erythraei in cumulum collecta profundi.
Clarius at sanctam magni baptisma Joannis
Vim signat lustrantis aquae, cui certa parentis
Aetherei soboles CHRISTUS venerabile prona
Tingendum cervice caput (miserabile dictu)
Obtulit, eximio famulum dignatus honore.

En tibi, votorum felix Nicodeme, capacem
Humani generis, missis ambagibus, alvum
Pandimus. Ingredere intactae foecunda parentis
Viscera, docte senex, da CHRISTO nomen et undis
Tingendum submitte caput; sterilisque senectae
Exuviis positis, coelo gratissimus infans,
Non tenerae primos vitae revolutus in annos
Nec membris et mole minor, sed mentis amoeno
Intactae candore nitens, puraque sereni
Simplicitate animi, divinae dulcia matris
Ubera inexhausto stillantia nectare suges.
Namque salutiferi penetrabilis unda lavacri,
Dum Patris interea Natique et Pneumatis almi
Exprimitur nomen, membris affusa tenellis
Infantum, queis vita comes, juvenumque senumque,
Depulsis Barathri Geniis maculaque parentum
Deleta et propriis (si aetas obnoxia) culpis,
Felici partu mentes operosa renatas
Procreat, haeredes summi genitoris, amicas
Coelituum et magni capitis pulcherrima membra,

Et septemgeminis sacri spiraminis auctas
Muneribus, superum regi despondet, amori
Mensaeque et thalamo et castis amplexibus aptat.
Felices nimium! celeri quos obvia fato
Mors tumulis claudet. Puros scelerisque dolique,
Corpore deposito, dotalis regia coeli
Accipit aeternum superumque attollit honore.

At quoniam paucos mors opportuna renatos
Tam celeri mucrone ferit, pluresque potenti
Flumine lustrati (ceu quondam Hebraea juventus
Per vada suspensi fugiens divisa profundi,
Ante Paretoniae per inhospita devia Eremi
Ingratas traxere moras, quam patria rura
Et proavis licuit promissa attingere regna)
Difficilem contra Veneris mundique trahentis
Illecebras pugnam, dite infestante, capessent,
Viribus hic opus est, opus auxiliaribus armis
Audendumque animis. Animos atque arma ministrat
Spiritus omnipotens et tinctam Chrismate frontem
Imposita fidei victricis casside munit.
Aetherei flammis pectus circumdat amoris.
Divini verbi gladio, quem nulla Barathri
Vibratum seu vis seu fraus eludere possit,
Militis armabit dextram clypeumque sinistrae
Crescentis per acerba spei insertabit, Averni
Omnia pulsurum retro tela, unum omnia contra
Cypridis et Pluti fallacis spicula contra
Fortunaeque vices saevaeque tyrannidis arma.

Nunc age, quam CHRISTUS generosis sufficit escam
Militibus, quo frumento, quo nectare pascat
Egregias animas (quamvis mens nulla stupendae
Volvendo penetrare queat mysteria mensae)
Qua tamen immensi fas primum stringere littus
Oceani, referam divinaque fercula pandam.

Stat Gabaonaei subter fastigia collis
Celsa domus, Lybicis splendent suffulta columnis

Atria, regalem spirant triclinia luxum.
Huc nova sacra parans epulasque et foedera, nullo
Dissolvenda aevo, Zebedidenque Petrumque
Ire locumque jubet mensis Paschalibus aptum
Poscere. Maturant jussi dominumque salutant
CHRISTI nomine et hospitium sedemque precantur:
Ille autem tanto perculsus nomine, laetos
Discipulos in tecta trahit pictisque superbum
Aulaeis aperit coenaculum et aurea eburnis
Subdita fulcra thoris, vivis animata figuris
Pocula, crateras gemmis auroque micantes.
Scilicet egregium mensae coelestis honorem
Majestate loci omnipotens decorare volebat
Atque ibi lectorum comitum stipante caterva
Accumbens, socios Agnum divisit in omnes.
In morem famuli, rejecta veste sinusque
Mantili nitido cinctus calidaque capacem
In pelvim effusa, coeli qui sidera nutu
Torquet et aethereas patri par temperat arces,
Ad piscatorum pronus vestigia, turpi
Horrentes sudore pedes et pulvere sparsos
Abluit affusis, non exorabilis, undis.
Pectoraque intus agens tacita vi purgat et illas,
Quas scelerum puris facile est inserpere labes,
Quae nondum penitus deletae, abstergit et aptat
Ad nova venturae convivas fercula mensae.

His actis, majora movens iterumque recumbens,
Atque oculos coelo attollens, cereremque merumque
Omnipotens illo, quo condidit omnia verbo,
Divinam in carnem et divini Sanguinis almum
Mutavit laticem et charis porrexit amicis
Illum, illum, quem ferali post stipite pendens
Effudit clavis perfossus membra cruorem.

Qualiter haec olim coelesti numine virga
Caerulei squamas serpentis et ardua colla
Induit et magicos sub faucibus abdidit angues.
Haud aliter verbo artifici se rector Olympi

Obtexit panis specie laticisque Lyaei;
Nam fidei in meritum, formidantisque palati
Libare humanam propria sub imagine carnem,
Illecebras, eadem facies, sapor et color idem,
Qui fuit ante, manet, sed signis CHRISTUS in illis
Ipse suis sese manibus venerabile donum
Dividit in socios, nec dividit; umbra latentis
Utraque dividitur, manet integer ille sub umbris,
Mortales fallens oculos et pectora pascens:
Atque immutatos in se (mirabile dictu)
Convivarum animos ipse immutabilis alma
Vi penetrat, vegetat, radiis illustrat, amorem
Aetheris inspirans rapit in coelestia, pigro
Frigore concretos animat sanatque fovetque;
Non aliter quam cum cerae liquido igne solutae
Quis ceram super infundit, coalescit in unam
Utraque massa facem, vel cum penetrabilis ignis
Per ferrum insinuans, pulsa rubigine, lucem
Virtutesque suas rapidumque accommodat aestum.

Vitalis Paradisi arbor delapsaque coelo
Manna, laborato per amoena rosaria melle
Dulcior, extrusae siccis e rupibus undae,
Mel Jonathae renovans oculos et dona leonis
Mellea rapta ori, Thesbitae mensa per auras
Aligerum delata manu panisque potenti
Coelicolum Domini per inhospita devia nutu
Invitati avidis vulgi sub faucibus auctus,
Magna licet meritaque aeternum laude canenda
Munera divinique ingentia symbola amoris,
Eximio tantum mensae immortalis honore
Decedunt, quantum ipse hominum pater et superum rex
Altior Aligerumque hominumque excedit honorem.

Qua te, qua celebrem, divina potentia, laude!
Quae nutu artifici divumque hominumque parentem
Triticii exiguo claudis sub fragmine panis.
Quo te, spes hominum, aeterni Sapientia patris,
Quo satis ore canam! quae mundo utrique stupendum

Sola modum reperire potes, quo maximus ille
Pennigerumque hominumque sator mortalia corda
Intemeratus alat mundique angusta minoris
Claustra hospes subeat, qui magnum amplectitur orbem.
Quas tibi terrigenae grates persolvere certent,
O amor, infandos hominum miserate labores!
Namque tuis, summi divina potentia Patris,
Bis genitique incensa Dei Sapientia flammis
Has dedit immeritis epulas, haec vina paravit.

Ante diem revehet pulsis aurora tenebris,
Quam primi evolvam facinus crudele parentis
Quasque infelici pestes invexerit orbi:
Aeterni tamen arcanum admirabile cernens
Consilii Ambrosiaeque dapes et pocula mensae
Evectumque hominem nitidi super aurea coeli
Sidera pennatosque aulae stellantis ephebos:
An dubitem exclamare, quis, o quis jure queratur,
Signatam aeterni genitoris imagine drachmam,
Corrupto Stygii praedonis fraude sigillo,
Amissam densa ficus latuisse sub umbra?
Quando opifex rerum, mundi melioris origo,
Elapsam reperire, repertam reddere honori
Ardet amans terramque accensa lampade lustrat
Atque ipsam evertit suscepti corporis aedem.
Erranti gratabor ovi, quam magnus ab alto
Prospiciens montis stellati culmine pastor
Jam procul a caulis per inhospita lustra vagantem,
Victus amore, humiles terras petit; invia scrutans
Errabunda legit vestigia, perque paludes,
Per loca senta situ, per vepribus aspera anhelans
Vulneribusque gemens vestigat jamque repertam
Impositamque humeris stabulo laetissimus infert.
Felix transfuga! quem Solymis Jerichunta relictis
Tendentem insidians opressit turba latronum.
Felices plagae! felicia vulnera! tali
Quae vino Samarita fovens oleoque salutem
Jam desperatam exangues revocavit in artus!

Quis medicis pastos epulis et chrismate tinctos,
Non satis oppositi contra tela omnia Ditis
Crederet instructos tutò pede posse furentis
Calcare insidias fractasque repellere vires?
O vitreas hominum mentes! quas corpore mersas,
Terrenique hebetant artus infixaque membris
In vetitum trudunt patriae vestigia culpae,
Et fidei immemores blandis succumbere victos
Illecebris cogunt variaque cupidine torquent!
Languida quae succis renovent vitalibus herbae
Pectora! vulneribus crudis qua consulat arte
Proditor ipse sui? semperne oppressa jacebit
Lethiferis Erebi aut Veneris mens saucia telis?
(Lustrali neque enim fas est bis tingier unda)
An patrio rursum CHRISTUS descendet Olympo?
Nil opus est; semel effusi insuperabilis unda
Sanguinis ingratae scelera expiat omnia terrae.
Qua tamen hoc fieri possit ratione stupentes
Aspicio et paucis, animos advertite, pandam.
Infandas scelerum maculas abolere, perenne
Supplicium meritasque reis avertere flammas
Coelituum regi propria ac aeterna potestas.
Hanc tamen aeterni CHRISTUS sapientia patris
Sanguine reclusi stellata palatia coeli
Jam jam ascensurus, non immortalibus aulae
Sidereae geniis, quibus et coelestis origo,
Igneus et vigor est infidi corporis expers,
Sed Petro sociisque dabit. Quos scilicet omnes,
Et fidei et famae oblitos, formidine turpi
Vertere terga fugae et pedibus se credere passus,
Ut lapsus memores, lapsis ignoscere discant.
Quin etiam, o mirum Domini indulgentis amorem!
Omnibus haec, dum Christiadum stirps solis utramque
Complexura domum et coeli ventura sub auras,
Aeternas coeli leges et foedera rumpet;
Presbyteris (quamquam Iscarium devincere certent
Perfidia Caiphamque odiis) immota potestas
Orbis in interitum supremaque fata manebit.
Quis satis haec capiat miracula? poplite flexo

Ingentemque imo gemitum de pectore ducens,
Et superis gratos spondens effingere mores
Nescio quis, cui foeda animum peccata remordent
In coelum commissa, homini delicta fatetur.
Interea sacra residens in sede sacerdos
Numinis instar, Avernicolis horrenda referri
Facta silens audit libratque audita reumque
Dulcibus alloquiis, patrio castigat amore
Et facilem poenam judex pro talibus ausis
Constituens, scelerum veniam dat, vincula solvit
Concretasque diu labes verbo eximit, Orci
Faucibus immersum, coelo applaudente, revellit.
Rite datam aeterno conspirans numine firmat
Omnipotens veniam, et mira dulcedine pascens
Illibatam animam, divinum aspirat amorem.
O ingens coeli donum, miranda potestas!
Cui superum rex nec metas nec tempora ponit,
Quam pestes scelerum immani nec vincere mole
Nec numero superare queant, quascunque vel ipsis
Nequior anguigenis hominum gens fundere certet.
Finge aliquem non Tartarei improbitate tyranni,
Importune oppugnantis requiemque negantis,
Non rapidis Veneris flammis caecave furentem
Ambitione vel insano affulgentis amore
Praecipitem lucri vindictaeve impete raptum,
At sponte in vetitum ruere irrisaque Tonantis
Majestate palam fas omne abrumpere, laxas
In quodcunque scelus certatim effundere habenas.
Oedipodae thalamos, Pelopeia fercula, diras
Colchidos iratae furias et pocula Cyrces
Thassalidumque modos illaudatasque novercas
Flagitiis superare; acri tum deinde dolore
Numinis offensi correptum, aperire malorum
Haec portenta sacerdoti, quem nulla suorum
Vel scelerum Metanoea movet vel vindicis irae
Terror agit, duro fibras adamante revinctum,
Illo, illo scelerum veniam donante; sereno
Occurret reduci post tot discrimina nato
Aethereus vultu pater amplexuque ligatum

Ornatumque stola nive candidiore paratis
Laetitia exultans faciet discumbere mensis.
Nec satis est, reducem semel excepisse; ruentem
Saepius in praeceps iterantemque horrida dictu
Crimina et indignos (vitreos dum spiritus artus
Intus agit) repetentem ausus iterumque gementem
Et lacrymis repetita piis commissa fatentem
Presbytero absolvente, superni judicis urna
Vertitur, et maculis divino sanguine tersis,
Interrupta sacri renovantur foedera amoris.

Sed tamen affectae numeroso vulnere vires
Languescunt, auctoque febris violentior aestu,
Jam toties victrix, etiam cum abscedit, inertes
Relliquias et certa sui vestigia linquit
Mentibus impressa; atque ideo, quando ultima lucem
Pugna sub extremam post tot certamina vexat,
Et glomerati hostes collatis viribus urgent
Discessuram animam, nova propugnacula fessis
Militibus dextra CHRISTUS miserante ministrat.
Namque Sacerdotes aderunt, qui languida membra
Sacro perfundant oleo ac operosa faventem
Coelicolum interea rectorem in vota vocantes,
Extremas aegris valido medicamine vires
Sufficiant, quibus et veterum vis caeca malorum
Relliquiaeque omnes depulsae, funditus imis
Aufugiant animae latebris, morboque fugato,
Desperata salus redeat, vel carne solutus
Funere felici, mundi Ditisque suique
Victor, sidereas animus conscendat in arces.

At vero immiti quando durissima telo
Mors hominum genus interimit nullique supremam
Concessum est proferre horam, ne funditus ipsa
Ante diem pereat raptis Ecclesia natis,
Casta maritalis thalami solennia fundunt
Continuaturam fugientia saecula prolem.
Nam conspirantum haec in foedera mutuus ardor
Et juncta unanimi consensu dextera dextrae

Innectunt solo solvendum funere vinclum
Et thalami sacri felicia foedera signant,
Queis immortali copulata Ecclesia sponso,
Divitiis coeli aeternis dotata, fruetur.
Atque ideo CHRISTI meritis et munere sponsus
Sponsaque divino auxilio cumulantur et almo
Rore illabentis firmantur gratiae, ut omnes
Cypridis obscoenae stimulos et taedia longi
Exuperent vincli dilectaque pignora coelo
Producant, tenerae soboli pietatis amorem
Instillent, durae virtutis in ardua sensim
Exemplis monitisque trahant, fraenoque timoris
Divini injecto, pronos in devia natos
A vitiis retrahant, dum flecti cerea corda.

Ultima de septem superat memoranda columnis,
Queis CHRISTI stat fulta domus, cui caetera robur
Sacramenta suum divinaque munera debent,
Ordo sacer. Creat ille patres patrumque supremum
Praesulem et arcanis verbis oleoque refuso
In caput, in digitos sacrum subeuntis honorem,
Impositaque manu supremi antistitis, alto
Aeternoque sacerdotum dat munere fungi.
Ignivomi veluti quondam sub vertice montis
Bisseno Isacidum lectos ex agmine fratrum
Levitas arcae templo sacrisque dicavit.
At fratrem reliquis praelatum Aarona, supremum
Pontificem genti et patrum dedit esse parentem.
Sic adeo, extincta veterum jam lege Sacrorum,
Omnipotens, nitidos coeli rediturus in orbes,
Aurea jura, novos ritus abolendaque nunquam
Foedera (dum vacuo pendebit in aëre tellus)
Firmabit. Coeli claves (memorabile donum)
Christiadum electis ex omni gente ministris
Conferet, ascendent sacri qui culmen honoris,
Non derivati (ut quondam) vi sanguinis alto
Pontificum aut Levitarum de stirpe parentum,
Sed vitae meritis, doctrinae luce, vocantis
Auspiciis coeli populique ardore trahentis.

Non opis est nostrae verbis aequare sacrorum
Presbyterum decus, egregii fastigia honoris,
(Cui fortunati coeli stellantis ephebi,
Si fas, invideant) cumulandaque munera sancti
Pneumatis arcano illapsu, quo crimina solvant.
Indociles flecti contemptoresque sacrorum
Suppliciis onerent meritis coetuque piorum
Exclusos, coeli extorres, in tartara mittant,
Ni moniti mutent mores fraenumque volentes
Accipiant. Donis mystae coelestibus aucti
Christiadum sacra jura supra Garamantas et Indos
Et toto spargent divisos orbe Britannos.
Noctivagae sed enim veluti nimbosa sororis
Cornua flagrantis superat lux aurea Phoebi:
Sic reliquis ea muneribus collata potestas
Altior excellit, summi qua numinis instar
(Aligerum coelestum acie admirante) sacerdos
Et Cererem et liquidi gratissima dona Falerni
Artifici vertit verbo, Christique sub umbris,
Externa rerum specie fallentibus, abdit
Corpus et intacti divinam sanguinis undam
Immolat aeterno patri mortisque cruentae
Aurea perpetuo renovat mysteria cultu.
Haec illa est vatum obscuris signata camoenis,
Haec illa est sacris Malachiae prodita scriptis
Hostia, Christiadum festis altaribus omni
Consecranda aevo per Eöo subdita Phoebo
Regna, per Hesperiis inclusum fluctibus orbem.
Hic ille est agnis melior legalibus Agnus,
Virgineo cujus signatas sanguine mentes
Angelus innocuo vindex super evolat ense.
Haec illa est mortem perimens coelumque recludens
Victima, quam saevo pendens in stipite CHRISTUS
Obtulit aethereo genitori. Ipse ara, sacerdos,
Hostia viva, Deus (non jam moriturus) acerbae
Sacramenta necis, meritum fructumque perenni
Orbis in interitum renovat per saecula ritu
Et scelerum puris confert. Ne quaere doceri,
Qua tandem ratione, uno idem tempore corpus

Et coelo praesens et praesens omnibus aris
Esse queat, Cererisque brevi velamine tectus
Deliteat Deus immensus, quem claudere vasto
Terra sinu nescit coelique decemplicis orbis
Non capit, ut paucis Mystes sub symbola verbis
Mystica Christiadis epulandum apponere possit
Regnatorem orbis divumque hominumque parentem.
Crede magis. Neque enim caecis mortalibus ausu
Praecipiti viresque potestatemque supremi
Numinis excutere et fallaci expendere fas est
Imparis ingenii trutina. Majora volentem
Posse Deum, caecosque super volitantia sensus
Deprendit secura fides. At noctua, lippis
Luminibus per inaccessae vestigia lucis
Explorare diem tentans, oppressa coruscis
Sideris ignivomi radiis, temeraria perdet
Lumina. Quis numeret, quot majestatis opertae
Indagatrices animae, coelestia adortae
Icariis secreta sequi per nubila pennis
Nunc, olim, ingenti cecidere cadentque ruina?
Cedendo vincat Ratio coeloque minorem
Obsequio sese prompto fateatur. Adoret,
Quod penetrare nequit, credat, quod cernere nescit,
Et dulci laudet pietate incensa benignum
Numinis ingenium. Recolat, quo victus amore,
Omnipotens hominem vitali morte renatum
Evehit angelicae supra fastigia turmae,
Divinaeque potestatis (quis talia fando
Explicet) et proprii vocat in commercia honoris.

Ut tellus gremio semper praegnante refundit
Vere novo raptas hyberno sidere frondes:
Sic adeo innumeros mortisque Erebique subactor
Pontifices patrumque patres, majoribus auctos
Auspiciis olim instituet, qui munus honoris
Eximii electis possint conferre gregemque
Cuique suum vigili pascendum credere cura,
Legibus, imperio, nutu fraenare, paterna
Castigare manu meritisque involvere poenis.

Ne vero ipsi etiam, summo sine praesule, habenas
(Nam facile in praeceps prono delabimur amni,
Cereaque in vitium flecti ambitiosa potestas)
Pontifices sceleri laxent, nova dogmata inani
Laudis amore vel invidia stimulante recudant
Et plebem in partes scindant, his omnibus unum
Praeficiet CHRISTUS, geminae qui munere clavis
Auctus (ut aequatis dimensum partibus annum
Per duodena regit sol formosissimus astra)
Pontifices regat imperio sacrumque paternae
Depositum fidei, explosa novitate, per omnes
Proferat et firmet gentes et tradita patrum
Dogmata perpetuo cultu illibata teneri
Imperet, aeternis subjectum legibus orbem
Dux, Pater, Antistes, Pastor Custosque gubernet
Non tam praesidio armorum justique cruentis
Auspiciis belli, quam sacro fulmine, in omnes
Imperii contemptores et numinis hostes
Christiadas evibrato, dirisque tremendis.

Primus in hoc CHRISTI manifesto numine culmen
Assurget Petrus, duodeno ex agmine lectus
Vivacis fidei meritis. Huic mystica summae
Signa potestatis, claves promisit Olympi.
Ille olim mundi domina, CHRISTO auspice, in urbe
Aeternam figet cathedram clavesque mitramque
Orbis in extremi tumulum transfundet in omnes
Romanae conscensuros fastigia sedis.
Pontificis Petri auspiciis, illa inclyta Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Urbs nimium felix! quae pastoralibus armis
Complexura orbem, quos debellare cruentis
Bellorum furiis nequit et Mavorte secundo
Relligione premet domitosque in sidera tollet.
Tutior aeterna cathedra, felicior urna
Exanimis Petri, quam (quae fatalia jactat)
Palladio Phrygiis erepto ex ignibus, alto
Aethere delapsis Ancilibus et Capitoli
Rupe sacra quasque ipsa sibi circumdedit arces.

Haec ut dilectis dispenset munera amicis,
His ut connexam immortali foedere sponsam
Dotibus exornet, his ut surgentia charae
Fundamenta domus in postera saecla columnis
Fulciat et perculsorum dubitantia praesens
Pectora discipulum confirmet, CHRISTUS in arces
Sidereas suspendet iter, stellantis Olympi
Dum medium attigerit sol quadragesimus orbem.
His demum exactis, Oliveti a culmine montis
Aetheriam repetet sociis spectantibus aulam.

Dixit et in verbo ex oculis sublatus in auras
Cum sociis, dulci perfusos corda dolore
Et descriptarum relliquit imagine rerum.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

Longius abductos domini post vincla coëgit
Discipulos nox securis octava tenebris.
Non ea vis animis, non tantum in pectore robur,
Spes quamvis accensa novis praecordia crescens
Tentaret stimulis, ut saeva morte magistri
Exultantem urbem, nec adhuc saturata furentum
Dira caede odia aspectu irritare palamque
Hostibus et clara auderent occurrere luce.
Ut tandem notas omnes coiere sub aedes,
Queis sese charis epulandum CHRISTUS amicis
Apposuit post solennis convivia mensae,
Visceribus clausum solvunt in verba dolorem
Tristiaque infamis repetentes vulnera trunci
Atque ignominias lethi crudelis, amaris
Ora rigant lacrymis imoque e pectore duros
Dant gemitus. Tum deinde nova spe pectoris aestus
Objecta mulcere avidi, prona aure sepulchri
Infernique triumphati mortisque subactae
Argumenta bibunt iterumque iterumque renarrant.
Ante omnes sacri Princeps rectorque senatus
Componit motos animos et funere victo
Asserit intacto rediisse e marmore CHRISTUM.

Vidi oculis, vidi ipse meis iterum aethere nostro
Vescentem et blanda mulcentem voce dolores

Audivi, quos feralis miserabile trunci
Supplicium scelerisque mei pudor, intima amaris
Viscera depascens lacrymis, noctuque diuque,
Intulerat. Nec vana oculos delusit imago,
Ipse fuit; spinis perfossa rubentibus ora
Divisaeque manus et apertum cuspide pectus
Extorsere fidem. Nec soli virgine matre,
Patre Deo genitus mihi se post funus acerbum
Obtulit aetherea spectandum in luce refulgens.
Magdalis ut sileam matronarumque piarum
Gaudia ab aspectu reducis post funera CHRISTI,
Hos etiam, hos clausis foribus videre penates
Intrantem comites, dum stratis fercula mensis
Imposita et primae libamus munera coenae.
Ergo metu trepidi consurgimus. Ille pavorem
Temperat alloquiis hilaresque recumbere cogit,
Se confessus adesse. Aperit lucentia membra
Vulneraque illa, super diro quae stipite pendens
Accepit, tentanda manu explorandaque cunctis
Admovet, et tenui nobiscum accumbere mensae
Dignatus sacrisque animos firmare loquelis,
Se liquidis rursum abscedens immiscuit auris.

Sic Petrus. Petro Alphaei sanctissima proles
Subjicit haec. Vera, o comites, vera omnia Petrus
Rettulit. Ipse etiam reducem de funere fratrem
Hisce oculis vidi vocemque his auribus hausi
Solus et obscuris silvarum absconditus antris.
Namque ubi supremae sacra inter fercula noctis
Hac ipsa in mensa laticum libavit honorem
Divinasque dapes divinaque pocula moestis
Moestus et ipse dedit seque ipse haud amplius ore
Fatidico libaturum dulcissima vitis
Munera cum charis lacrymans promisit amicis,
Ante triumphato quam funere victor opaco
E tumulo vivus superas remearet in auras,
Protinus ingenti tactus praecordia luctu,
Et miseram exosus domini post funera vitam
Suspensis in coelum oculis manibusque vocavi

Votorum testes superos superumque parentem.
Conceptisque imo verbis de pectore vovi,
Secretis nemorum clausum me condere lustris,
Quaestibus indulgere famique sitique prementi
Interdicere tum frugum tum fluminis usum,
Aethereis donec vivum se redderet auris.
Atque ideo, qua deductis intersecat undis
Fullonum piscina agrum, prope marmora clari
Pontificis (quem fatidico dira ore minantem,
Joiadae ingratus, superum contemptor, ad aram
Oppressit duro lapidum rex imbre, sacrumque
Et cerebro et sparso maculatum sanguine templum
Polluit) arbustis clausum frondentibus antrum
Ingredior. Moestis noctemque diemque querelis
Continuans, indigna pii nunc fata magistri,
Nunc fratris sortem plango, nunc vincula amici,
Nunc domini funus. Namque uno in funere amicum
Et fratrem et dominum, infelix, charumque magistrum
Amisi; ingratae nunc immedicabile gentis
Incuso facinus procerumque infanda furentum
Consilia attonitus damno, victusque dolore.
Imprecor ultricem contempti numinis iram.
Mox patriam miserans, mutatis numina votis
Mitior imploro; in gemitus resolutus, iniquum,
Qua fas, excuso facinus justumque furorem
Incensi patris lacrymis extinguere nitor.
Quondam etiam viduae matris lamenta revolvens
Moeroremque omnem, casu percussus amaro,
Non profecturos orbatae commodo fletus.
Infidos comites et me tum deinde profusis
Incuso lacrymis, quod non crudelibus ultro
Hoc caput objiciens mucronibus, obvia prono
Corpore tela vel oppositis funesta lacertis
Excepi, cladisque comes lethique futurus
Vincula; nam egregium saltem testatus amorem
Finissem tantos felici morte dolores.
Nunc autem ingratus, pavidus, miserabilis, ipso
Quem male deserui fugiens, spoliatus amico,
Ingratam superisque mihique abrumpere vitam

Et cupio et nequeo. Votis adversa repugnat
Numinis insano lex importuna dolori.
Fac tamen excusso vitales funere in auras
Auxilio patris aut propria virtute resurgat,
Agnoscetne suos divina luce refulgens,
Quando catenatis arctatum funibus illum
Fugimus indecori rapti per opaca timore?
An tibi se infelix vita redeunte videndum
Offeret et fratri germanus, amicus amico,
Et famulo dominus non jam mortalis amoenum
Corporis ostendet rediturus in aethera honorem?
Quid famuli mihi, quid fratris, quid nomen amici
Arrogo, nec famuli nec amici aut fratris amorem,
Obsequium vel amicitiam moresque fidemque
Captivo referens? sed enim mitissimus ille,
Qui tanto immites hostes complexus amore est,
Aspiciet timidos melior post funus amicos,
Accipiet famuli gemitus lamentaque amici
Et lacrymas fratris. Lux expectata fugatis
Exorere o tandem tenebris metasque dolori
Pone meo. Quando te lux optata videbo?
Fallor? an ut reliquis obscuri adamantina Limbi
Vatibus aethereas reditum praecludit ad auras
Janua, fatali inclusum te lege coërcet?
Nec revocare gradum clausoque exire sepulchro
Exanimi fas est, vivo cui cuncta licebant?

Talia volvebam lacrymans, talesque juvabat
Spemque metumque inter pendentem effundere questus
Cum subito radiis circum fulgentibus antri
Horrentem lux alma situm tristesque tenebras
Dispulit. Ambrosiis avidas concentibus aures
Flexanimis resonans modulis numerosa per auras
Impulit humano vox non imitabilis ori
Et magis atque magis latebrosi limina claustri
Permeat, et miro plangentis viscera lapsu
Pertentans, sitis oblitum luctusque famisque
Siderei reficit liquida dulcedine cantus.

Attollo spectandi avidus, quae causa triumphi
Non expectati, quis festi carminis author.
Ecce coruscanti diffusum lumine corpus
Claraque divini capitis sed major imago,
Aligeris circumfusis stipata, subire
Visa specum et blando terrorem abstergere vultu.
Attonitum his monstris, mira indulgentia! stricto
Occupat amplexu et manantia lumina tergit.
Interea mensam Aligeri et cerealia dona
Expediunt jussi, et cunctis jam rite paratis,
Ipse suis manibus divisi fragmina panis
Porrigit expletoque famem depellere voto
Imperat et dulci mortem sermone subactam
Ereptosque refert tenebroso e carcere vates.
Sed mihi non epulae tantum, superique ministri
Incensum rapuere animum; quantum omnibus astris
Gratior effulgens oculorum vividus ignis,
Unde suos Phoebus radios et cornua Phoebi
Accendat formosa soror, frontisque serenae
Majestas placido, tamen imperiosa, decore.
Quid memorem aethereo corpus fulgore coruscum,
Quid memorem ambrosio diffusum corpore odorem,
Cui sordent Arabum nimbi, cui mascula thura
Mistaque Orontaea decedunt balsama myrrha?
Quid lateris manuumque pedumque patentia nuper
Vulnera, nunc dulces vibrantia sidera flammas?
Quales nec Veneri Ausoniae charissimus ignis,
Nec nitidi fundunt stellantia lumina coeli.
Quorum incredibili mihi mens percussa decore,
Ebriaque illecebris, sensu fugiente, stupentes
Funere felici liquisset corporis artus,
Ni sese abripiens tenues abiisset in auras.

Dixerat. Acclamant socii manifestaque tantis
Gaudia ab indiciis dulci pietate piaque
Concelebrant laeti dulcedine. At unus amaris
Indulgens nimium curis, et multa repugnans
Dicta negat duras Thomas demittere in aures.

Cui Cleophas: quid, ait, tumidis ceu saxea rupes
Fluctibus obnitens ventisque immobilis, omnes
Abnuis affatus et, quod cupis, usque negare
Pergis, non numero victus non testibus ullis
Expugnandus? ego Luca comitante sub ipsa
Luce, illibatum tumuli qua marmor et umbras
Elysias linquens, vivis se reddidit auris,
Multa super populi furiis dulcisque magistri
Suppliciis memorans, notas Emauntis ad aedes
Tendebam, lacrymis madidus lucemque perosus.
Ecce peregrini velatus imagine vultus
Adjungit comitem se CHRISTUS euntibus, et quae
Solicitis tantos rerum fortuna dolores
Parturiat, petit. Obstupui, impatiensque malorum,
Tene adeo rerum ignarum quis credat, ut illud
Infandum facinus, dictu audituque tremendum,
Quod jam jam Solymae infaustis sub moenibus actum,
Horruit et refluis damnavit Phoebus habenis,
Te solum lateat? quodnam illud crimen, amici,
(Omnia dissimulans) quis tanti criminis author,
Quis modus aut quae causa? inquit. Nos pandimus omnem
Historiam sceleris suaque illi fata gementes
Teximus et diro populi patrumque furore
Extinctum infami deflemus robore CHRISTUM.
Quoque magis stupeas, non illo sanctior alter
Aethereas hausit nec divis gratior auras.
In verbis vis quanta fuit! quantum instar in ipso!
Seu facile in vetitum pronas avellere mentes,
Seu lapsam membris placuit renovare salutem
Auxilioque levare aegros, vitam addere functis.
Spes erat, hunc patriae et lapsis succurrere rebus
Posse et in antiquos gentem revocare triumphos.
Abstulit hanc omnem moriens secumque sepulchro
Condidit. At nos, heu miseros! quos non eadem hausit
Tempestas comitesque pio conjunxit amico!
Illum, illum raptum immaturo turbine flemus,
Delicias illas humanae gentis et orbis
Eoi occiduique decus, quo sospite, nullas
Adversae sortis vires, nulla arma minacis

Horruimus fati. Sol mundi extinctus acerbo
Abstulit occasu viduatis lumina terris.
Nunc vitam ingratam trahimus, longique doloris
Damnati, ut rapto trepidae pastore bidentes,
Omnibus expositi telis ac omnibus urbis
Invisae objecti furiis, erramus. Adempto
Ut ratis Joniis in fluctibus orba magistro
Ludibrium rapitur vento, ut radice revulsa
Lapsa cadunt folia, excisaque propagine palmes
Languet, et infaustis fit praeda volucribus uva,
Jamque dies medio se tertius aethere librat,
Ex quo ferali compostum marmore flemus,
Spe magna orbati. Sed enim increbescere rerum
Fama incredibilis fertur, quam credula sparsit
Spes matronarum, stellanti e fornice lapsos
Aligeros vacui claustrum avulsisse sepulchri
Et super haec ipsum aethereis jam vescier auris
Morte triumphata Dominum reducisque juventae
Flore novo ambrosiaeque fruentem munere vitae.
Adde, quod e sociis sunt, qui viduata recenti
Funere claustra stupent dulcique errore trahuntur.
Talia narrantes contracta fronte severus
Increpat. Ignari rerum, coelestium inanes,
Siccine sacrorum divina oracula vatum
Legiferique ducis praesaga volumina, chari
Alloquiis domini pridem inculcata, tenetis?
Nonne sub irriguis paradisi vallibus olim,
In coelum ramis surgens vitalibus arbor
Irritaque indomitae felici germine mortis
Tela premens, fragiles medicatis frugibus artus
Aeternae revocans in munera grata juventae,
Sacramenta crucis fixumque in stipite CHRISTUM
Implicat, arcanis claudens ventura sub umbris?
Nonne immaturo praereptus funere Abelus,
Impia quem viridi moribundum stravit in agro
Dextera inhumani, praelata ob munera, fratris
Invidiam procerum et CHRISTI miserabile signat
Supplicium saevae occisi sub moenibus urbis.
Quid tandem justi manibus fabricata Noemi

Arca, salus mundi et generis designat asylum,
Relliquiis hominum jactatis aequore toto
Securum praestans, coelo impugnante soloque,
Hospitium, nisi tot scelerum involvente ruina,
Tot superum telis, tot conjurantis Averni
Pestibus interiturum orbem gentesque perenni
Naufragio, quas vivificis crux ardua ramis
Non tegeret puri lustratas fluminis unda?
Jam tandem nimii victum dulcedine amoris
Exanimi similem nudumque jacere Noëmum
Cernite et ingrati post scommata foeda nepotis,
Quae deinde excusso surgens praesagia somno
In seros Chami fundat Semique nepotes.
Et dubitatis adhuc, cur sera ac unica proles
Longaevi manibus mactanda parentis, in alti
Ipse suis humeris tulerit fastigia montis
Isacus impositum fascem? curque ille repertus,
Inque vicem pueri (neque enim satis illa fuisset
Hostia coelicolum in pacem mundique salutem)
Occiderit densis aries in vepribus haerens?
An non Isacidae terrae defixa polumque
Vertice sublato contingens scala Jacobi
Umbra sacrae crucis est? vinctus cui brachia CHRISTUS
Supposuit fessumque caput?
Vultis, ut indignis Juda vendente Josephum
Implicitum vinclis referam? ut cisterna sepulchrum
Designet? dominae ut spretae importuna libido
Et dolus infandas Synagogae denotet iras?
Ut tandem invidiae victor mortisque Josephus
Ferrea purpureo commutet vincula amictu?
Omnia jam manifesta; sua haec mysteria luce
Illustrata micant. An non per limina sparso
Sanguine mactati festis Paschalibus Agni,
Niliacae extinctis natu majoribus orae,
Isacidas stratos per dura cubilia somni
Securis tranquilla quies amplectitur alis?
Quisnam ille (o comites) intacti velleris agnus,
Cui tam praecipiti pellis detracta tumultu,
Cui duro confixa veru crucis, ignis amoris . . .

Horruimus fati. Sol mundi extinctus acerbo
Abstulit occasu viduatis lumina terris.
Nunc vitam ingratam trahimus, longique do
Damnati, ut rapto trepidae pastore bident
Omnibus expositi telis ac omnibus urbis
Invisae objecti furiis, erramus. Adem
Ut ratis Joniis in fluctibus orba mag
Ludibrium rapitur vento, ut radice
Lapsa cadunt folia, excisaque pr
Languet, et infaustis fit praeda
Jamque dies medio se tertius
Ex quo ferali compostum m
Spe magna orbati. Sed e ...is,
Fama incredibilis fertur,
Spes matronarum, stell ...a templi,
Aligeros vacui claust ...acula gentis,
Et super haec ipsu ...enda cruoris,
Morte triumphata ... miserabile CHRISTI
Flore novo amb ... funus ... sanguinis, omnia terrae
Adde, quod e ... almi vim ... coelique adamantina claustra
Funere claus ... solventis ... et domito reserantis Averno.
Talia narr ... Morte triumphata
Increpat. ... reserat mysteria lingua.
Siccine ... Talia dum docta nobis arsere medullae
Legife ... Nescio quo tactae ... Tot visus in intima flammas
Allo ... Igne sub affatus. ... vibrare, quot ore sereno
No ... Pectora mirantum ... Pariterque imo sub pectore fulsit
Ir ... Verba dabar. ... animos quae circumfusa premebat
Lux nova, nubem ... vatumque oracula pandens.
Eripiens, legis ... tumulum, qui proximus urbi
Jamque ascendentes festinabamus in aedes.
Imminet, adversas ... alias petiturus abibat.
Ille velut partes ... preces impendentesque tenebras
Jungimus ergo ... multaque volentem cogimus arte
Objicimus ... hospitium tenuique accumbere mensae.
Dignari ... votis facilis frugesque paratas
Accedit ... edit; divisi fragmina panis
Immortalis ... impertit. Fugit nox mentibus omnis
More suo

…inus, et laetus redivivum agnosco magistrum
…rum effusa supplex prece numen adoro.
…m avertens rosea cervice refulsit
… oculos fugiens, discessit in auras.
…o divinae lucis honore
… agimus, mensisque relictis,
…lymae remeamus in urbem.

…leophas, laetoque fremebant
…tractabilis aures
…s tot testibus unus
…m, nullamque daturum
… contingere detur
…teris clavisque cruentas
…us. Dicentem talia CHRISTUS
…sens, mediaque iterum manifestus in aula
…cat. Ille Dei invitantis voce coactus
…ertentat latus effossum confixaque membra.
Nec se jam capit ipse, sed undanti ebrius aestu
Laetitiae et mira domini pietate subactus:
O DEUS! o Domine! exclamat; datur ora tueri,
CHRISTE, tua et lateri divino immergere dextram
Et desperatas audire et reddere voces!
Haec effundentem dulci castigat amore
Omnipotens: sociis tu durior omnibus unus,
Non nisi conspectum credis rediisse magistrum?
Felices nimium, reducem queis cernere CHRISTUM
Quamvis abnuerint superi, tamen aemula fidis
Alma fides oculis et tanti certior index
Prodigii, accendet mentes captivaque victrix
Pectora divini flammis succendet amoris.
Sic fatus rursum ex oculis abductus, in auras
Indeprensus abit laetosque et multa parantes
Dicere deseruit clausaque recessit ab aula.

Jamque, ubi transierant paschae solemnia et omnis
Isacidum gens octonis epulata diebus,
Numine adorato, patrias celerabat in urbes,
Ipsi etiam ingenti perfusi pectora dulcis

Omnia membra velut subjectis torrida flammis
Solis in occasum, illibatis ossibus, assat?
En truncum, cujus dulci medicamine amaro
Tentatum sensu torquens sapor ora, fugatur.
En petram irriguas repetito vulnere lymphas
Fundentem. Quid jam, quid opus serpentis abenum
Suspensi simulacrum atrosque recludere morsus
Anguis ad aspectum coelo parcente fugatos?
Coccineumque meretricis dissolvere filum,
Quo stetit eversis devotae moenibus urbis
Incolumis cum stirpe Rahab? exponere clausum
Faucibus aequorei monstri ceu carcere Jonam,
Tertia quem patriis iterum lux reddidit oris?
Omnia Mosaeae (quam longa) volumina legis,
Pontificum ritus et munera Levitarum
Ornatusque sacerdotum et penetralia templi,
Et flecti indocilis numerosa piacula gentis,
Purpurei tantum rivis abolenda cruoris,
Occisi referunt funus miserabile CHRISTI
Eximiamque almi vim sanguinis, omnia terrae
Crimina solventis coelique adamantina claustra
Morte triumphata et domito reserantis Averno.

Talia dum docta reserat mysteria lingua.
Nescio quo tactae nobis arsere medullae
Igne sub affatus. Tot visus in intima flammas
Pectora mirantum vibrare, quot ore sereno
Verba dabat. Pariterque imo sub pectore fulsit
Lux nova, nubem animos quae circumfusa premebat
Eripiens, legis vatumque oracula pandens.
Jamque ascendentes tumulum, qui proximus urbi
Imminet, adversas festinabamus in aedes.
Ille velut partes alias petiturus abibat.
Jungimus ergo preces impendentesque tenebras
Objicimus multaque volentem cogimus arte
Dignari hospitium tenuique accumbere mensae.
Accedit votis facilis frugesque paratas
Immortalis edit; divisi fragmina panis
More suo impertit. Fugit nox mentibus omnis

Protinus, et laetus redivivum agnosco magistrum
Et clarum effusa supplex prece numen adoro.
Ille autem avertens rosea cervice refulsit
Et tenues, oculos fugiens, discessit in auras.
Nos improviso divinae lucis honore
Dignati, grates agimus, mensisque relictis,
Ingratam laeti Solymae remeamus in urbem.

Talia narrabat Cleophas, laetoque fremebant
Assensu comites, ast intractabilis aures
Obstruit et nullam Thomas tot testibus unus
Commodat exemplisque fidem, nullamque daturum
Asserit, optanti donec contingere detur
Perfossi plagam lateris clavisque cruentas
Explorare manus. Dicentem talia CHRISTUS
Jam praesens, mediaque iterum manifestus in aula
Advocat. Ille Dei invitantis voce coactus
Pertentat latus effossum confixaque membra.
Nec se jam capit ipse, sed undanti ebrius aestu
Laetitiae et mira domini pietate subactus:
O DEUS! o Domine! exclamat; datur ora tueri,
CHRISTE, tua et lateri divino immergere dextram
Et desperatas audire et reddere voces!
Haec effundentem dulci castigat amore
Omnipotens: sociis tu durior omnibus unus,
Non nisi conspectum credis rediisse magistrum?
Felices nimium, reducem queis cernere CHRISTUM
Quamvis abnuerint superi, tamen aemula fidis
Alma fides oculis et tanti certior index
Prodigii, accendet mentes captivaque victrix
Pectora divini flammis succendet amoris.
Sic fatus rursum ex oculis abductus, in auras
Indeprensus abit laetosque et multa parantes
Dicere deseruit clausaque recessit ab aula.

Jamque, ubi transierant paschae solemnia et omnis
Isacidum gens octonis epulata diebus,
Numine adorato, patrias celerabat in urbes,
Ipsi etiam ingenti perfusi pectora dulcis

Laetitiae afflatu, cumulandaque gaudia crebro
Sperantes Domini aspectu blandisque loquelis
Discipuli, maturato Galilaeia gressu
Littora desertasque rates et flumina nota
Certatim repetunt. Patrios invisere fines
Cognatosque juvat. Juvat inclyta facta magistri
Et sua solicitis partiri gaudia amicis.

Forte sub illustri (capiendis aura favebat
Piscibus atque inopes vivendi cura trahebat)
Nocte, serenatis cum formosissima bigis
Cynthia stellantis percurreret aequora mundi,
Subdola arenosas Petrus protraxit in undas
Retia et ipse suam fidis aequalibus ultro
Innuit invitans praedae dulcedine mentem.
Addunt se comites casto cum fratre Jacobus
Et non jam dubius Thomas Christoque probatus.
Nathanaël, Canae genitus, justissimus unus
Qui fuit Isacidum. Huic animis armisque parati
Accessere duo, quos fama obscura recondit.
His alacris sociis, conscensa puppe, Tiberii
Augusto clarum cognomine Caesaris amnem,
Quem rapidis medium Jordanis dividit undis,
Retibus invadit Petrus turbatque refusis
Perspicuos rivos et vitrea flumina arenis,
Egregiam spondens piscoso e gurgite praedam.
Ast avidis inopum sors obstitit invida votis
Irrisitque laborantes, et inania fessis
Cum traherent tota, quam longa est, nocte, remisit
Lina, stupent animis et, quo gens squamea tandem
Contulerit sese, quaerunt, queis cauta sub undis
Deliteat, quo sudantes deluserit astu.
Interea pulsis surgens Aurora tenebris,
Purpureo circum coelos fundebat amictu
Frustratos miserata viros; jam funditus omnis
Cesserat exhaustis praedae spes; ergo carinam
Irati moestique, propinqua ad litora lentis
Impellunt remis inimicaque caerula verrunt.

Ecce autem primi sub lumina solis in ipso
Litore, sed forma visus fallente, magister
Constitit et clara compellans voce frementes:

Heus, inquit, juvenes, quae tristes cura fatigat?
Vanane nocturni cessit fortuna laboris?
Dixerat: ast illi nihil inclusisse queruntur
Cum gemitu, quassantque caput spectantque retorto
Flumen avarum iterum deceptaque retia vultu.
Quos bonus alloquiis CHRISTUS solatur amicis
Et jubet, in vacuae dextrum rorantia cymbae
Vertere fila latus, successurumque laborem
Promittit. Monitis parent translataque jactant
Retia. At interea nutu omnipotente, per omnem
Divisos fluvium, facto velut agmine, pisces
Quemque suis jubet e latebris procurrere CHRISTUS,
Projectisque avide, quantum capere humida lina
Sufficiunt, dictu mirabile, corpora filis
Induere, opportuna piis solatia alumnis
Accumulans. Illi liquido demersa profundo
Retia, in instabilem curvato corpore puppim
Protrahere aggressi, collatis viribus omnes
Vix adeo potuere undis educere praedam
Et non disruptis in cymbam cogere linis.
Obstupuere omnes, plausu fremituque resultant
Littora, et insano resonant freta lata tumultu.
At vero Zebedaei clarissima proles,
Dilectus CHRISTO juvenis, cui casta pudoris
Virginei integritas majores luminis haustus
Aetherei indulget, radiis coelestibus auctus
Perculsusque insperatis successibus, ipsum
Deprendit quanquam ignoti sub imagine vultus
Muneris authorem et Petro submissus in aurem:
Fallimur, inquit, an hic, summo qui in margine ripae
Obvius, infaustos dura sub nocte labores
Tanto improvisi cumulavit foenore lucri,
Virginis aeternae soboles est? nosco magistrum
Et clarum aspicio obscuro sub corpore numen.
Vix haec ediderat: Petrusque haud multa moratus,

(Nam quantum illustris cedebat acumine mentis
Intacto juveni, tantum flagrantibus aestu
Aethereo fibris divinique igne caloris,
Et pueri et comitum superabat victor amorem)
Arrepta (nam nudus erat) circum tegit artus
Horrentes tunica rapidoque in flumina saltu
Praecipitat, liquidique secans stagna alta profundi
Remigio manuum, (neque enim violentus amoris
Impetus ignavae tardum expectare carinae
Passus iter) celeri prendit vicina natatu
Littora, arenosoque apricae in margine ripae
Procumbens, grata Dominum pietate salutat
Et grates submissus agit, praedamque receptam
Ipsius auspiciis, ipsi debere, fatetur.

Interea socii captivo pisce gementem
Advertunt terrae cymbam defessaque membra
Rege salutato sinuoso in litore strati,
Insperatum ignem, subjectis torrida flammis
Fercula, defessis cerealia dona magistri
Mirantur properata manu piscesque, potenti
Quos Deus (e nihilo qui condidit omnia) nutu
Aut terrae gremio aut auris educta crearat
Aut tacito ex undis nullo advertente vocarat
Imperio et subito tostos properaverat igni.
Prodigio attonitos divumque hominumque voluptas,
Quem coeli convexa tremunt, cui in aethere summo
Regia sideribus sedes suffulta, paterno
Aequa throno, vilis non dedignatus arenae
Reclinare humili immortalia cespite membra,
Talibus alloquitur, mulcens praecordia, dictis:

Vos quoque, vestra meae comites opsonia mensae,
In medium conferre volo; communia nobis
Fercula, communis partem depromite praedae,
Continuo redit ad navem magnisque gementes
Piscibus in terram Petrus protraxit ab alta
Puppe plagas. Supra centum numerare licebat
Quinquaginta tria undivagae praestantia gentis

Corpora; nec desperatae sub pondere praedae
Retia dissiliunt. Jam cunctis rite paratis,
Invitat charos ad fercula grata sodales
Voce manuque DEUS. Nec quisquam ex agmine magni
Quaerere convivae nomen. Nam ingentia monstra
Claraque divini pietas virtusque magistri
Indociles et multa rudes dubitare vetabat.
Ipse verecundos animans, fumantia dextra
Fragmina porrigere et divisi frustula panis
Hinc atque hinc laeto dispensans omnia vultu,
Pariri sociis, et majestatis honorem
Dissimulans, famulis servire stupentibus ardet.
Postquam epulis exempta fames, redituraque edendi
Discipulis dulci victu compressa libido,
Majus opus volvens, animo majora daturus
Argumenta sui superum regnator amoris,
Alloquitur Petrum blandoque interrogat ore,
An Dominum sociis plus diligat omnibus unus?
Ille licet magni sibi conscius esset amoris,
Non ausus tamen est reliquis sese omnibus unum
Praeferre aut tumida sociis componere lingua:
Sed casus memor ipse sui metuensque ruinae
Praecipites curas promissaque vana sequentis,
Talia composito respondit pectore verba:
O superum decus! o nostri clarissima coetus
Gloria! qui vasti penetras secreta profundi,
Cujus inaccessae radiis solaribus umbrae,
Quaeque latent penitus clausis obducta medullis,
Omnia luminibus, ceu clara in luce, patescunt,
Tu mihi, CHRISTE, mei (quis enim te fallere possit)
Testis amoris ades. Tu scis, quae flamma medullis
Fixa meis et quo praecordia torreat aestu.

Cui DEUS: ingentis sint haec tibi praemia amoris;
Pasce meo lotos in sanguine, pasce tenellos,
Quos, humeris super ipse meis de faucibus hostis
Taenarii raptos, in ovilia laeta reduxi,
Pasce meos verbis, exemplis, legibus agnos.

Dum sibi collati munus miratur honoris,
Haec eadem rursum verbisque exquirit iisdem
Omnipotens. Eadem repetit rursum omnia Petrus
Et commendatos in curam suscipit agnos.
At vero, cum nec gemina contentus amoris
Tessera, ut ambiguus, renovato examine rursum
Unanimis CHRISTUS mentem exploraret alumni,
Funditus ut labes qua praeceps lingua timore
Perculsum infecit, triplici elueretur amoris
Testati detersa fide, stupet anxius ille
Consiliisque minor coelestibus, omnia demens
Tuta timet, magnoque animum versante tumultu,
Vix tandem haec trepido confusus rettulit ore:

Nate DEO, claro qui conspicis omnia vultu,
Tu mihi, tu toties asserti testis amoris.
Continuo omnipotens, non ultra passus amicum
Solicitum pendere animi ac aegrescere curis,
Subridens, illo quo temperat omnia vultu,
Spumantesque premit ventis pugnantibus undas:

Pone metus, inquit, turbatamque erige mentem.
Nota mihi tua, Petre, fides animosaque virtus,
Et quibus urat amor praecordia vivida flammis.
Atque ideo, quae pollicitus, dum vita cruentae
Objicienda neci mortalia membra movebat,
Praemia, stellatas jam discessurus in arces
Persolvam. Geminae munus venerabile clavis
Accipe et his nostri pretio patefacta cruoris
Aetherei resera morituris limina regni
Atque eadem indignis claude. Exhinc cedet in aevum
Arbitrio jus omne tuo coelique solique.
Quas ego Tartarei victor de faucibus Orci
Extorsi, et roseo moriens in sanguine clavi
Pastor oves, fideique tuae curaeque recedens
Commendo. Quocunque solo, quacunque perennem
Urbe tibi sedem successurisque per omnem
Praesulibus figes ventura in saecula cursum
Temporis occidui, illa meis fundata tuisque

Auspiciis, caput orbis erit summumque tribunal;
Cui se purpurei prona cervice tyranni,
Cui se Pontificum et patrum sanctissimus ordo,
Christiadaeque meo nomen de nomine gentes
Accepturae, animis humerisque volentibus omnes
Subjicent. Nitidum dum sol lustrabit Olympum,
Oceanus geminum dum fluctibus ambiet orbem,
Te penes omne mei, qua sol, oriensque cadensque,
Respicit Oceanum, jus et moderamen ovilis,
Et successuris in pastoralis honorem
Culminis eximium, te decedente, manebit.
Macte animo et dignas supremi concipe curas
Praesulis officio et Domini vestigia fido
Insequere impavidus praerupta per ardua gressu.
Nec mortem implacidam aut Barathri regumque furores
Oppositos trepida. Vanis insultibus unda,
Hanc petram impugnans, spumis illisa refusis
Dissiliet. Rapidis tempestas ebria ventis,
Non exorandis quamvis armata procellis,
Petre, tuam circum fremat eversura carinam
Tuta catenatos ridebunt carbasa fluctus
Et longum optato servati in littore nautae
Grata pio superum persolvent carmina regi.
Macte animo et claris dignum te finge trophaeis,
Quae tibi certa manent; mea per vestigia surgent
Martyrii decora alta tui; non degener haeres
Ausonio vinctas tendes in stipite palmas.
Dixerat. At Petrus, ingenti perculsus honore,
Vix se jam capit ipse, nova dulcedine mentem
Perditus atque hilari promens sua gaudia vultu.
Non tamen unanimis, non ille oblitus amici,
Exultans licet atque animos ad sidera tollens;
Namque ubi jucundo arridentem lumine vidit
Gratantemque sibi juvenem, miseratus amantem,
(Quid non audet amor?) pietatis imagine victus:
Parce, ait, indomito famuli, charissime, amori
Supplicibusque pius votis accede mihique
Et tibi dilectum juvenem praeque omnibus unum,
Quae sors, quis castae maneat vitae exitus, ede!

Haec Petrus, sed vota pii importuna clientis
Obscuris vera involvens rex magnus Olympi
Distulit increpitans. Quid Petre, quid attinet ad te,
Quo juvenis letho, qua conditione morantem
Expectet Dominum. Tu tanti laetus honoris
Me sequere insigni mea per vestigia letho.

Dixit: et in medio ex oculis sermone recessit,
Magna improviso discessu gaudia turbans.
Ipsi etiam, quamquam inviti (nam mira voluptas
Divini vultus labefactis mentibus omnem
Expulerat terrae pelagique ac artis amorem)
Partiti praedam, ingratos adiere penates.

At memores tandem imperii, quo jusserat olim,
Undique collectis Galilaea sodalibus arva
Ut peterent, omnique manu stipante piorum,
Celsa Thaboraei superarent culmina montis:
Conveniunt animis omnes studiisque parati,
In quamcunque vocet sortem, matresque virique
Bissenique duces, gemini decora inclyta mundi.
Postquam altum ventum in montem (ceu nube fugata
Aurea devexis ostendit sidera terris
Gratior ignivomi insperato lumine currus
Phoebus) in aërei descendens gramina collis
Aetherei soboles et magna potentia patris,
Extulit os sacrum et divini corporis artus,
Sidereae claro lucis fulgore micantes.
Protinus inflexum manifesto poplite numen
Agnoscunt laeti et merito venerantur honore.
Quamquam aliqui, quibus haec primum data copia, vanis
Concessa, ancipites turbarent gaudia curis.
Ignoscit pius ambiguis, et pectora firmans,
Dignatur conferre gradum claroque stupentum
Aspectu solidare fidem, dein talia fatur:

En ego sum, quem pontifices legumque periti
Insontem, eloquiis fingentem pectora, durae
Suffixere cruci; crudeli cuspide pectus

Et tenera hirsutis trajectum tempora spinis
Cernite perfossasque manus; dubiumque timorem
Mittite. Quondam haec per grata meminisse juvabit
Insignes pietate animos. Nunc morte fugata
Vivo iterum et magni dono genitoris habenas
Terrigenum superumque meo sub numine flecto.
Quare agite, o comites, quos haec in munera legi,
Ite per Eoi radiis obnoxia solis,
Ite per occidui spumantia littora ponti,
Quaque furit gelidis Aquilo intractabilis alis,
Quaque pluit madidus glomeratis imbribus Auster,
Ignaros veri, errorum caligine mersos
Prodigiis monitisque animos in verba magistri
Cogite. Tartareis exolvite colla catenis
Et Patris Natique et sancti Flaminis uno
Nomine lustratos scelera abstergentibus undis
Instruite, ut memores accepti luminis ultro
Accingant operi sese ac mandata capessant.
Pellite corde metum; domiti contemnite Ditis
Insidias hominumque minas. Ego poscor Olympo,
Ut reserata meo conscendam sanguine regna.
Nusquam abero tamen, at praesenti numine amicos
Protegam in astriferi suprema volumina mundi
Promeritosque traham superum in convexa clientes.

Sic placitum CHRISTO, variis nutantia corda
Alloquiis firmare et sese offerre videndum.
Nunc his, nunc illis, obtusaque pectora, mentes
Multa rudes blandis animare et fingere verbis,
Susceptae carnis mysteria pandere, vatum
Fatidicis inclusa modis recludere dicta,
Nascentis fidei leges moremque sacrorum
Tradere et insidias Erebi numerosaque monstra
Heresion aperire, dolos atque arma tyrannorum
Impia conjuratorum coelestia vano
Funditus et sacra et ritus evertere nisu,
Et quo quemque modo fugiantque ferantque laborem.
Solennes tum deinde dies et inania festa
Isacidum legisque jugum intractabile tollens,

Sabbata mutari jussit lucemque sequentem,
Qua clausum elusit devicta morte sepulchrum,
Aeterno sanxit venerandam in saecula cultu.
Caetera Apostolicae statuenda, abolenda cohorti
Praesulibusque sacris, per saecla sequentia liquit,
Quos picturati veniens e fornice mundi
Spiritus aetherea complectens luce docebit,
Quas populis leges, quae demum festa quotannis
Orbe velit domito et templis inferre dicatis.

Jamque quater decies radiantem in gurgite currum
Merserat occiduo Domini post funera Titan
Atque expectatam roseis in caerula coeli
Vectus equis lucem terris inferre parabat,
Qua patris aeterni soboles coelestia regna
Scanderet. Aurorae primo sub lumine divum
Aligerum turmae coelique exercitus omnis
Exultant animis et tanto digna triumpho
Ornamenta parant. Geminat pater omnibus alis
Gaudia et eximios divini prodigus imbres
Nectaris accumulat. Radiat majore sereno
Supremi domus alta poli non lumine Phoebi,
Non lunae radiis, non accendentibus astris,
Divina sed luce; suum sol aureus orbem
Illustrat Deus ipse immortalique coruscum
Lumine distinguit majestatisque beatae
Attollit radiis. Seraphim Cherubimque coronis
Atria clara micant, tranquilla luce Thronorum,
Purpureisque ardent Dominorum flammea turmis
Moenia. Ab his pendent reliquorum lucida castra
Coelituum, quos supremi vaga sidera coeli
Appellare ausim, quia terrae cura volentes
Saepius a patrii deducit culmine coeli.

O utinam ingentis coram spectare triumphi
Ingenium atque omnes licuisset cernere divum
Hac in luce choros plausumque micantis Olympi!
Casside qua Michaël, quo stellans murice turmas
Coelituum produxit ovans, queis fulsit in armis
Pennigerum ter trina acies, quae spicula dextris

Vibrarunt, quali clypeorum luce superbi,
Quae belli simulacra suis distincta dederunt
Agmina vexillis, quo disposta ordine ab urbis
Moenibus aeternae, tot circumfusa per orbes
Aetheris, innumerae sociarunt arma phalanges.
Cuique suum turmae decus et sua munia cuique
Addita, et aeterni dulcissima cura triumphi
In cunctas divisa acies. Hi spinea serta,
Hi clavos manibus gestant jam dulce rubentes.
Purpureae hunc instar tunicae proferre, nitentis
Hunc juvat effigiem lascivis pandere ventis.
Ille manu cannam fluvialem, ludicra sceptri
Symbola, tollit ovans, alius victricis in auras
Producit vexilla crucis. Coelum omne tumultu
Exultante fremit. Plaudentia sidera festis
Certatim indulgent choreis numerosque sequuntur.
Lethiferos ignes et non innoxia tela
Astrorum superi cohibent et crine minaci
Sanguineisque vetant flammis ardere cometas.
Tunc primum Erigone laceros post fata parentis
Composuit crines squalentesque igne sereno
Accendit radios. Calet inclementius astrum
Saturni, premit importunos Syrius ignes.
Non fluctus nimbosus agit, non caerula tollit
Orion; sed enim gladium exitiale rubentem
Projicit et socias vocat in nova gaudia flammas.

Interea virides silvas et florida rura
Stagnantesque auro paradisi nobilis undas
Exierat Sanctorum acies laetissima Patrum,
Et celeri rapti coeli per inane volatu
Pinguia Oliviferi despectant culmina montis.
Ac procul a terris media regione sereni
Aëris excepti, Domino cunctante, caducae
Arcanos nivis inspiciunt pluviaeque recessus
Ventorumque domos et mistos grandine nimbos,
Pendentes nebulas, nocturni dulcia roris
Pabula, sanguineas omen ferale, procellas,
Fatiferos imbres lapidum quae machina vibret,

Et quid quaeque creet regio, quid quaeque recuset.
Aëris ut summa aeterno pars igne coruscet,
Ut media hiberno stringatur frigore, ut imam
Nunc calor alterno, nunc frigus temperet aestu.
Ut geminus vapor ignivomi vi solis in auras
Emicet attractus, gravis ille et pabula nimbis
Et nebulis rorique Caledoniisque pruinis
Sufficiens, saliente nives cum grandine cudens;
Siccior ast alius calidusque et pondere cassus,
Fulgura pugnantesque atro cum fulmine ventos
Agglomerat, vasto erumpens per inane sonore.

Talia dum lustrant visumque per omnia ducunt,
Ingratam Omnipotens subit improvisus in urbem
Et notum penetrans limen mensasque paratas
Aspiciens, charos epulis accumbere amicos
Hortatur facilis, postremaque fercula libans,
Accendit dictis animos maturaque spondet
Auxilia et sacri promissos Pneumatis ignes.
Expletis comites epulis (mirabile dictu)
Clara luce per excelsae populosa Sionis
Compita, per portas urbis (velut aëre septos
Obscuro) nulli visos, Bethania in arva
Educit charaeque petit gratissima tecta
Magdalidos, vetus hospitium, geminoque doloris
Laetitiaeque aestu raptam praecordia matrem
Cum sociis ad Oliviferi fastigia montis
Perducit, quo discipulum pars maxima pridem
Fluxerat, insignem cupiens spectare triumphum.
Illa autem ingenti nati abscedentis amore
Et desiderio comitandi incensa liquescit
Atque has ardenti fundit de pectore voces:

O matri decus omne tuae! mea sola voluptas!
O utinam! nisi certa tuae sententia mentis
Obstaret votis, tecum mea vita jacentes
Nunc quoque desererem terras superumque beata
Regna tuos peterem, genitrix, visura triumphos.
Sed vincit tua, nate, mihi tua nota voluntas
Vincit et incensi castigat pectoris aestus.

Cui natus roseis delibans oscula labris:
Parce piis, genitrix, votis fratrumque meorum,
Queis ego te matrem solatricemque relinquo,
Aspice solicitum et mecum miserere timorem.
Sic ait: extremumque amplexum et debita matri
Oscula persolvens, moestos solatur alumnos
Praesentemque suis extrema per omnia rerum
Consilio, auxilio, pietate manuque futurum
Crebrius ingeminans, dextram in sublime tetendit
Expressaque crucis vitalis imagine, pacem
Omnibus inspirat blandumque in pectora amorem.
Mox fortunati supremo in vertice montis
Consistens, suprema sacrae vestigia terrae
Impressit, nullis aeternum abolenda ruinis
Aetheris aut hyemis furiis aut alitis Austri
Viribus, et propria assurgens vi fertur in altum.
Attoniti spectant oculisque sequuntur amici,
Et desiderio, plausu fremituque secundo
Mirantur gaudentque nec abducente quadriga
(Ut quondam Elias) nec suspendentibus alis
Coelituum liquidi conscendere caerula coeli,
Sed propria virtute auras tranare sibique
Aërias aperire vias. Velut igneus ardor
Aestivi solis decoctum sidere rorem
Attrahit et tenues rapit in sublime per auras.

Haec dum discipulis CHRISTI miranda videntur,
Immemoresque sui jucundo pectora pascunt
Obtutu, subito nubes impervia, velo
Suspensos fallens oculos, decus omne volantis
Eripit invitis. Nec adhuc defixa retorquent
Lumina nec fessos per tot miracula visus,
Donec ab aethereo redeuntes orbe, parentis
Aeterni imperium gemini exposuere serena
Luce coruscantes niveaque in veste ministri.
Mox alacres jussis parent et monte relicto
Festinant celeri Solymaea in moenia gressu.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

Fallor? an exorti divum mihi munere tactas
Lux penetrat divina fibras, vatemque stupentem
Afflarunt superi? illabentis prodromus ardor
Numinis insueto languentem suscitat igne,
Inspirans coelestem animum mentemque caducas
Terrigenum exosam curas majoribus ausis
Solicitat, tentare alti penetralia mundi.
Mortalem excutiens sensum, super ardua coeli
Tollor et aethereae illustratus lumine flammae,
Aspicio, ut rutila venientem in nube salutet
Heroum numerosa cohors, regemque sequentes
Ordinibus, signis, radiis cultuque micantes,
Distinctaeque suis turmae, rapiantur in arces
Sidereas summique petant fastigia Olympi.

Ut primum aërii diversa per aequora tractus
Atque ignis liquidi sphaeram, Latonia regna,
Noctivagae sedem ac argentea tecta Dianae
Attigerant superi, redeuntem in sidera regem
Ingenti circum plausu choreisque coronant
Undique Cimmeriis effusae in aperta latebris
Temporis instabilis natae, quas dura peractis
Cursibus aeternis damnatas fata tenebris
Condiderant, quaeque aethereum ventura sub axem
Saecula perpetuis properant evolvere pennis.

Nec non et partes fugitivi quattuor anni
Quaeque suis circumfusae cum mensibus adstant.

Ver, anni Princeps, juvenilis imagine vultus
Exultat, pharetra ex humeris Gortynia pendet;
Dextra vibrat jaculum, variis intexta virescit
Herbarum florumque comis pulcherrima vestis.
Hic erumpentes videas e cortice gemmas,
Hic circum roseo fusum candore ruborem
Ostentare, illic primos inducere vultus,
Vix ausis dubio coelo se credere Pomis.
Exultant animis foliisque sub omnibus haerent
Innumerae volucrum species florumque decorem
Daedaleis superant pennis. Pars carmine dulci
Aurea concelebrat foecundi tempora Veris.
Pars nidis sedem explorat, pars seligit omni
E comitum numero, quem vitae in foedera jungat.
Illa suas cantu flammas incendit, amorem
Haec casto gemitu prodit votoque potitae
Aërias animant aliae concentibus auras.

Proxima succedit. Veri maturior Aestas,
Et Phoebi radiis impar, flaventia membra
Subtili velat byssi sinuantis amictu.
Torrida flammivomus rapido Canis asperat astro
Tempora et Herculei violentia saeva leonis
Egregium vultus fuscans corrumpit honorem.
Arcum laeva tenet, gravidaeque utroque sagittis
Ex humero pendent pharetrae. Defessa petendo
Aut timidas damas aut saevos dentibus apros,
Velle putes vitreis immergere membra fluentis.

Pampineo insequitur redimitus tempora serto
Pomifer Autumnus, pleno cui copia cornu
Maturas fruges et dulcia poma ministrat.
Ipse novo madidus musto, titubantia fido,
Quem circum tremulis hedera ambitiosa corymbis
Impedit inserpens, firmat vestigia Thyrso.

Ultima canitie glacialique horrida barba
Serpit hyems, tremulos nodoso stipite gressus
Sustentans. Gelido concretum frigore corpus
Pellibus incinctus nequicquam obtexit amictus.
Nix humeros glomerata tegit, frons nubibus atris
Clausa riget, crepitant allisi grandine dentes.
Turbida nimboso volvuntur flumina mento,
Quae Boreas gelido in glaciem ligat horridus ore.

Addunt se comites clausae famulantibus horis
Noxque diesque; rotis haec acta nigrantibus horret,
Haec niveis exultat equis. Nox pallida nigro
Obducit velo faciem capitique nitentem
Et varia accensam stellarum luce coronam
Implicat. In medio stellarum argentea luna
Tergemini egregium vultus ostentat honorem.
Luce sua formosa dies cultusque minores
Aspernata, caput radiis solaribus ornat
Lividaque opposito contristat sidera Phoebo.
Ipsa choros ducit, plausus disponit, ovantes
In numerum cogit menses choreisque peractis,
Ver dextra Aestatemque manu complexa, sinistra
Autumnumque Hyememque trahens, divina salutat
Victoris domini vestigia. Dulcia CHRISTUS
Accipit obsequia et blandi dulcedine vultus
Felices spondet ventura in saecula cursus.

Exin caeruleos mundi septemplicis orbes
Ut volucrum pennis et fulminis ocyus alis
Felices superant, CHRISTO ducente, cohortes.
Lucentemque globum lunae vicinaque regna
Sideris Arcadi et formosae Cypridis ignem
Mirantes penetrant et tetro sanguine tristem
Indomiti Martis currum placidoque serenum
Igne Jovis solium (qui tristia sidera miti
Temperat aspectu melior) saevamque rigentis
Saturni sedem, immiti qui falcis aduncae
Cuspide surgentes natorum demetit annos.
Daedaleos spectant cursus ignotaque quondam

Sidera perlustrant, ortusque obitusque viasque
Astrorum et varios solis lunaeque labores
Virtutesque planetarum. Quid in aequoris undas
Hyberni tantum properent se immergere soles,
Quo pacem, quo bella situ, nimbosque hyemesque
Procudant. Cur nunc puro pulcherrima cornu
Cynthia pacato diffundat lumine coelum
Et pluvii madidas Austri procul arceat alas,
Nunc nigrum obscuro comprendens aëra, terram
Effusis foedet pluviis, nunc omnia ventis
Virgineo turbet vultum perfusa rubore.
Qua vi tollantur, qua vi maria alta residant
Rursus et alterno refluantque fluantque recursu.

Hinc picturatum fulgentibus aethera stellis
Mirantur vastumque orbem motuque carentes
Innumeros numerant ignes, inque omnibus illum
Aeternum, immensum artificemque ingentibus ignem
Laudibus accumulant, qui tot formosa perennis
Luminis aethereo vestigia fixerit orbe.
Talibus intentas rapuit Crystallina mentes
Deliciis laeta aula novis, et utrimque reflexam
Objiciens speciem, coelique, quod adjacet infra,
Quodque supra pluvius veluti sub nubibus arcus
Opposito innumeros mentitur sole colores.
Explicat eximium immensa cum mole decorem
Extremus reliquisque augustior orbibus orbis,
Angelicae qui perpetuo moderamine dextrae
Itque reditque viam toties subjectaque torquet
Circuitu convexa suo, cursumque vicesque
Temporum et alternis dimensum mensibus annum;
Atque hominum genus et pecudum pictasque volucres
Monstraque caeruleis creat educitque sub undis.

Has super aetherei sedes et culmina mundi
Ingenti liquidus spatio diffunditur aër,
Aeternis fulgens radiis et lucis amoenae
Immortali auro; divini nectaris imbres
Spirat et ambrosiae late fragrantis odores.

Non illis Syrio redolentia pocula Nardo,
Non dites Arabum Sylvae, non Thessalia Tempe,
Neç vernis Zephyrus Pestana rosaria pennis
Pervolitans, nec thuriferis Panchaia arenis
Certet et Elysiis paradisus amoenior umbris.
Illius in medio summi pulcherrima coeli
Moenia consurgunt, divumque operosa coruscant
Numinis artifici fabricata palatia dextra.
Unde omnis chorus Aligerum bipatentibus ultro
Erupit portis, dominum regemque cruenta
Victorem pugna, merito exceptura triumpho.

Vexillis distincta suis trina agmina primi
Ordinis, aeternae ignivomis sub moenibus urbis
Explicuit Michaël, dulci terrore decoros
Hinc illinc spargens oculos et vertice toto
Altior assurgit galeam, cristasque superbo
Terribiles Diti, nullo violabilis aevo
Exornat laurus. Dextram impeccabilis hasta
Atque uni libranda armat; clypeusque sinistrae
Aureus inseritur, cujus terrore vel ipsa
Gorgonii facies lapidesceret horrida monstri
In clypeo belli series expressa sub ipso
Aethere pugnati, quo debellatus opacas
Lucifer in flammas cecidit, ferruginis atra
Luce tenebrosum livens, omnique veneno
Et sanie horribilis, quo crudelissimus anguis
Jam moriens squalet vitalesque inficit auras.

Primam aciem Seraphaea cohors componit, amoenis
Verticis ignivomi accendens socia agmina flammis.
Quot capita aeternis fulgent redimita coronis,
Quot rosea circumfusi cervice capilli,
Quot pictae stellant humeris flammantibus alae,
Tot credas vibrare faces, tot fundere flammas,
Tot rapidis incensa liquescere corda sagittis.

Hos juxta Cherubaea micant vexilla; sereno
Lumine pennigerum campi spatiosa renident

Aërii loca, ut illustris per caerula lunae
Ludit pacatis argenteus error in undis.
Omnibus ingentes humeros et tempora circum
Distinctae rutilant oculis vibrantibus alae.

Post hos stellatis soliis, miro ordine, mira
Majestate Throni resident atque auribus aequis
Terrigenum curas, suspirantum anxia corda,
Orbarum planctus, viduarum vota gementum
Mortalesque librant aequato examine causas.
Pax eadem cunctis et clari gratia vultus,
Sive reos Erebi damnent squalentibus umbris,
Seu justis meritae dispensent praemia palmae.

Alter odorati medium tenet aëris orbem
Tergemino triplicem signo divisus in alam
Coelituum sacer ordo. Acie prima inclyta turma
Constitit Aligerum, Dominos quos dicere egestas
Sermonis Latii vinclis inclusa coëgit.
Omnia supremum subter labentia coelum
Imperio facili fraenant. His caetera turba
Aligerum viresque potestatemque volentes
Submittunt: rerum seriem causasque modosque
Gestarum referunt et jussa capescere gaudent.

Virtutum vicina manus coelestia librat
Pondera; solennes Phoebo lunaeque recursus
Constituit, legesque vagis motumque planetis.
Armatas acies pugnae simulacra cientes
Aëris in campis (bellorum praevia signa)
Crinitasque faces telis fatalibus auget.

Extremum medii diffundunt ordinis agmen
Coelicolae, clarum queis magna potentia nomen
Indidit, armorum rutilo fulgore minaces.
Terribilem hos Stygiis vibrare cohortibus ensem
Accipimus, septemgeminoque adamante rigentis
Umbonem clypei laevae insertare, superbi
Luciferi Orcigenumque unum tela omnia contra,

Seu vano affectent coelestia regna labore,
Seu vi Christiadum mentes seu fraude lacessant,
Sive etiam media nimborum in nocte furentes,
Terrifica audaci moliri fulmina dextra
Et trifidis oculos tentent perstringere flammis.

Extremum vasti spatium aëris ultima turma
Coelituum in ternas implet disposta catervas.
Principibus stat primus honos, queis inclyta circum
Tempora baccatum gemmis diadema refulget.
Sceptra manu crispante gerunt nutuque potenti
Disponunt pacis leges bellique tumultus.
Angelicae his subeunt alae, quarum altera magni
Numinis eximios monitus, potioraque coeli
Sacramenta piis aperit, pars altera mentes
Protegit humanas et callida discutit Orci
Consilia atque animis lucem viresque ministrat.
Omnibus egregio clarum decus enitet ore,
Omnibus ex humeris surgunt candentibus alae,
Versicolore oculos pennarum luce trahentes.
Omnibus intonsi capitis coma, gratior auro,
Ambrosio spirat divinum vertice odorem.
Immortale virens victricia tempora laurus
Circumdat, nitidis gaudens inserpere stellis.
Sidereis lux blanda oculis, queis aurea Phoebus
Lumina, queis radios cuperet mutare serenos
Cynthia, cum pleno fulget pulcherrima vultu.
Omnibus ima pedum verrit vestigia, puras
Exuperans candore nives, argentea vestis,
Quam rutilo stringens includit baltheus auro.

Et jam supremo decumani fornice coeli
Permenso, patriis subjectum moenibus aequor
Ascendens, in regna novos aeterna colonos
Ducebat spoliis victor ditatus opimis.
Protinus Aligeri exoptati clara canoris
Adventus dant signa tubis Urbisque beatae
Festivo incendunt campos ac moenia cantu.
Hi citharas docto certatim pollice tendunt:

Coelestes citharas, quales nec Thracius Orpheus,
Nec pater Aonidum Parnassi ad flumina dulci
Temperat articulo, quamvis ad carmina plaudant
Silvicolae in numerum Fauni, catulisque relictis
Attonitae currant ad fila sonantia tigres.
Ast alii liquidis vocum concentibus aures
Irritant; quarum mira dulcedine tactae
(Si quando tanto superum regnator honore
Dignatur clausas moribundo corpore mentes)
Felices animae, effrontis lasciva Diones
Carmina, delusos blande inficientia sensus,
Sirenumque modos et non innoxia verba
Detestantur et aethereas se attollere in arces
Incensae nituntur et arcano igne liquescunt.
Ille chelyn digitis, hic pectine pulsat eburno,
Vocalem ferit ille lyram, movet ille canoro
Cymbala tinnitu. Pars tympana inania doctis
Verberibus pulsat, pars organa follibus acta,
Perpetuisque animata auris, hinc inde reductis
Verberat articulis modulans, ventoque meatus
Nunc hos nunc illos reserans claudensque, sonoris
Cornua nunc modulis, nunc rauco classica cantu
Exprimit atque avidas fallendo detinet aures.
Clarius atque magni decus immortale triumphi
Martius ingeminat clangor sonitusque tubarum
Undique stridentum, quibus exultantis Olympi
Pulsati resonant orbes divisaque vastis
Terra procul spatiis, velut expirantis amoenis
Relliquiis cantus haeret stupefacta, piorum
Discipulum dulci saliunt praecordia motu.

Hos inter superum plausus celeberrimus unus
Agminis angelici Gabriel, sociasque serena
Majestate premens (ut stellas Cynthia) turmas,
Vicinum flexo veneratus poplite regem,
(Idem omnes simul ardor agit, fulgentia laeti
Vexilla inclinant et prono vertice adorant)

Salve, ait, aetherei soboles germana parentis,

Coelituumque hominumque decus, qui funere victor,
Tot praedatoris raptos e faucibus Orci
Egregios animos, supremo debita coelo
Sidera, in astriferi felicia culmina mundi
Optato revehis post tot miseranda triumpho.
O nimium infandos hominum miserate labores!
O nimium nostri vacuata palatia coeli!
Queis tanta accumulas indigno gaudia letho,
Queis tot laetitiae in cumulum praesentis amicos
Advehis, innumerae certissima pignora turbae
Heroum, quos foeta tuo jam sanguine tellus
Parturit, emeritis exhaustam civibus urbem
Et vacuas dignis arces auctura colonis.
Quas tibi, quas tanto grates persolvat amori
Aligerumque hominumque chorus! tibi flammeus ardor
Quo flagrat Seraphaea acies, decedit, et ingens
Caecutit Cherubinorum sapientia, magni
Consilii penetrare negans arcana. Thronorum
Pax aeterna tuo foedus mirabile letho
Compositum stupet, et pacem terraeque poloque,
Justitia miserante ac ulciscente, reductam,
Cum mira pietate reis Astraea pepercit
Justaque crudeles insonti a judice poenas
Exegit pietas. Coelum terramque potenti
Fraenantem nutu famulis serviisse pedesque
Discipulum lavisse manu, qua sidera torques,
Non capiunt Domini. Te regem hominumque Deumque
Miratur Princeps ad inanis ludicra cannae
Sceptra et feralis textum crudele coronae
Porrexisse manus, caput inflexisse verendum.
Virtutes coelum palmo digitisque librantem
Suspensae molem terrae, cecidisse cruentae
Arboris oppressum trunco, casuque potenti
Oppressum vitiis mundum erexisse stupescunt.
Turma potestatum humano sub corpore clausam
Principii expertem finisque potentiam (amoris
Tanta tui vis, CHRISTE!) tremit. Geminata caterva
Angelici coetus hominem, ad fastigia summi
Numinis evectum, majestatemque supremam,

Submissam in teneros moribundi corporis artus,
Ingenti pietate stupent, gratantur, adorant.

Talia dicentem (vultu testatus amoeno
Alitis eximi laudes comitumque placere
Obsequia) omnipotens divino surgere nutu
Imperat et laetis patrum se adjungere turmis.
Certatim jussi accedunt junctimque beatos
Amplexu aeterno heroes nova sidera stringunt
Adventumque exoptatum regnique perennis
Gaudia post caeci squalentia devia Limbi
Degustata pio victi gratantur amore.
Ipsi etiam vates atque omnis turma beati
Agminis, informis Limbi pallentibus umbris
Erepti, paribus succensi pectora flammis,
Pennigerum ingentes dotes ceu propria dona
Aspicere. Aethereo nam tanta potentia amori est,
Ut collata aliis socios diffundat in omnes
Non defraudatis, quorum sunt propria, divis
Gaudia. Tanta animis virtus oculisque beata
Afflatis luce inseritur, vicina proculque
Dissita ut intuitu penetrent letheaque nunquam
Coelestes inter serpant oblivia cives.
Agnoscunt omnes, noti omnibus, omnium amante,
Omnibus aeterno laudantur, amantur amore.
Felices plaudunt felicibus almaque lucis
Munera inexhaustae sociis concessa beatis
Non cupiunt, sed luce data donisque fruentes
Quisque suis, charis gaudent accedere amicis
Praemia, quae sese nunquam meruisse fatentur.
Nec sua jam mallent. Sic (si componere magnis
Parva licet) riguis vivunt quae germina in hortis,
Quaeque suo quamvis niteant formosa colore,
Quaeque suo quamvis fragrent gratissima odore,
Collatis tamen hinc illinc jucundius una
Conspirant opibus nigrisque admota ruborem
Dulcius ostentat violis rosa, nigra rubenti
Intermista rosae viola, aspicientis odora
Blandius attractos ludit ferrugine sensus.

Jamque ubi felices Divum Aligerumque cohortes
Mutua colloquio dulci et complexibus arctis
Gaudia et ingenti signa haud indebita amori
Expressere, viam celerant mistisque feruntur
Caeruleum per inane choris. Modulamine laeto
Fervet iter magnique ducis nomenque decusque
Factaque et egregias resonat vasta area laudes.

Namque canunt, qua vi omnipotens quaque arte sepultum
Eruerit nihilo mundum, discordia vinclis
Componens elementa suis. Ut sidera coelo
Addiderit, soli radios et cornua lunae.
Ut pronas jubeat valles descendere, montes
Surgere, caeruleum mare salsis, dulcibus amnes
Fundat aquis, avibus impleverit aëra, brutis
Graminibusque solum, sinuosas piscibus undas,
Aethera pennigeris, homini subjecerit orbem.
Tu desertores coelesti dejicis aula,
Tu lapsum paradiso hominem, Tu fluctibus orbem
Et flammis meritas torrentibus obruis urbes.
Securos media Isacidas per caerula ducis,
Niliaci currus demergis et arma tyranni.
Praevius alternis nubis flammaeque columnis
Thariadae charam deserta per avia stirpem
Dirigis. E duris extrudis flumina saxis,
E coelo mensam. Tu regia sceptra decusque
Purpureae sublime stolae ritusque sacrorum
Instituis. Tonitru interea coelum omne tremiscit,
Aërei fumant montes, incenditur aether.
Ast alia sub nube latens, alio igne coruscans,
Nuper ab infausto funesto vertice montis
Pendulus, immerito sanxisti foedera mundo
Divinoque novas firmasti sanguine leges.
Qua rubri maris unda ingratae pignora gentis
In tua regna pius demerso Dite tulisti?
Quod capiti diadema tuo, quem purpurae honorem
Aptarunt humeris, quo te gens impia sceptro
Ornavit! quae flexa genu tibi carmina fudit!
O nunquam sine prodigiis coitura sub unum

Majestas et Amor solium! cui cedat Amoris
Indomiti virtus? cui flecti nescia cedat
Majestas? sed vicit Amor victaque triumphans
Majestate, DEUM patrio detrusit Olympo
In stabulum: aeternae decus immortale coronae
Vepribus hirsutis mutavit arundine fulmen.
Ultori scelerum malesanae crimina terrae
Imposuit; vinctum denudatumque flagellis
Induit. Illum, illum, astriferi qui culmina mundi
Librat et aeterno coelos adamante revincit,
Quem superum convexa tremunt, tremuisse columnae
Vidimus astrictum, ferali in stipite fixum,
Hostibus ut saevis vitam moriendo perennem
Redderet, exanimem clauso jacuisse sepulchro,
Ut superas tumulo clausos revocaret in oras,
Inferni subiisse specus, ut Dite ligato
Solveret emeritos coeloque inferret amicos.
En, quo te tandem pietas tua, CHRISTE, tuusque
Traxit amor! qui stellati vastissima mundi
Moenia sidereos orbes tremebundaque terrae
Fundamenta quatis, *Solum non vincis Amorem*,
Et solus te vincit Amor. Tu scilicet illo
Ignis in igne flagras et Amor in Amore triumphas!

Talia cantantes jam proxima signa secundi
Agminis attigerant. Hic fortunata novorum
Agmina coelituum moniti occurrentibus ultro
Commendant sociis, suaque ad vexilla regressi,
Ante triumphantis Domini vestigia tendunt.
Ipse autem triplicis sublimis honore triumphi,
Peccati domitor mortisque Erebique corusco
Subsequitur curru invectus, quem laetus ovanti
Omnipotens nato genitor devinctus amore
Fecerat insignem et multa celaverat arte
Omnia susceptae carnis mysteria, magni
Symbola consilii et nati victoris honores,
Non auri radiis ementitoque colorum
Lumine, sed vivis animantum expressa figuris.
Nam quia nascendo mortales induit artus,

Ut magno moriens caderet gratissima patri
Victima, et edomito letho post funus in auras
Vitales rediit, fractique Acherontis opimis
Insignis spoliis, conscendit in aethera victor,
Quattuor aetherea genitor de stirpe jugales,
Quadruplici claros vultu et fulgentibus alis
Ante triumphalis posuit juga celsa quadrigae.
Dextera magnanimi cervix fert ora Leonis,
Humani media in speciem pulcherrima vultus
Erigitur, blandi facies huic laeva Juvenci
Succedit, super has Aquilae sese ardua fulvae
Ora levant. Oculis fulgur vibrantibus ortum
Respicit hic, ille occasum prospectat, ad Austrum
Tertius, at Scythicum quartus stat vultus in axem.
Quot facies, tot sidereis animantibus alae
Ex humeris surgunt, illisque exerta sub alis
Brachia porrectaeque manus (mirabile dictu)
Apparent. Partim erectis super ardua pennis
Tempora caerulei volitant per inania campi;
Partim submissis, accensae lampadis instar,
Aut torris flammae immersi, lucentia velant
Corpora flammatosque pedes. Hos vertere in omnem,
Nec flexa cervice nec ipso corpore, partem
Quadruplici motu norunt; eademque rotundis
Forma pedum est plantis, quam plantis esse juvenci
Cernimus, ad vitreae ripas quando accubat undae.
Quattuor his subeunt formaque et mole stupendae
Et fulgore rotae; placidi nam caerula ponti
Mentitur color et viridi vastum aëra luce
Perfundit, medioque sui rota quaelibet orbe
Alterius connexa rotae curvamina claudit
Et trifido infensi pernicius igne Tonantis,
In partem recto quamcunque volumine fertur.
Ac veluti variis ales Junonia pingit
Vernantes oculis pennas: sic quaeque rotarum
Sidereis animat (dictu mirabile) circlos
Distinguitque oculis, quibus omnia cernere pronum,
Unde suo sese arbitrio fert ipsa refertque
In quamcunque volet partem, nec tracta sequentem

Prima trahit, nec protensis animalia loris
Invitas volvi sua per vestigia cogunt.
Quadrupedum pennatorum cervicibus ingens
Stellati incumbit suspensum fornicis instar,
Perspicua referens crystalli luce colorem,
Inque triumphalis divina numinis arte
Effigiem currus superis mirantibus aptum
Ac picturatum sedes Sapphirina currum
Altior egregio radiorum illustrat honore.
Quam simul ac propria CHRISTUS virtute triumphans
Conscendit, rapido sublata Animalia cursu
Corripuere viam pariter pariterque rotarum
Exiluere orbes; per inane volantibus alis
Fit sonitus, qualem cum miscent praelia venti,
Et pelago bacchatur hiems, vasta aequora tollunt,
Aut cum praecipites fugiunt per saxa quadrigae.
Clara triumphalis sequitur vestigia currus,
Rege salutato, coelestum exercitus omnis;
Perque viam hospitibus gaudent exponere divis
Divitias regni aeterni furiasque superbi
Luciferi ac primi successum ac praemia belli.
Tum quibus insidiis freti, queis viribus ipsum
Aggressi in Stygios casses impellere Adamum
Progeniemque omnem Genii flammantis Averni,
Et quo quemque modo coelesti excludere regno,
Nunc caecis furtim telis, nunc cominus ausi.
Quis cuique appositus custos, quo fidus amore
Vel lapsos vigil a vitiis revocare vel ante
Congressum instruere ignaros, belloque sub ipso
Suetus et in media trepidis assistere pugna.

Haec inter celsi insurgens per culmina montis
Ignivomas turres rutilasque stupentibus arces
Hospitibus pandit supremi regia coeli.
Quattuor urbs aequo laterum discrimine constat
Et paribus spatiis partes excurrit in omnes.
Pellucent nitida stellantes Jaspide muri,
Atque illos solido bissenae pondere gemmae
Sustentant. Operis decus insuperabilis aequat

Materiae pretium; neque enim superare potestas,
Artificis quando nec habet sapientia metas,
Nec numero includuntur opes, nec lege voluntas
Stringitur, et finem divina potentia nescit.

Non opis est nostrae, nec vatum quicquid ubique est
Mortali tantum ore sonans, aequare canendo
Ingenium lapidum viresque decusque superbum.
Quo coelo, quave arte, stylo quo insculpta coruscent
Nomina Apostolici fortunatissima coetus,
Quaeque suis gemmis. Quae magni nomina Petri,
Quae docti titulos Pauli reliquosque beati
Agminis inscriptos proprio gemma ornet honore,
Fundamenta Urbis portarum nobilis aequat
Materies, tereti nivei candoris amoeno
Rorigenas superans gemmas, quas solibus Indis
In luxum foecunda parit Cythereia concha.
Tres ortum solis spectant totidemque cubile
Occiduum. Gelidum tres saevi Aquilonis ad axem
Vergunt. Imbriferos reliquae panduntur in Austros.
Caelatis quaeque Isacidum distincta refulget
Nominibus. Vigili limen statione tenentes
Aligeri indignos procul a coelestibus arcent
Sedibus; illustres animos maturaque coelo
Pectora reclusis ducunt in moenia valvis.

Interiorem urbis faciem numerosaque divum
Atria stellantesque domos et strata viarum
Immortali auro dives Sapientia struxit.
Cui neque Pactoli fulvae squalentis arenae,
Nec Tartessiacae certet ditissima ripae
Vena, nec occiduis victor quod devehit Indis
Orbe petens alio pretiosa pericula Iberus.
Auro, quod quantum fragilis specularia vitri
Durando vincit, tantum fulgore sereno
Perspicuoque premit vitri penetrabile lumen,
Acceptos referens vultus atque inclyta divum
Agmina nativo renovans expressa decore.

Quis stupor informis limbi squalentibus antris
Ereptos rapuit! quae raptas gaudia mentes
Perstrinxere, expectatae dum moenia tandem
Prospectant patriae et fugientis limina regni
Securi aspiciunt! cum tot discrimina rerum,
Tot vitae casus, tot sortis tela, tot Orci
Fracta vident. Quantum juvat, evasisse procellas
Oceani et tuta portum tetigisse carina!
Ergo exultantum attonito de pectore plausus
Erumpunt: arces gemmataque moenia laetis
Vocibus ingentique omnes clamore salutant.

O patria! o divum domus aurea! amabile regnum!
Urbs formosa! tuis quae felicissima muris
Claudis et exuperas, quodcunque amplissima regna
Eximiaeque urbes regumque palatia pulchris
Turribus includunt formaque opibusque manuque
Egregium ostentant. Quicquid deforme, caducum;
Obscurum, muris procul a coelestibus arces.
Quot numeras cives, tot regibus aucta triumphas.
Quot reges, immortali tot foedere amicos
Abrumpi metuente astringis pectora amore.
Sidera tot pascis, clara penetrantia luce
Omnia, quae summo subter labuntur Olympo.

Haec inter primo portarum in limine CHRISTO
Obvius occurrit, reducis dextramque prehendit
Spiritus ille, patris natique, e numine eodem
Numen idem refluens, nati patrisque perenni
Ardor amore flagrans, gemino par ignis ab igne.
Illius Ambrosio liquefacti pectora rore
Fatidici vates, orituri conscia CHRISTI
Flexanimis olim cecinerunt carmina plectris.
Ille verecundae felicem virginis alvum
Desuper illapsus, divino nectaris imbre
Imbuit, ut tuto pareret foecunda pudore.
Ille etiam aethereis CHRISTI praecordia flammis
Impulit incendens, ut ineluctabile mortis
Aeternae arbitrium profuso sanguine victor

Solveret, assertam revocans in sidera gentem.
Atque ideo eximii perfunctum munere amoris
Excipit occurrens laterique amplexus inhaeret
Victoremque sui deducit in atria regni.
Urbe super media, nullo satis ore canenda
Immensi, aeterni surgunt fastigia templi.
Parietibus miranda tribus circumdatur aedes
Circuli in effigiem; quam triplex angulus aequo
Nec laterum tractu nec frontibus impedit aequis.
Nam tribus unus honos, idem decus, una colorum
Gloria et in numero lux non numeranda coruscat.
Aureus hunc decorat splendor, clarissimus illum
Nobilitat lucis candor, rubor igneus ornat
Tertium; at in fulvo pariter candorque ruborque
Irradians auro nitet; in candore ruborem
Ignis et auricomam videas splendescere lucem;
Purpureo candorem aurumque micare sub igne.
Tres uno implicitos lucere colore colores;
Et tribus implicitum fulgere coloribus unum.
Non minor hic illo, non pulchrior ille duobus,
Non unus tribus aut uno tres. Omnibus idem
Regnat honos eademque immensae gloria lucis.
Quae licet Aligerum sese clarissima turmis,
Coelicolumque oculis manifesto sidere fulgens
Explicet, immensum tamen exhaurire tuendo
Fulgorem, Aligeris pariter Divisque negatum est.
Non ea vis oculis, non tanta potentia mentes
E nihilo natas angustaque pectora tollit.

Hujus in arcanis templi penetralibus ipse
Compositus, solio flammas vibrante, sedebat
Omnipotens genitor. Cervicem humerosque sedentis
Purior intacto niveae coma vellere lanae
Circumfusa tegit, mediumque argentea barba
In pectus producta cadit. Diadema capillos
Castigat, triplici scintillarum ordine surgens
Stellarum coelumque suo fulgore serenans.
Purior argento, nive virgine gratior ornat
Compositum solio vestis. Pulcherrimus ignis

Flammivoma fluvius de sede emanat, et ingens
Ambit inexhausto flammarum flumine templum.
A dextra laevaque haec Nati, haec Pneumatis almi,
Majestate pares ornamentisque coruscant
Dispositae sedes, quas inclinatus adorat
Aligerum Divumque cohors Dominique potentis
Aeternum aeterno collaudat carmine Numen,
Dum media Omnipotens templi in penetralia Natus
Vi propria penetrans, humani corporis artus
Flectit in obsequium, Numen Genitoris adorans,
Qua minor, et dulci victus pietate profatur:

En perfecta mihi Genitor tua jussa; redemptus
Morte mea mundus, mors debellata, triumpho
Aeterno domitus terris crudelis et astris
Lucifer, et stigii virtus infracta profundi.
Haec tibi opima, Pater, spolia infernique subacti
Primitias sisto; tu Nati sanguine partas
Aspicies melior gentes addesque beatis
Coelicolum turmis puras a crimine mentes,
Quas dives meritis attollet in aethera virtus.

Annuit omnipotens Genitor reducemque serenus
Excipit aeternis Natum complexibus; aequo
Complectens locat in solio. Sedet ille Paternae
Aeternum dextrae assistens, et tertia sedes,
Par aevo nec honore minor, Spirabile Numen
Accipit. Hinc blando Genitor laetissimus ore
Primitias Divum mulcet nutuque perenni
Aurea perpetuae firmat data munera vitae.

Protinus e triplici solio vis luminis ingens
Effluit et radiis animos et corpora Divum
Lucivomis penetrans, animos oculosque beato
Illustrans splendore aperit, perfusaque tantis
Allicit illecebris, tanto velut ebria mergit
Nectaris oceano tamque arctis vincta catenis
Attrahit, ut fixos in majestate decora
Divini vultus oculos divellere nullo

Arbitrio possint. Tenet aeternumque tenebit
Captivos infinita dulcedine sensus
Immensoque voluptatum torrente natantes
Coelituum mentes possessio certa supremi
Et secura boni, cui nec fastidia adeptae
Laetitiae inserpunt, nec se importuna cupido
Absentis miscet. Quid enim felicibus absit?
Queis vitae fons, lux veri, queis finis amoris
Fine carens, immortalis dat gaudia vitae;
Illustres pandit radios omnemque decorem
Explicat, unde fames et quo satiata fruatur,
Invenit aeternum, quoque irritata recurrat?

O quantum innubis radios et lumina Phoebi,
O quantum angelicae nativum lucis honorem
Aurea lux, ingens lumen de sede Parentis
Aetherei exundans, jubaris fulgore corusci
Exuperat! cujus mira virtute beati
Perspicua cernunt acie vultumque decusque
Numinis: ingenitum Patrem Genitumque, Parenti
Aeterno aequalem, Nato Patrique coaevum
Spiritum, utrique parem; pariterque ab utroque fluentem.
Quoque modo Genitor Proli substantiae honorem
Conferat ipse suae nascenti, et uterque refundat
Numen idem, aequaevam spiramine mutuo in Auram,
Ut triplex numero persona, sit unus eadem
Majestate DEUS, nostrique haud indigus, omne
Ante aevum constans, omne extendatur in aevum,
Ipse aevi mensura sui. Terraeque polique
Naturam casusque vicesque atque omnia rerum
Tempora mobilium regat immutabilis unus.
Daedala qua tellus coelique decemplicis orbes
Et quidquid terra omniparens coelumque feraci
Vel gremio nutrit vel vasto fornice cingit,
Eductum e nihili latebris ratione per ipsum
Exierit factum, ex ipso profluxerit ortum,
Inque ipso semper fuerit semperque futurum est.
Quove modo in composta ac indivisa beatae
Simplicitas formae (liceat sic dicere vati,

Quem metri angustae leges et curta supellex
Astringit) tot veridicis respondeat almae
Nominibus fidei; queis mens humana minoris
Ingenii imparibus divini arcana profundi
Contemplans oculis, partiri cogitur unum.
Unde illibata Veri ratione, licebit
Uno eodemque modo, quicquid de Numinis alti
Natura asseritur, salva pietate, negare.
Haec adeo et quaecunque animi (quos ille perennis
Luminis aeterni radius non auget) opacis
Non capiunt circumfusi caliginis umbris,
Coelituum turmis manifesta in luce videnda
Ignivomo lux e solio diffusa sereno
Aeternum fulgore aperit. Quoque Optimus ille,
Maximus ille modo claris illuminet omnes
Coelicolas radiis habitetque impervius idem
(Ceu Densa noctis non extricabilis umbra
Septus) inaccessam mortali semine natis
Pennigerumque choris lucem.
Hoc divum e Limbi redeuntum carcere mentes,
Lumine perfusae penitus metisque carenti
Laetitiae raptae non enarrabilis aestu,
Aeterno Patri laudes meritasque rependunt
Bis genito Nato divino carmine grates.
Victoremque Erebi curvato poplite regem
Concelebrant et quisque suo de vertice dempta
Insigni pietate sacris diademata CHRISTI
Substernunt pedibus. Tibi enim tibi, Maxime Regum,
Gloria, honor, sceptrum, virtus, diadema, potestas
Debetur. Tibi se Seraphim purissimus ardor
Consecrat. Illustris Cherubim sapientia lucet
De lucis splendore tuae. Tranquilla Thronorum
Justitia aeternum solii tibi sternit honorem.
Te Dominatorum famulatrix ala perennem
Agnoscit dominum. Claris virtutibus omnem,
Qua rapidos coelorum orbes, qua fulmina fraenant,
Virtutem indulges. Vimque et victricia Divis
Arma potestatum turmis in perfida Ditis
Sufficis oppositi vexilla. Inclinat honori

Princeps ala tuo et vasti sceptra omnia mundi
Regis ad arbitrium CHRISTI moderatur, in altum
Ima levans, excelsa premens. Salve, inclyte magni
Angele consilii! stirpis melioris origo!
Inferni domitor! rosei qui Sanguinis unda
Mystica vitalis solvis signacula libri,
Aligerum instauras acies hominique renato
Aurea perpetuae dispensas munera vitae.

Accipit has facilis laudes vultuque sereno
Omnipotens Pater et Nati victoris honori
Laetitiaeque Deum cumulandae, arcana futuri
Longius ipse movet; duodeni facta Senatus
Inclyta virtutesque aperit gentesque, potenti
Eloquio et signis orbem per utrumque fugata
Relligione Erebi, fidei ad vexilla trahendas.
Quo studio, quo vitales ventura sub auras
Christiadum gens sancta crucis victricis honore
Sacramenta colet divinaque jussa capesset.
Quot, quibus exhaustis tormentis, sanguine fuso
Martyrii palmam accipient, qui devia verbis
Facundis scriptisque piis praecordia in altum
Tracturi virtutis iter numerosaque monstra
Heresion eversuri. Qui vana jacentis
Gaudia, delicias et opes et lubrica terrae
Sceptra relicturi regni coelestis amore.

Haec ubi fatidico superum rex praescius ore
Explicuit, procul auditi sonuere precantum
Discipulum gemitus et Virginis ignea Matris
Vota. Stupent puros incensi pectoris aestus
Coelicolae dignasque DEI Genitrice fatentur
Concepisse preces. Coeli terraeque potentis
Promissam toties jam tandem Pneumatis auram
Aeternumque ignem et coelestia dona petebat
Effundi; et quamquam votis hoc omnibus unum
Discipuli exposcant, plus omnibus una meretur
Audiri. Dulci victus pietate rogantis
Filius, aeterno memorat promissa Parenti.

Annuit omnipotens Genitor magnumque coaevo
Spiritui committit opus. Tum deinde novenis
Aligerum turmis mistos (ut quemque probatae
Extulerat vitae meritum virtusque fidesque)
Stellantis superos demittit in atria coeli,
Luciferi comitumque fuga vacuata. Paratas
Laeti adeunt sedes; sua quisque palatia ab ipsis
Nascentis mundi cunis fabricata capessunt.

At parte ex alia infelicis funere Judae
Bis-seni numerum jam decrevisse Senatus
Moerebant sacri proceres, interque triumphi
Gaudia coelestis dubios haec cura remordet,
Quis demum tanti in sortem succedat honoris
Et vacuam sedem felicior occupet haeres.
Qualiter e septem si spissa trionibus unam
Auferat ex oculis nubes, stupet inscius alta
Puppe sedens raptamque explorans navita stellam,
Ingemit et noti numerum desiderat astri.
Quos simul ac tali correptos pectora cura
Aspexit Petrus, Matthian, auspice coelo
Sortibus electum, vocat in consortia tanti
Culminis et merito praelatum attollit honore.

Vix decimam expectata diem Tithonia curru
Puniceo extulerat, jamque omnis turba piorum
Discipulum notas furtim penetrarat in aedes,
Votaque fundentes lacrymis permista rogabant
Auxilium viresque novas promissaque dona.

Protinus ingenti coeli convexa fragore
Insonuere; simul validi vis stridula venti
Insequitur, clausaeque domus penetralia dulci
Turbine perrumpens, (velut insurgentibus undae,
Impulsae ventis, nemorumque cacumina late
Dant sonitum) blanda orantes circum strepit aura.
Attoniti circumspiciunt arrectaque coelo
Lumina suspensasque levant ad sidera palmas.
Ecce autem picturati de fornice Olympi

Descendens per inane micantibus aurea flammis
Lux subito se diffudit. Tectum omne coruscis
Splendet inardescens radiis solemque serenum
Auricomo fulgore premit. Sub imagine linguae
Multifidae super impendens capita omnia amoeno
Sidere lustrat apex crinesque et tempora circum
Scintillat liquidumque vibrat pulcherrimus ignem.
Spiritus omnipotens, Patri Natoque perenni
Majestate aequus, Nati Patrisque perennis
Ignis Amor, Donum et doni septemplicis author,
Discipulis sese insinuat, mentesque potenti
Lumine perfundens, divino animata calore
Corda novat, flammisque suis nova pectora fingens,
Ingentes animos et inexuperabile robur
Sufficit et mentem innumeris dat pandere linguis.

Ut primum illapsi vis Numinis intima flammis
Pectora corripuit, donum admirabile et ipsum
Muneris auctorem peregrino idiomate quisque
Concelebrat. Plausuque virum fremituque sonante
Advolat excitum vulgus totamque per urbem
Fama volans omni attonitos ex parte coëgit
Isacidas; alienigenas, quos cardine Eöo,
Cardine ab Hesperio Solymorum traxit in urbem
Sacrorum studium et festae reverentia lucis.
Mirantur plaususque virum vocesque frementum
Innumeras, et quisque suae discrimina linguae
Agnoscit. Sed causa latet. Pars maxima censet,
Insanire novi madidos dulcedine Bachi.

At Petrus sacri rector princepsque senatus,
Jam nec foemineae mordacia tela pharetrae
Nec Caiphae furias nec tristia spicula saevae
Aut Stygis aut mortis metuens, ad limina fertur
Atque his attonitos compellat vocibus ultro:

Isacidae fratres, magni stirps inclyta Abrami,
Vosque etiam, quacunque domo, quocunque creati
Sanguine, dilectam superis venistis in urbem,

Accipite haec animis laeti et spes discite vestras.
Non ego, non comites, ne talia fingite, dulci
Obruimur musto perfusi, tertia quando
Nondum praeteriit pennis properantibus hora.
Sed DEUS ipse, DEUS divini nectaris haustu
Corda novat sanctisque animat praecordia flammis.
Veridici ut quondam Divum pater ore Joëlis
Pollicitus, se labentis sub tempora mundi,
Pneumatis aetherei radios et mystica dona
Effusurum orbi, queis et dens omnis et omnis
Aetas perstricti et flammis coelestibus acti,
Aemula Jessaeo caneret oracula plectro.
His adeo nos muneribus cumulavit ab alto
Aethere primitiasque dedit septemplicis aurae
Discipulis libare suis germana tonantis
Progenies CHRISTUS, quem vos ingentibus actis
Ingrati, infami suspensum stipite acerbo
Funere mersistis. Sed enim post funera vivum
Omnipotens superas Genitor revocavit in arces.

Talibus orantis verbis (nam pectora Numen
Intus agit blandisque trahit praecordia vinclis)
Ingemuere omnes, scelerisque horrore cruenti
Perculsi, sese aspiciunt, lacrymisque madentes,
Agnoscunt facinus veniamque uno ore precantur.
Qua demum infandi sceleris pietate reatum
Effugiant, quid agant, quae se via prima salutis
Ostendat, quaerunt avidi, seseque paratos
Jussa sequi, magno unanimes clamore fatentur.
Tum Petrus blandis permulcens pectora verbis,
Hoc agite, o fratres, inquit, magnoque dolore
Certatim infandi facinus miserabile voti
Plangite, et affusis in CHRISTI nomine lymphis
Corpora tingentes, animorum abstergite labem.
Namque salutares virtus divina per undas
Mentibus inclinat, scelerum commissa piabit
Puraque sidereis accendet pectora flammis.

His incensi animos Petro accessere monenti,

Et sacris lustrati undis ter mille (beato
Coelituum plaudente choro) septemplicis Aurae
Muneribus cumulati ardent et inania patrum
Sacramenta relinquentes ritusque sepultos,
Sacra triumphalis ligni vexilla novaeque
Dulce jugum subeunt, CHRISTO duce et auspice legis.
Ite, ite ingentes animae! geminumque per orbem,
Herculeas ultra metas ignotaque Thules
Litora vitalis praeconia spargite lethi!
Nunc o! nunc jactis stet felix sortibus urna,
Quadrifidique orbis, quae, quos provincia poscat,
Ambiguis monstret. Nabathaeas ille per urbes,
Ille per Hesperias volet imperterritus oras;
Arctoas petat ille domos et virginis axem
Parrhasiae; mediis alios flagrantia regna
Solibus accipiant. Fidei vexilla, subacto
Dite triumphatisque superstitionibus, aris
Omniproci Jovis eversis, diffundite in omnes
Terrarum coelique plagas. Oppressa tenebris
Pectora Cimmeriis, scelerum sub pondere mersos
In coelum revocate animos: de nomine CHRISTI
Nomen habens, toto surgat gens aurea mundo!

FINIS.

Notae authoris.

Lib.	Vers
I.	37. Joannes.
	49. Jacob min.
	368, 378, 394, 890. Virgilius.
	501. Abraham.
	506. Jacob.
	510. Jsaias.
	512. Daniel.
II.	18. David.
	40. Statius.
	153, 206, 214, 309, 713, 777. Virgil.
	451. Jonas.
III.	30, 281, 298, 307, 318, 450, 455, 478, 552, 625, 763, 782. Virgil.
	485. Elias.
	489. Jerob.
	646. Perseus.
IV.	1, 20, 103, 178, 230, 245, 324, 391, 425, 462, 646, 746, 762. Virgil.
	619. Surius.
V.	112. Virgil.
	474, 522. Ovid.
	691. Jairus.
VI.	69, 88, 119, 187, 231, 356, 500, 544, 725. Virgil.
VII.	85, 342, 672, 778. Virgil.
	179. Achitophel.
VIII.	623. Virgil.
IX.	190, 262, 486, 664, 748. Virgil.
X.	358, 494, 695, 751. Virgil.
	474. D. Anselm.
XI.	152. Templ. Salom.
	352, 672. Virgil.
XII.	38, 766. Virgil.

Lib.	Vers
XII.	123. Pat. Noëmi.
	145. Amri.
	148. Moyses.
	187. Jesus.
	190. Esdra.
	193. Simon Oniae fil.
	195. Jesus Sir.
	213. Zachar.
	220. Michaeas.
	225. Jeremi.
	227. Daniel.
	233. Eleaz.
	251. Josüe.
	254. Caleb.
	285. David.
	310. Achior.
	312. Holofern.
	318. Nehemia.
	320. Zorobabel.
	339. Sara.
	344. Rachel, Lia.
	347. Sephora.
	351. Maria.
	357. Rahab.
XIII.	222. Virgil.
XIV.	39. Jonas.
	100, 442, 633, 668, 786. Virgil.
	414. Chrysost. et alii.
XV.	124, 726. Virgil.
	148. Samson.
XVI.	127, 141, 174, 333, 405, 584, 742. Virgil.
XVII.	99, 128, 225. Virgil.

Corrigatur, priusquam legatur:

pag.:	lin.:	lege:
3	13	Gethsemanes.
4	12	illis
—	24	cudis.
5	29	Oliveti quem
7	8	fulmen.
14	15	odoratas
16	28	Excidere
22	5	tactum.
23	21	patribus
24	1	auram,
25	2	aditus,
32	22	ait voti jam
33	38	nati,
35	24	ferali
55	4	superbos,
62	36	Arrexitque
63	6	reserari
64	5	furor!
65	30	Jesu.
—	35	famulo
76	22	dolore
80	26	parentes.
94	2	prodiga
112	20	mentem.
121	13	Nazaraeae
—	19	fervebant
128	8	excussa
133	34	Excussis
136	38	specimen
140	31	aucta sub
141	5	urnam:
—	36	quas
149	25	poli qui
153	15	catenis,
155	22	alas.
169	29	speculum. Varium

pag.:	lin.:	lege:
173	20	Isacidae,
—	38	mergi.
175	23	Taboris?
—	26	ornat,
186	28	nulla,
187	31	Matronarum
189	46	inflammare
193	15	laborem,
202	35	turbidus
206	2	Affectus
211	29	ardet
223	35	O Genitor!
244	5	Michaelem
246	28	purgatque
251	4	vulnera
257	26	lancea!
269	16	lanae,
281	19	querelas.
287	34	prius
298	8	accedent
303	4	ast uno
308	5	propior
318	20	hospitium
320	20	charissime!
325	8	mihive
338	1	vitreae
339	17	mirabile
360	23	lingua,
—	27	dabat.
365	11	Partiri
367	6	Subjicient.
375	20	succedit Veri
378	2	Thessala
381	24	at magni
383	4	eximii

Cetera facile corriget lector.

